DE
ZENODOTI STUDIIS
HOMERICIS.

SCRIPSIT

Heinrich

HENRICUS DUENTZER.

> Maeonio qualem cultum quaesivit Homero
> Censor Aristarchus *normaque Zenodoti.*
> AUSONIUS.

GOTTINGAE

IN LIBRARIA DIETERICHIANA.

MDCCCXLVIII.

Itaque huc redeunt omnia, ut ex reliquiis illis Zenodoti communis antiquior forma Homerici textus aestimetur, intelligaturque, quam tenuia primordia fuerint artis corrigendorum priscorum monumentorum et ipsius grammaticae interpetationis.

Frid. Aug. Wolfius.

VIRO INLUSTRISSIMO

IOANNI SCHULZIO,

PHILOSOPHIAE DOCTORI, ARTIUM LIBERALIUM
MAGISTRO,
REGI BORUSSORUM AUGUSTISSIMO A CONSILIIS
INTIMIS IN REBUS SACRIS AC SCHOLASTICIS,
EQUITI AQUILAE RUBRAE SPLENDIDO,
STUDIORUM ANTIQUITATIS HUMANITATISQUE
FAUTORI PERITISSIMO, AESTIMATORI SUBTILISSIMO,
PATRONO CANDIDISSIMO,
SCHOLARUM ATQUE ACADEMIARUM BORUSSICARUM
PRAESIDIO ET DECORI,

CURAM IN ZENODOTI STUDIIS HOMERICIS POSITAM,

VERAE REVERENTIAE GRATIQUE ANIMI TESTEM,

CONSECRAT

AUCTOR.

Miro quodam casu factum est, ut ὕστερον πρότερον Ὁμηρικῶς triumvirorum, qui hodiernae Homericorum carminum formae fundamenta iecerunt, Zenodoti, Aristophanis, Aristarchi, postquam Wolfius de Alexandrinis criticis copiose et subtiliter exposuit, is, qui tempore postremus erat, primus studiorum suorum Homericorum interpretem inveniret et, qui primus perhibetur Homeri fuisse διορθωτής, ultimo loco relictus sit, quum Aristophanes, medius inter utrumque interiectus, nuper accuratius descriptus sit. Atque Aristarchi quidem opera in Homero posita tam subtili acumine et insigni eruditione atque doctrina a Lehrsio libro praeclaro exposita est, ut egregius inde redundaverit in totius artis criticae historiam fructus. Quo Lehrsii libro ut nostra de Zenodoti studiis Homericis disquisitio non prorsus indigna sit, eo vehementius opto, quo gravior hic criticae artis in Homero factitandae locus est. Optime olim de Zenodoto disputavit Wolfius, sed rem tum perficere non potuit; qui post Wolfium de Zenodoto scripserunt, aut hunc auctorem presse secuti sunt, aut eius vestigiis relictis rectum tramitem deseruerunt. Universam quaestionem, in qua habenda Wolfii, Heynii, viri immortalis memoriae, et Lehrsii scriptis maxime adiutus sum, ita instituendam esse duxi, ut ab ipsa fontium, quibus nostra Zenodoteae recensionis cognitio nititur, indole at-

que natura investiganda exorsus via atque ratione procederem, neque solum Zenodoteae recensionis imaginem exprimerem, verum etiam de omnibus singulis locis apte dispositis accuratius disputarem. Ceterum hic liber, quem per multos annos animo agitavi, iam ante annum ad umbilicum adductus, nunc tandem prodit, quum diu, quae hodie librorum philologicorum ratio est, frustra redemptorem quaesivisset. Tu vero, lector benevole, studiis nostris faveas et, quae minus recte disputata videantur, amice corrigas.

Scribebam III Id. Mart. anni MDCCCXXXXVIII.

CONSPECTUS CAPITUM.

I.

DE ZENODOTEAE QUAESTIONIS FONTIBUS.

Uberrimus Zenodoteae quaestionis fons Scholiis in Iliadem scriptis continetur, quorum principem locum obtinent ea, quibus e praestantissimo Iliadis codice, Veneto A (Cod. Graec. CCCCLIV Bibl. Ven. S. Marci), ab eruditissimo Villoisone editis nova artis criticae in Homero exercendae iacta esse fundamenta miro successu demonstravit Friderici Augusti Wolfii felix subtilitas, nunquam satis praedicanda. Unde vero hausta sint egregia illa Scholia in codice A servata, e subscriptione intelligitur, quae in fine cuiusque libri, ultimo excepto, legitur, his fere verbis concepta: *Παράκειται τὰ Ἀριστονίκου σημεῖα* (post librum σ cum additamento *μετὰ ὑπομνηματίου*, quod serioris videtur esse aetatis) *καὶ τὰ Διδύμου περὶ τῆς Ἀρισταρχείου διορθώσεως, τινὰ δὲ καὶ ἐκ τῆς Ἰλιακῆς προςῳδίας Ἡρωδιανοῦ καὶ ἐκ τῶν Νικάνορος περὶ τῆς Ὁμηρικῆς στιγμῆς* [1]).

Aristonicus libro *περὶ σημείων Ἰλιάδος καὶ Ὀδυσσείας* sive *περὶ σημείων Ὁμήρου* signa critica ab Aristarcho recensioni Homericae appicta ita explicaverat, ut causas eorum ex Aristarchi et Aristarcheorum scriptis exponeret, nonnunquam, praesertim in *διπλῇ περιεστιγμένῃ*, qua contra Zenodotum Aristarchus usus erat, priores scripturas commemoraret [2]). Alia Didymi erat ratio, qui scripto *περὶ τῆς Ἀρισταρχείου διορθώσεως* post Aristonicum edito Aristarchi

1) De qua subscriptione post Villoisonem (Prolegg. p. XXXI) accurate egit doctissimus Lehrsius prima dissertatione libri eximii de Aristarchi studiis Homericis.

2) Cf. Villoiso Prolegg. p. XVIII. Lehrs. p. 1 sqq. Muetzell. de emendatione Theogoniae Hesiodeae p. 288 sq., qui rectius de Aristonici aetate iudicavit. Adde Graefenhanii hist. philol. I p. 400 sq. II p. 43 sq. Vide infra not. 64.

priorumque criticorum scripturas maiore cura diligentiaque videtur recensuisse atque examinasse [3]), unde illi omnia debemus, quae in his Scholiis de editionibus Zenodotum praecedentibus narrantur, ut de iis, quae *πολιτικαὶ* dicuntur, de Antimacho aliisque [4]). De Herodiani *Ἰλιακῇ προσῳδίᾳ* [5]), e qua duae tantum notae ad Zenodotum pertinentes servatae sunt (Schol. *α*, 567 et *ν*, 450), et de Nicanoris libro *περὶ τῆς Ὁμηρικῆς στιγμῆς* [6]), cui in hac Zenodotea quaestione nihil debemus, hic non agamus.

Non diu post Herodiani aetatem collectionem Scholiorum ex Aristonici, Didymi, Herodiani et Nicanoris libris susceptam esse Lehrsius (p. 35) statuit, sed tempore gliscente plurima alia e recentioribus commentariis Homericis aliisque scriptis esse inserta. Aliam nuper protulit sententiam acutissimus Bergkius in commentatione de tabula Iliaca Parisiensi, qui, quantum e notitia in ephemer. stud. antiquit. 1846 p. 93 (ipsa enim commentatione uti non licuit) intelligo, haec Scholia opus esse coniicit Apionis et Herodori, e quo plurima desumpserit Eustathius. At illa, quae Eustathius vocat, Scholia Apionis et Herodori [7]) genuina esse non possunt, quum Herodiani et Nicanoris notas Eustathius in iis legerit [8]), quumque Aristonici, Didymi, Herodiani et Nicanoris nomina illis Scholiis non ascripta fuisse ex ipso Eustathio, Herodorum et Apionem pro illis grammaticis laudante, pateat [9]). Eustathium, de cuius fontibus egit Valckenarius (p. 91 sq.), non iisdem, quibus Scho-

---

3) Cf. Lehrs. p. 18 sqq. Muetzell. p. 289 sq. Graefenhan. I p. 405 sqq. II p. 44 sqq. Bernhardius (hist. litt. graec. II p. 114), Aristonicum, quem cum Lehrsio Didymi et Strabonis aequalem fuisse autumat, Didymi opus supplevisse dicere non debebat, quod cur statuamus, ut aetatem horum grammaticorum missam faciamus, nullam idoneam video causam.

4) Cf. Schol. *χ*, 108. *ψ*, 88. *ω*, 71, ubi Didymi verba a *τὸ δὲ ἐάσομεν* incipiunt. *Ξ*, 418 et *τ*, 56 Didymi notam coniunctio *δὲ* adiungit.

5) Cf. Villoiso p. XXXI. Lehrs. p. 34 sq. Graefenhan. III p. 100 sq. 332.

6) Cf. Graefenhan. III p. 94 sq.

7) Cf. Eust. *χ*, 74 p. 1257, 54. *Οἱ παλαιοί, ἤγουν Ἀπίων καὶ Ἡρόδωρος*, idem dicit *π*, 558.

8) Quod Lehrsius p. 386 sqq. demonstravit.

9) De Apione cf. Lehrsii dissertatio I quaestionum epicarum et de illo libro, quo Eustathius usus est, Valckenarius de Scholiis in Homerum ineditis p. 146 sqq. Apion laudatur in Schol. A *γ*, 448. *ι*, 393. *κ*, 252, in Schol. B *β*, 12. *δ*, 457. *ν*, 546. *ξ*, 216, in Schol. V *π*, 409, in Schol. L *δ*, 457, in Schol. br. *ε*, 453. *Τοὺς γλωσσογράφους, ἤγουν Ἀπίωνα καὶ Ἡρόδωρον, τὰ Ἀπίωνος καὶ Ἡροδώρου* unus Schol. L habet, *λ*, 555 et *ο*, 324.

lia A, auctoribus usum esse iam Wolfius recte monuit [10]). Liber, qui Apionis et Herodori nomine ferebatur [11]), e Scholiis collectus et compilatus, interpretationem magis, quam criticam spectasse videtur, ita ut in scripturis priorum criticorum adferendis leviter, neque accurate versatus sit. Ceterum iam hic monemus Aristonici et Didymi notas neque omnes, neque integre ubique servatas esse.

Lehrsius, qui primus subtiliter docuit, Aristonici et Didymi notas ad Aristarcheam referri editionem, unde illud ἀθετεῖται, quod Spitzner summo suae editionis multis nominibus non sufficientis detrimento prorsus neglexit, ubique de Aristarcho intelligatur, viam etiam aperuit, qua in Aristonici et Didymi notis discernendis progrediamur. Quem ita sequemur, ut quae Scholia de Zenodoto testantia Aristonici, quae Didymi sint, quantum fieri potest, accurate diiudicemus.

Aristonici esse notas ab ἡ διπλῆ s. ἡ διπλῆ περιεστιγμένη (numeramus ducentas fere) [12]), παράκεινται διπλαῖ περιεστιγμέναι (ε, 734), ἡ ἀναφορά (γ, 339. φ, 17) incipientes, nec non eas, quarum initio ὅτι (cf. κ, 398) legimus (octoginta fere), iure contendere videtur Lehrsius [13]). Schol. η, 255 sq. haec habet: Τοὺς στίχους τούτους οὐ προςίενται ἔνιοι, ὥςπερ οὐδὲ Ζηνόδοτος, ἀλλὰ τὸ τῆς συνεπείας οὕτως ἔχει παρ' αὐτῷ, ὥςπερ καὶ ὁ Ἀριστόνικος ἐκτίθησιν, ἣν περιττὸν ἐνομίσαμεν γράψαι, ubi Heynius (V p. 351): „Defecit haec συνέπεια seu nexus in Scholio." Immo hic nexus, qui sponte pateat, consulto omissus atque verba οὕτως, ὥςπερ arcte sunt coniungenda. Locus Aristonici, usque ad ἀλλὰ pertinens, ipsam συνέπειαν iam attulerat. A Didymo vero aperte profecta sunt Schol. β, 111, ubi Aristonicus praecedit. 435. ζ, 71. [14]) Θ, 535 prolatis Aristo-

---

10) In censura Iliadis Villoisonianae inserta ephemer. Ienensibus 1791 p. 251.

11) Eadem fere ratio est Ἀπίωνος γλωσσῶν Ὁμηρικῶν, quae in codicibus Barocc. et Darmstad. feruntur. Cf. Lehrsii quaest. epicae p. 34.

12) De paucis (ε, 263. 323. 638. μ, 432) dubitare licet, num Aristonico Didymi nota coniunctione δὲ adiungatur. In Scholio μ, 450 verba inde a καὶ Ἀριστοφάνης Didymi sunt.

13) Haeret Bernhardius l. l. p. 115. Muetzellius l. l. p. 289 pauca, quae faciant ad explicandam signorum criticorum rationem, ad Didymum pertinere statuit, quod quodammodo colligi possit ex Scholio ϑ, 535 et inde redintegrando ο, 86. At Didymus nusquam causas illorum signorum explicavit, quamquam priorum criticorum scripturas, quas Aristarchi signa saepe respiciunt, attulit.

14) Ex alio Didymi libro desumptum esse videtur, quod Hero-

nici verbis addit Schol.: *Τὰ αὐτὰ δὲ λέγει περὶ τῶν στίχων τούτων ὁ Δίδυμος, ἃ καὶ ὁ Ἀριστόνικος· διὸ οὐκ ἐγράψαμεν τὰ Διδύμου*, unde emendandum iudico Schol. ο, 86: *Ταῦτα ὁ Δίδυμος ὁ Ἀριστονίκῳ λέγει περὶ τῆς γραφῆς τῆς δέπασσιν.* Quum hic Didymi verba, non, ut illo loco, Aristonici praecedant, legendum: *Τὰ αὐτὰ Ἀριστόνικος, ἃ καὶ ὁ Δίδυμος λέγει* [15]). Aristonici et Didymi notae iuxta ponuntur in Schol. β, 258 (cf. Schol. B.), ubi Didymus ab *ἐν δὲ τῇ* incipit, ε, 249. ι, 36. λ, 754. ν, 423. ξ, 37. 470. π, 188. 507. ω, 110. Accuratam Didymi diligentiam produnt Schol. δ, 3. κ, 1. ξ, 249. Praeterea Didymi sunt omnes notae ab *οὕτως Ἀρίσταρχος, ἢ* sive *αἱ Ἀριστάρχου, διχῶς αἱ Ἀριστάρχου* incipientes. Cf. α, 97. 169. 598. β, 196. 435 (ubi Didymi nomen additur). 579. γ, 259. η, 428. ϑ, 213. ι, 36. 128. κ, 291. 306. λ, 439. 488. ν, 191. 423. 447. 485. ξ, 36. 40. 118. 236. 349. ο, 64. Saepius *οὕτως* in Didymeae notae initio excidit. Cf. α, 91. 434. β, 801. γ, 57. 126. δ 277. ζ, 71 (ubi Didymus nominatur). ϑ, 304. 378. ι, 88. λ, 754. μ, 11. 231. 295. ξ, 249. 285. 322. 400. 437. π, 515. υ, 114 [16]). Aristarchi nomen deest α, 73. β, 52. δ, 137. ζ, 226. μ, 340. ξ, 259. 412. ο, 307. 459. π, 507. ρ, 149 [17]). Non minus Didymi ii sunt loci, quibus Zenodotus ante Aristarchum commemoratur, ε, 132. ζ, 121. ϑ, 349. λ, 101. 219. ν, 449. 824. ξ, 208. 427. 499. σ, 34. 485. 570. Breves Zenodotearum scripturarum commemorationes, *παρὰ Ζηνοδότῳ, Ζηνόδοτος, οἱ περὶ Ζηνόδοτον, ἐν τῇ Ζηνοδότου, αἱ Ζηνοδότου, ἡ Ζηνοδότειος* (verbo omisso), quarum nonaginta fere numeramus, e Didymo excerptas esse credere malim. Verba, quae ξ, 16 legimus: *Ἐν τῇ Ζηνοδότου πορφύρει*, Didymi esse sequens *ἡ διπλῆ* probat. *Π*, 161 post Didymi notam: *Λαψόντες, πιόμενοι· Ζηνόδοτος δὲ λάψαντες . . .*, sequitur Aristonicus: *Ἡ διπλῆ περιεστιγμένη . . .* I, 564 Bekker haec habet: *Ἀρίσταρχος ὅ μιν, ὅτι αὐτήν.* A L. *ὅτε, οὕτω Ζηνόδοτος, χρονικῶς.* Aut fallor, aut Didymus haec fere annotaverat: *Ἀρίσταρχος ὅ μιν, ὅτι αὐτήν, Ζηνόδοτος δὲ ὅτε, χρονικῶς.* Scholium σ, 222, quod incipit: *Ἀμέτρως Ζηνόδοτος*, si vere coniicio, Didymi est [18]). Quod idem

dianus ν, 450 laudat. Cf. Schol. α, 399. γ, 272. δ, 475. η, 135. ρ, 607. τ, 116. φ, 110. ω, 557.

15) Lehrsius p. 32 locum restituit pro ὁ proponens ὁμοίως, quod non sufficere videtur.

16) Post *καὶ αἱ πλεῖσται* Herodiani verba incipiunt. Dubitare licet de γ, 57 et δ, 277, ubi coniunctionem *δὲ* Didymi adiungere notam arbitror.

17) *Δ*, 137 Didymus incipit a *τὸ δὲ ἐπῴχατο*. *O*, 307 ex Aristonico abbreviata videntur verba *Ἀρίσταρχος βιβῶν.*

18) Quod non refellit Aristonici nota ε, 638, ubi de Zenodoto

de α, 8: Ὁ Ζηνόδοτος σφῶϊν (lege σφῶϊ) ἔγραφεν, dictum volo. Dubitari vero potest de iis locis, quibus Ζηνόδοτος γράφει legimus, quum hic illic ὅτι excidisse suspicari liceat. Cf. α, 249. β, 448. 520. γ, 155. η, 114. λ, 123. 451. ν, 246. ξ, 95 [19]).

Restant compluria Scholia, quibus Zenodotum versus omisisse aut addubitasse legimus. Exordiamur ab ι, 694, ubi Didymus: Ζηνόδοτος δὲ τὸν στίχον οὐκ ἔγραφεν, Ἀρίσταρχος δὲ ἠθέτει, Aristonicus: Ζηνόδοτος μὲν οὐ γράφει, Ἀρίσταρχος δὲ ἀθετεῖ. Η, 443 Aristonicus: Ἕως τοῦ ὣς οἱ μὲν τοιαῦτα ἀθετοῦνται, Didymus: Τὴν τῶν θεῶν ἀγορὰν ἠθέτουν οἱ περὶ Ζηνόδοτον καὶ Ἀριστοφάνη καὶ αὐτὸς Ἀρίσταρχος. Ι, 23 Didymus: Παρὰ Ζηνοδότῳ οὐκ ἐφέροντο οἱ τρεῖς, καὶ Ἀριστοφάνης δὲ ἠθέτει, Aristonicus: Ἀθετοῦνται στίχοι τρεῖς. Scholium η, 482, ab ὅτι incipiens, ubi legimus: Ζηνόδοτος δὲ καὶ τοῦτον καὶ τὸν πρῶτον τῆς ἑξῆς ῥαψῳδίας ἦρκε στίχον (cf. Schol. ι, 23 (26). π, 89. 93), Aristonici est. Omnes loci, ubi praesens ἀθετεῖ aut perfectum ἠθέτηκε, huius grammatici videntur, quod quum de plurimis certo sciamus [20]), de aliis (β, 612. γ, 18) [21]) iure colligimus. Idem de προηθέτηται (σ, 39), ἠθέτητο et ἠθέτηντο (η, 198 [22]). θ, 284) valet. Didymo omnes notas vindico, ubi imperfectum legitur, ut Ζηνόδοτος ἠθέτει (ι, 688. μ, 450. ξ, 114), ἠθετοῦντο παρὰ Ζηνοδότῳ (ξ, 304) [22a]), Ζηνόδοτος οὐκ sive οὐδὲ ἔγραφεν, Ἀριστοφάνης δὲ ἠθέτει aut inverso ordine (θ, 385. ι, 694. κ, 253. λ, 179. 515), παρὰ Ἀριστοφάνει δὲ ἠθετοῦντο, παρὰ δὲ Ζηνοδότῳ δὲ οὐδὲ ἦσαν sive ἐγράφοντο (λ, 13. μ, 175). In Schol. ι, 416 post Aristonici notam legimus: Ἄλλως· οὐδὲ παρὰ Ζηνοδότῳ ἐφέροντο, quod e Didymo desumptum esse suspicari licet. Idem statuas de Scholiis θ, 371. 528. κ, 240. λ, 705. Neque minus Didymi esse

---

ἀμέτρως γράφει, quod uterque grammaticus bene monere potuit. Ἄμετρον ποιῶν in Aristonici notis β, 520 (?). 634. 658. υ, 484. Idem Aristonicus ν, 172 κακόμετρον ποιεῖ, ζ, 34 κακόφωνον γίνεται.

19) Scholia α, 249 et η, 114 Aristonici esse, nescio an e duobus aliis (α, 80. π, 688) iure coniicias. Γ, 155 et ν, 246 Aristonici et Didymi notas distinguendas esse dixeris. Maiorem iniicit dubitationem Scholium ξ, 95, ubi Aristonicum et Didymum confusos esse suspicor, ut Didymi sint verba: Ζηνόδοτος δὲ γράφει νῦν δέ σε ὠνοσάμην πάγχυ φρένας.

20) Ἀθετεῖ in Aristonici notis α, 4. 80. 396. β, 686. ε, 734. λ, 547, ἠθέτηκε α, 46. 63. 117. 143. 160. 208. 225. 488. β, 220. 227. 231. 528. 553. 579. 641. 673. 724. γ, 334. ε, 187. θ, 25. ρ, 260, σ, 483. φ, 538.

21) Aristonici nota a Ζηνόδοτος δὲ incipit; priora Didymi sunt.

22) Aristonicum inde ab ἠθέτηντο habes.

22a) Didymi notam coniunctio δὲ Aristonico adiungit ι, 688 et ξ, 114, καὶ μ, 450. Ἄλλως interponitur ξ, 304.

breves notationes dicas κ, 497. ο, 33. π, 140. ρ, 134. ω, 269. Utrius sit ο, 21: *Ζηνόδοτος οὐδὲ ὅλως τὴν κόλασιν τῆς Ἥρας*, non diiudico.

Quodsi in Aristonici et Didymi locis distinguendis recte versati sumus, duas partes notarum Zenodotearum Aristonici esse efficitur. At non dissimulamus, multos fortasse locos, quos Didymo ascripsimus, Aristonici esse (contrarium vix commisimus errorem); verum, utut hoc est, multo maiorem notarum partem ex Aristonico esse desumptam dubitari nequit.

Insigne codicis Veneti A praeter Scholia ornamentum Aristarchi sunt signa critica margini ascripta [23]), quorum *διπλῆ περιεστιγμένη* Aristarchum contra Zenodoti lectiones esse usum scimus [24]). Cf. quae Villoiso p. LX e codice S. Marci CCCCLXXXIII p. 46 protulit: *Ἡ περιεστιγμένη διπλῆ πρὸς τὰς Ζηνοδότου καὶ Κράτητος γραφὰς καὶ αὐτοῦ Ἀριστάρχου* [25]). In codice A (apud Bekkerum p. III) locus de signis illis legitur, cuius initium periit. En ipsa verba: *Ἡ, τὸ ἔφη· ὁ δὲ (Ζηνόδοτος) τοῦτο μὴ νοήσας, ἀλλὰ λαβὼν πάλιν τὸ φὴ ἀντὶ τοῦ ὡς, ὑπέταξεν ἐκ περισσοῦ πέφραδέ τε Τρώεσσι καὶ εὐχόμενος ἔπος ηὔδα* (cf. Schol. ξ, 499 sq.)· *σημειοῦται δὲ (Ἀρίσταρχος) πρὸς αὐτὸν (Ζηνόδοτον) ἀπεριστίκτῳ διπλῇ (καὶ) τὰς ὁμωνυμίας ἁπάσας, ὅτι οὐ νοήσας τὸ τοιοῦτον ὁτὲ μὲν Πυλαιμενέα, ὁτὲ δὲ Κυλαιμενέα* (cf. Eustath. ν, 643)· *πρὸς μὲν Ζηνόδοτον αὐτῷ ἡ παράθεσις τῆς περιεστιγμένης διπλῆς πρὸς ἑκάστην γραφὴν ἀκριβέστερον θεωρεῖται.* Initio huius loci auctorem de *διπλῇ ἀπεριστίκτῳ* loqui patet, de qua grammaticus ille apud Villoisonem: *Τίθεται πρὸς ἱστορίας καὶ σχηματισμοὺς καὶ ἑτέρας ποικίλας χρείας καὶ πρὸς τὰς ἅπαξ εἰρημένας λέξεις καὶ πρὸς τὰ ἐναντία καὶ μαχόμενα τῶν νοημάτων.* Versum ξ, 499 notaverat *διπλῇ, ὅτι ὁ ποιητὴς οὐδέποτε οἶδε τὸ φὴ ἀντὶ τοῦ ὡς, οἱ δὲ μετ' αὐτόν.* Isidor. Origg. I, 20, 15: „Diple *περιεστιγμένη* i. e. cum geminis punctis. Hanc antiqui in iis apponebant, quae Zenodotus Ephesius non recte adiecerat aut detraxerat, aut permutaverat." Cf. Anecd. Paris. in ephe-

---

23) De alio codice *σεσημειωμένῳ* cf. Villoisonem Prolegg. p. XIV De signis criticis vide praeter Montefalconium Hexapl. Origg. p. 36 sqq. et Villoisonem p. XI sqq. Clintonis Fast. Hellen. III p. 491 sqq. et Graefenhanium II p. 92 sqq.

24) Lehrsius p. 15 recte concedit, uno alterove loco ab Aristarchi discipulis signa addita esse ex mente praeceptoris. Aristarchi adversarios *διπλῇ περιεστιγμένῃ* contra ipsum Aristarchum usos esse non minus est probabile.

25) Quod in Crameri Anecd. Par. III p. 293 e cod. Harlei. 5693 legimus: *Ἡ ἀπερίστικτος διπλῆ πρὸς τὰς Ζηνοδότου μεταγραφάς*, male se habere, vix est, quod moneam. Aberravit librarius, diversa miscens.

mer. stud. antiquit. 1845. p. 87. In Platonis libris eadem diple appicta erat πρὸς τὰς ἐνίων διορθώσεις (Diog. Laert. III, 65). At ne putes omnibus, quibus διπλῆν περιεστιγμένην Aristarchus apposuit locis, Zenodoti *emendationes* notari, cf. β, 196, ubi eius scripturam apud Aristotelem invenimus; falsas tantum, quae Aristarcho videbantur, hoc signo indicavit Zenodoteae editionis, quam correxit, scripturas. Invenimus διπλῆν περιεστιγμένην Zenodoti lectionem aut ἀθέτησιν notantem in nostro codice his locis 26): α, 42. 56. 60. 68. 69. 73. 80. 100. 198. 203. 204. 208. 209. 249. 251. 271. 299. 310 27). 336. 351. 393. 530. 567. β, 89. 111. 119. 144. 196. 220. 227. 228. 231. 239. 297. 299. 302. 314. 318. 435. 507. 521. 528. 532. 553. 571. 579—581. 612—614. 616. 626. 634. 641. 642. 658. (cf. ε, 638). 667. 673—675. 690. 694. 697. 718. 724. 725. 727. 852. γ, 18. 28. 56. 71. 74. 92. 99. 100. 152. 155. 211. 273. 277—280. 331. 335. 364. 423—426. δ, 3. 88. 89. 161. 277. 282. 339. 348 (cf. ο, 640). 478. ε, 31. 53. 128. 146. 156. 162. 187. 194. 323. 329. 807 (ἡ διπλῆ Schol.). 898. ζ, 34. 112. 266. 511. η, 9. 32. 114. 127. 153. θ, 25. 26. 53. 128. 139. 207. 312. 377. 378. 493—495 (excidit signum ante ν, 496). 501. 503. 526. 562. ι, 14. 29—31. 28) 131. 405. 502. 537. 612. 641. 664. κ, 98. 317. 345. 346. λ, 104. 142. 368. 413. 458. 480. 528. 548. 730. 782. 794. 795. μ, 34. 230. 346. 348 (ἡ διπλῆ Schol.) 359. 365. 366. 368. ν, 10. 68. 148. 172. 315. 423. 610. 627. 692. 808. ξ, 37. 118. 135. 136. 162. 169. 208. 274. 366. 394. ο, 138. 169. 225. 356. 377. 439. 587. 640. 716. π, 89. 90. 92. 93. 140. 150. 161. 188. 202. 243. 432. 506. 666. 677. 697. 710. 748. 807. ρ, 51. 153. 260. 261. 595. σ, 160. 230. 247. 287. 584. τ, 14. 26. 77. 384. υ, 11. 114. 273. 484. φ, 2. 95. 169. 195. 335. χ, 216. 378. ψ, 307. 527. 753. ω, 294. At signa critica, quod iam Wolfius in censura supra laudata p. 251 monuit, non integra esse facile colligis. Multis locis, quod de nonnullis certo demonstrari potest, male ἡ διπλῆ περιεστιγμένη appicta est pro ἀπερίστικῳ. Huc refero α, 58. 59. 65. 93. 148. 194. 262. 270. 305. 307. 320. 330. 564. 572 (ἡ διπλῆ Schol.). β, 93. 115. 116. 122 (ἡ διπλῆ Schol.). 440. 486. γ, 250. 325. 333. 395. δ, 232 (ἡ διπλῆ Schol.). ε, 138. θ, 560 (ἡ διπλῆ Schol.). μ, 442. ν, 67. σ, 236 29).

---

26) Animadvertas omnia signa excidisse ε, 334—637. ρ, 262—587. τ, 126—326. ω, 397—588.

27) Heynius (IV p. 92): „Signo nil in Schol. respondet. Sed respicit forte Schol. ad ν, 143, quem Zenodotus eiiciebat."

28) In Bekkeri editione Scholium excidit.

29) In plurimis locis iam Heynius commutationem signorum observavit, quem satis diligenter in σημείοις codici appictis, quae

Rarius ἀπερίστικτος pro περιεστιγμένη apponitur. Cf. α, 63. β, 55. 161. 187. Excidit Scholium, quod διπλῆς περιεστιγμένης causam tradidit, η, 250 (cf. υ, 273). ρ, 328 et fortasse γ, 277. De loco β, 485 suspiceris παρῆστε, quam scripturam τινὰς habuisse Schol. refert, Zenodoti fuisse, at praestat signum ad priorem referre versum, quod idem de σ, 155 statui debet. Διπλῆ περιεστιγμένη α, 7 adversum 8 pertinet. Plurimis locis, quibus variam Zenodoti novimus scripturam, (in libro primo plus viginti versibus), nullum signum in codice Veneto appictum reperimus.

Sed revertamur ad Scholia, quae non integriora, quam signa critica servata sunt. Multas Aristonici et Didymi notas excidisse negare nequis. Primum compara notas Aristonici et Didymi de Zenodoto, quarum ad librum α quadraginta sex numeramus, in libris vero τ et φ septem in utroque notas Aristonici, nullam Didymi, in libro χ duas tantum Aristonici invenimus. Quis putet hic veram Zenodoteae editionis referri formam, quacum in illis libris ubique fere Aristarchus convenerit? Atque animadvertas Aristarchum cuique loco, quo Zenodotea discrepabat recensio, διπλῆν apposuisse περιεστιγμένην ab Aristonico expositam; in Scholiis vero codicis A saepissime Aristonici notam hoc loco invenimus, quam similibus locis desideramus [30]). Denique non desunt loci, quibus Zenodoteam scripturam cum Aristonici nota excidisse scimus, cuius rei pauca sufficit attulisse exempla. Cf. α, 5. 57 (coll. μ, 463). ε, 428. ν, 643. π, 233. τ, 239 (coll. κ, 175. ν, 692). Hinc patet in nostro codice non omnes Aristonici et Didymi notas scriptas, multas esse omissas, quarum nonnullas in alliis codicibus servatas videmus.

De codice Veneto B (Cod. Graec. CCCCIII Bibl. Ven. S.

---

hodie nimis negligi nuper Bergkius merito questus est, versatum esse video. Egregie vero vir eruditissimus eo erravit, quod versus a Zenodoto proscriptos in codice obelis notatos esse sibi persuaserat. Cf. IV p. 133.

30) Α, 80. γ, 71. 92 Zenodoti scripturam κρείσσω pro κρείσσων annotatam habemus, at π, 688 pro Zenodoto τινὲς laudantur (Aristonicum ipsum Zenodotum nominasse quis dubitet?); ρ, 176. τ, 217. υ, 334 nulla varietas commemoratur. Nominativus ἀμείνω η, 114 Zenodoto tribuitur, γ, 11 τισίν (cf. Od. β, 180, ubi γράφεται), at celeris locis, α, 404. ε, 173. 411. ζ, 479, aliis, deest Aristonici nota. Ἴδης pro Ἴδη Zenodoti esse ν, 449 audimus; Zenodoti nomen excidit α, 203, γ, 163, varia lectio δ, 98. 195. Zenodoti scriptura Πουλύδαμαν μ, 231. ξ, 470 commemoratur, minime ν, 751. σ, 285. Ἡρακλείη et Ἡρακλείην Zenodotum scripsisse legimus, sed excidit nota ο, 640. Eadem invenies, si ρ, 302 cum δ, 478, ι, 66 cum θ, 503 comparas.

Marci [31]), undecimo saeculo scripto, primum videamus, qui novas Zenodoti scripturas his locis adfert: α, 80 [32]). 400. β, 35. 258. γ, 18. [33]) ε, 906. [34]) ζ, 54. η, 451. ν, 198. ο, 86. π, 141. φ, 575. [35]) ω, 293. Nota β, 89 ad Zenodoti *γλώσσας* spectat [36]). Plurimae harum notarum e Didymo, α, 80. 400. ω, 293 ex Aristonico desumptae [37]). Inter Porphyrii notas codici B ascriptas una β, 89 legitur, quae Zenodoti interpretationem e *γλώσσαις* refert. Minus recte cod. B β, 1 *ὧλλοι* pro *ὦλλοι* habet. *O*, 439 *Ἀρίσταρχος* male pro *Ζηνόδοτος* legitur, σ, 576 *κραδαλὸν* pro *ῥαδαλόν* (cum Schol. V). *B*, 434 Schol. A: *Ἀρίσταρχος ἀφέντες*, *Ζηνόδοτος ὑφέντες*, Schol. B L: *Ζηνόδοτος μὲν ὑφέντες*, *αἱ δ᾽ ἄλλαι πᾶσαι ἐφέντες*, ubi *ἀφέντες* legendum. *B*, 52 Schol. B: *Ἀρίσταρχος δὲ καὶ Ζηνόδοτος διὰ τοῦ ν̄*, ubi corrige: *καὶ Ἀρίσταρχος· Ζηνόδοτος δὲ διὰ τοῦ ν̄*. At tales errores, qualium ne cod. A quidem est immunis (cf. β, 297. κ, 253. ξ, 114. ο, 307 et alia exempla mox laudanda), auctoritatem codicis B iis locis, quibus nulla adest dubitationis causa, ne minimum quidem imminuere poterunt.

Maior Zenodotearum notarum, quas in cod. A desideramus, copia in codice Victoriano legitur [38]). Loci vero hi sunt: ε, 293.

---

31) Cf. de hoc codice Villoiso Prolegg. p. XLV.

32) *Ἀθετεῖ δὲ καὶ τὸν στίχον* (*Ζηνόδοτος*).

33) *Τὸ αὐτὰρ παρὰ Ζηνοδότῳ καὶ τοῖς ἄλλοις οὐκ ἐπάγεται τὸ ἄρθρον.* Cf. Schol. A, qui Zenodotum omisit.

34) Male Schol. L V: *Ἀρίσταρχος ἀθετεῖ*, quum non obelus appictus sit; dubitavit tantum.

35) *Z*, 54. η, 451. ο, 86. φ, 575. Schol. A varietatem omisso Zenodoti adfert nomine. In Bekkeri editione priori notae φ, 575 male D pro A ascribitur.

36) Cum codice V consentit B ν, 198, φ, 575, cum codice L α, 80. 400. γ, 18. η, 451. ν, 198. ο, 86. π, 141.

37) Cod. B etiam alia gravissima habet, quae desunt in codice A, ut β, 258 Sinopicae et Massilioticae editionis lectiones.

38) Heynius IV p. 670: „Victorianus Scholia antiqua, quae Venetus A exhibuit, cum Scholiis alterius classis, cuius caput est Venetus B, coniunxit, ita tamen ut multa in compendium redigeret, interdum detruncaret: quo ipso difficultates et molestias mibi attulit, quae fastidium saepe facerent. — Enotavi nomina veterum Grammaticorum in ceteris Scholiis omissa. Ceterum in multa incides praeclare observata, et in fragmenta veterum poetarum et scriptorum aliunde mihi haud nota." Bekker p. III: „Petri Victorii, ut videtur, aetate scriptus, initio mutilus." Cf. Thiersch. Act. Monac. II p. 561 sqq.

416. 466. *ϑ*, 37.[39]) 113. 470. *ι*, 128.[40]) *κ*, 534. *λ*, 138. 799. *μ*, 161.[41]) *ν*, 2. 449. *ξ*, 40.[42]) 470. *ν*, 610. *ο*, 179. 265. 277. 333. *π*, 97. 234. 237. 281. *ρ*, 214. 368. 392. 404. 456. 545. *σ*, 576. *τ*, 246. *φ*, 242. 575. *ω*, 486, quorum plurimi e Didymo desumpti videntur. Quinquies Schol. V Zenodotum nominat, ubi in Schol. A *ἄλλοι*, *τινὲς* aut aliorum grammaticorum nomina. Cf. *ε*, 293. *λ*, 799. *μ*, 161. *ξ*, 40. Contrarium invenimus *ν*, 2 et *ξ*, 118. Posteriore loco Aristarchi et Zenodoti nomina confunduntur, quod alias quoque in Schol. V fieri videmus. Cf. *ε*, 906. *ν*, 166. 466. *ξ*, 223. *ο*, 179. Huc etiam *ο*, 206 refero: *Ζηνόδοτος ἐσημειώσατο*[43]). Scholium, quod apud Bekkerum *ξ*, 395 legitur, ad versum 398 pertinere, iam ante Spitznerum vidit Heynius (VI p. 656). Nonnullis locis Scholia corrupta sunt. *Α*, 430 pro *Ζηνόδοτος* Heynius (IV p. 680) recte emendavit *ζητεῖται*, ubi post *ἐκεῖσε* videtur *γὰρ* excidisse. *Β*, 225 pro *διὰ τοῦ ην* scribe *διὰ τοῦ η*. *Θ*, 304 pro *Αἰσύνηθεν* emendandum *Αἰσύμνηθεν*. *Λ*, 180 lege *Ζηνόδοτος δὲ οὐδὲ ἔγραφεν*[44]), *μ*, 59 *καββαίη*, *μ*, 348 *καὶ κεῖσε*, *ο*, 179 *καὶ κεῖνος*, *ο*, 225 *ἐνέρτατοι*. *Π*, 188 restituo: *Ζηνόδοτος προφόωσδε*, *Ἀρίσταρχος χωρὶς τῆς πρό*. *Σ*, 201 male *περὶ* habet Schol. V pro *ποτί*. Errat Schol. V *ξ*, 259, at veriora, quam Schol. A, tradit *ξ*, 351 et 376, nec non *ϑ*, 213[45]). Multa gravissima de Homericis editionibus testimonia in cod. A omissa servavit cod. V, ut de editionibus *πολιτικαῖς* (*ε*, 461. *π*, 59. *φ*, 282. 576. *χ*, 294. *ω*, 304), de Rhiano (*π*, 59. *ω*, 584), Zenodoto Mallote (*ν*, 730. *σ*, 262)[46]).

Accedamus ad Lipsiensem codicem, Bachmanni opera nunc accuratius notum, qui, ut ea mittam, quibus cum Schol. B et V convenit, Zenodoti scripturas in Schol. A non commemoratas quinquies praebet. Cf. *α*, 539. *β*, 36. 196. *ι*, 131. 660. Rectiora, quam

---

39) Ubi pro: *Οὐδὲ ἐν τῇ Ζηνοδότου δὲ ὁ φέρων* (Heynius V p. 725 lacunam habet pro *δὲ ὁ φέρων*) legendum: *Οὐδὲ ἐν τῇ Ζηνοδότου ὁ στίχος ἐφέρετο*.

40) Hic Zenodoti et Aristarchi nomina sunt confusa.

41) Post alterum Scholium apud Bekkerum male V pro A legitur.

42) Schol. A: *Παρὰ δὲ Ζηνοδότῳ ἐγέγραπτο ἑταίρων ἀντὶ τοῦ Ἀχαιῶν*. Schol. V: *Ζηνόδοτος πῆξε καθ᾽ ἑτέρως*. Emendavi *πῆξε καὶ ἑταίρων*. *Πῆξε* Zenodoto tribuit Eustathius.

43) Cf. Schol. *β*, 668. *δ*, 117. Villoiso Prolegg. p. XVIII.

44) Spitzner non satis recte: „Excidit *γράφει*, ea in re sollemne."

45) In Bekkeri editione *πύργως* error typographicus pro *πύργων* videtur. Cf. Heynius V p. 726. *Ν*, 237 Schol. V recte *συμφερτή*, Schol. A male *συμφερτός*.

46) Cf. Eustath. p. 950, 10 sq. (*κατὰ τοὺς παλαιούς*). p. 1016, 61. Consentit Schol. V cum L *ε*, 293. 416. 466. 906. *ν*, 198.

cod. A, ι, 688 tradit. Cf. Bachmann. Vitiosa sunt Scholia α, 559. 609. ε, 898 (cf. Bachmann.). ϑ, 309. ν, 423. π, 515.

Quodsi codices B, V et L multas Aristonici et Didymi servasse vidimus notas a Schol. A omissas, quas fictas esse nemo contendet, severum Lehrsii iudicium p. 38, „codicibus V et L et iis, quae cod. B cum iis communia habet, nullum unum verbum credendum esse", non possumus, quin reiiciamus. Atque ipse Lehrsius omnem fidem iis derogare non potuit. Non minus a vero abhorret, quod Bergkius (in ephemer. stud. antiquit. 1846 p. 486. 489) adfirmat, codices B, V et L Aristarchearum scripturarum fontes non esse habendos. Vidimus enim, quod uberius persequi huc non pertinet, multas Aristonici et Didymi notas, genuinos editionum Aristarchearum auctores, hic inveniri, quae in codice A exciderant, quem diligentius accuratiusque scriptum esse non negamus, quamquam errores non desunt [47]).

In Ὁμήρου ἐπιμερισμοῖς a Cramero in Anecd. Ox. T. I et in Scholiis codicum Parisiensium Reg. 2679. 2767. ab eodem Cramero in Anecd. Par. T. III editis duas Zenodoteas ab aliis non testatas scripturas invenimus, γ, 163 (I, 209) et ε, 428 (I p. 409). Scholium de γ, 273 (I p. 239. cf. Anecd. IV p. 329) ex Etym. v. κεφαλέων desumptum. De loco α, 169 Crameri Schol. (III p. 275) veriora tradit, quam Schol. A. Cum Schol. A consentiunt (apertos enim librariorum errores non moramur) Scholia δ, 137 (III p. 9. 282). σ, 198 (III p. 287). 576. 579 (III p. 290). υ, 114. 331. 336 (III p. 290 sq.), cum B et L α, 434 (III p. 277) et υ, 273 (III p. 291).

Iam ad Eustathium transeamus, cui novas Zenodoti scripturas paucas debemus. *B*, 529 sq. et η, 475 Zenodotum obelo confodisse refert (p. 276, 40 sqq. 692, 22), ubi Schol. Aristarchi commemorant ἀϑετήσεις. *N*, 643 et ο, 333 Zenodoti scripturas tradit (p. 953, 2. 1018, 44). Quod de scriptura δαῖτα habet (p. 19, 45. 256, 9), ex Athenaeo desumpsit, quae β, 852 (p. 316, 19 sq.) legimus, e Strabone. Aliunde non novimus: Καὶ ὁ Βελλεροφόντης δέ φασιν Ἐλλεροφόντης ἐν τοῖς Ζηνοδότου εὕρηται (p. 289, 39). Cum Schol. A consentit Eustathius α, 400 (p. 123, 23. 124, 38 sq.). β, 60 (p. 173, 9 sqq. 175, 44). [47a]) 314 (p. 229, 20 sq. 290, 39. 490,

47) Iis, quos iam significavimus, locis unum addere liceat. *N*, 60 Schol. A: Διχῶς Ἀριστοφάνης, ubi Ἀρίσταρχος legendum esse quivis videt, quod Schol. V et Eustathius confirmant, sed in V pro τετυφὼς restituendum κεκοφώς. Spitzneri iudicium in re aperta miror. Duplex lectio nusquam Aristophani, saepissime Aristarcho tribuitur.

47a) Unde in Schol. A pro ἀνώγει corrigendum ἠνώγει.

41). 484 (p. 260, 28. 46). 507 (p. 270, 37). 520 (p. 274, 34 sq.). θ, 349 (p. 716, 55). ι, 130 (p. 741, 6 sqq.). ξ, 40 (p. 966, 19). 499 (p. 999, 30). π, 748 (p. 1084, 30 sq.). ρ, 134 (p. 1098, 50 sq.), cum Schol. B L V ν, 198 (p. 927, 34 sqq.). Zenodoti scripturae α, 404 et ν, 824 (p. 124, 39 sq. et 962, 15) restituendae e Schol. A. Δ, 3 Schol. A: Οἱ δέ φασιν Ζηνοδότειον εἶναι τὴν γραφὴν (ἐνῳνοχόει), Eustathius (p. 438, 11 sq.): Ζηνόδοτος δὲ ἐνῳνοχόει γράφει διὰ προθέσεως. Zenodotum β, 672—674 obelo notasse non accurate dixit (p. 317, 30 sqq.), quum ille versum 672 non proscripserit, versum 674 vero omiserit. Duplicem errorem commisit ο, 64 (p. 1006, 3 sq.), et Zenodotum Malloten pro Ephesio ponens, et locum, quem non legerat Zenodotus, a versu 65 incipiens.

Ad Odysseam progredientibus querendum est de Scholiis multo minus integre, quam in Iliade servatis, quamquam non paucae notae de Zenodoti scripturis testantes feliciter ad nos delatae sunt. Ditissima sunt Scholia Harleiana [48]), quibus Zenodotea his debemus locis: α, 38. 261. 337. β, 41. 42. 81. γ, 11. 50. 216. 217. 307. 313. 335. 368. 378. 380. 400. 489. δ, 1. 70. 162. 353. 366. 370. 498. ε, 132. 459. ζ, 1. 137. 256. 289. η, 13. 41. 217. 222. θ, 23. 142. 251. ι, 116. κ, 41. 70. 160. 239. 351. λ, 26. 38. 93. 191. 245. 249. 498. μ, 15. 209. 284. 290. 297. 388. 422. ν, 213. ξ, 8. 22. 171. 231. 295. ο, 244. π, 104. ρ, 111. 222. σ, 196. Plurima e Didymo, pauca ex Aristonico desumpta videntur; Herodianum agnoscas γ, 50. Ambrosianorum codicum primum obtinet locum Part. sup. Q. 88 [49]), qui multis locis (undeviginti numero) cum Harleiano consentit, causas addens a Porsone omissas aut argumenta, quibus Zenodotus refutatur; quater nova profert, γ, 216. 228. δ, 158. η, 15 (ex Aristonico). Codex B nullam adfert Zenodoti scripturam, codex E [50]) quattuor tantum, ex Harl. et Q cognitas (γ, 217. δ, 353. 366. 370). Codex Palatinus [51]) in libris δ, ε, ζ, η Zenodotea refert novem locis, aliunde nota; novum est Scholium Aristonici η, 140. Codex Vindobonensis 133 cum Harleiano con-

---

48) Buttmannus excerpta Porsonis edidit, quae omnes fere veteres scripturas sed causis iudiciorum et ἀθετήσεων omissis praebere videntur.

49) Maius: „Haud antiqua manu exaratus universam Odysseam pretiosissimis et uberrimis Scholiis instructam habet, quae tamen Scholia in postremis libris rarescunt."

50) Novem priores tantum libros habet; multis locis folia, quae exciderant, a recentiore manu suppleta sunt.

51) Buttmannus p. X refert, libris δ—η Scholia melioris notae habere codicem Palatinum, maximam partem cum Q et Harl. conspirantia, aliis libris pauca eaque non optima ascripta esse.

sentit *λ*, 498. *μ*, 209. 297. 388. *ρ*, 111. *σ*, 196. *Π*, 81 Vindob.: *'Αθετεῖ Ζηνόδοτος ιη'*, ubi Harl. et Q: *Νοθεύονται ιη'*. Hamburgensia Scholia a Prellero edita ter tantum Zenodoti faciunt mentionem. *Γ*, 11, ubi *ἦσαν* male legitur pro *σεῖσαν*, cum Harl. et Q, *γ*, 216 cum Q consentiunt. Ad *α*, 3 Preller: „Videtur scriptum esse: *Ζηνόδοτος νόον ἔγνω φησὶ ἄμεινον*. Sequentia non potui extricare," quae non ad lectionem, sed ad interpretationem mihi videntur referenda. Cf. Eustath. p. 1382, 4 sq., unde codice inspecto locus fortasse extricari poterit. Denique nuper Cramer in Anecd. Par. III Scholia e codicibus Par. Reg. 2679 et Harlei. 5674 edidit, quae accuratiora *δ*, 62. *κ*, 70. *λ*, 244 (p. 438. 464. 471), nova *δ*, 379 (p. 442) et *λ*, 362 (p. 473) de Zenodoto tradunt [52]).

Eustathius cum Scholiis consentit *γ*, 313 (p. 1470, 7 sqq.). *δ*, 1 (p. 1478, 37). 169 (p. 1490, 23, ubi *ὥς φασιν οἱ σχολιασταί*). 366 (p. 1500, 40). Quod Zenodotus *δαὶς ἐΐση* explicaverit *δαὶς ἀγαθή* (*α*, 138 p. 1401, 55), ex Athenaeo desumpsit, scripturam *οὐθὲν σ*, 130 (p. 1841, 22) ex Ammonio. Ex Heraclide, saepius ab Eustathio laudato [53]), de Zenodoto refert *υ*, 106 (p. 1885, 53). Neque aliunde notum, quod de forma *οἶσθας ο*, 20 (p. 1773, 28) legimus.

Tantum de Scholiis et Eustathio. Pauca restant de aliis scriptoribus monenda, quorum fontes sine dubio Aristonici fuerunt et Didymi notae. Strabo (IX, 2 p. 633 C (edit. Almelov.). XII, 3 p. 819 A. 830 C) Zenodotum memorat *β*, 507 *Ἄσκρην* et *β*, 852 *ἐξ Ἐνετῆς* dedisse. Apollonius Sophista bis Zenodoti scripturas e Scholiis iam cognitas adfert, *α*, 83 p. 697, *γ*, 206 p. 26, ubi pro *σῆς* corrigendum *ἧς*. Neque nova praebet Apollonius Dyscolus. Cf. de constr. I, 2 p. 5. 38 p. 77 (*β*, 1). II, 21 p. 163 (*υ*, 261). 22 p. 166 (*ξ*, 118). p. 167 (*α*, 8). de pron. p. 357 (97) A (*ν*, 261). p. 397 (137) C (*ξ*, 118. *ω*, 486). p. 400 (140) B (*α*, 609). De Herodiano, Apollonii filio, supra vidimus. Athenaeus I, 21 et Zenodoti interpretationem, *δαῖτα ἐΐσην τὴν ἀγαθὴν λέγεσθαι*, adfert et *δαῖτα* pro *πᾶσι* (*α*, 5): utrumque Eustathium recepisse iam diximus.

---

52) *Δ*, 498 Porso: „Eiecit Zenodotus, quem refellit Scholiastes ex versu 551." Apud Cramerum (p. 443) ipsa legimus verba: *Ζηνόδοτος τοῦτον ὅς* (emendo *τοῦτον στίχον οὐ*) *γράφει· ἀναγκαῖον* (*ἀναγκαῖος*) *δὲ καὶ αὐτὸν εἶναι* (*αὐτός ἐστι*) *διὰ τὸ λέγειν ὕστερον Μενέλαον·*

Οὐ (lege *σὺ*) *δὲ τρίτον ἄνδρ' ὀνόμαζε.*

53) Cf, Fabricii Bibl. Gr. I p. 476. Graefenhan. III p. 64 sq. 160 sq.

Stephanus Byzantinus praeter scripturam aliunde notam *β*, 752 (v. *'Αντρῶν*)[54]) tradit, Zenodotum *π*, 233 legisse *Φηγωναῖε* (v. *Δωδώνη*).

In Etymologico magno quattuor scripturae iam e Scholiis cognitae laudantur *β*, 1 (p. 821, 39). *γ*, 273 (p. 507, 15. 22. Cf. Etym. Gud. p. 318, 2. 8). *λ*, 754 (p. 271, 22). *σ*, 576 (p. 701, 52). At in eodem Etymologico aliis locis alius Zenodotus commemoratur, quem Sylburgius, Heynius et Spitzner cum Ephesio mire confuderunt, quum ab omni Alexandrinorum doctrina sit alienus, quod iam Wolfium Prolegg. p. CCXV et Muetzellium l. l. p. 281[55]) perspexisse video. Locos ipsos percensentes initium capiamus a v. *ἀραριημένος*, ubi Zenodotus Herodiani sententiam attulit et probavit; legimus enim in fine expositionis: *Ταῦτα Ἡρωδιανός· οὕτω Ζηνόδοτος* (p. 134, 56). V. *γόον*, prolatis Apollonii et Herodiani sententiis, addit Zenodotus: *Πειθόμεθα Ἀπολλωνίῳ* (p. 238, 28)[56]). V. *κρίκε* Herodianum *κρίκε* dicit habuisse *ἡμαρτημένον ἀόριστον*, atque ipse addit Zenodotus (p. 539, 7 sq. Cf. Etym. Gud. p. 347, 34 sq.): *Ἡμεῖς δὲ οὐ φαμὲν ἡμαρτῆσθαι, ἀλλὰ πεποιῆσθαι.* Quis non videt Zenodotum, qui hic laudatur, Herodiano esse iuniorem? Nihilominus Spitzner *π*, 470 Zenodotum *κρίκε* in Homero habuisse ex hoc loco demonstrat, neque Heynius (VII p. 222) de Ephesio dubitat. V. *ὀψείοντες* Zenodotus Herodiani sententia, qui *ὄψεσθε* praesentis esse formam dicit, reiecta, *ὄψεσθε* aut futurum esse statuit, aut aoristum. *Ἢ ὅτι οὐδὲ τὸ ψ ἐστὶ χαρακτηριστικὸν τοῦ ἐνεστῶτος· οὐκ ἄρα ἐστὶν ἐνεστὼς, ἀλλὰ μέσος ἀόριστος πρῶτος· ὄψαι, ὀψάσθω, ὄψασθε, ὀψάσθωσαν.* Excidit, ni fallor, commemoratio vocalis mutatae. Quid apertius? At Heynius VIII p. 740 Zenodoti verba turbata esse dicit, qui pro imperativo aut habuerit *ὄψεσθε*, aut legerit *ὄψασθε* ab *ὀψάμην*. Spitzner vero ad *ω*, 704 scribere non dubitavit, Zenodotum, Ephesium nimirum criticum, illo loco Homerico dedisse *ὄψασθε*. Explicationem formae *κέκλυτε* Etymologicum ex Zenodoto (*οὕτως εὗρον ἐν τῷ Ζηνοδότου*) hausit,

---

54) Ubi pro *ἀγχίαλον Ἀντρῶνα* legendum *ἀγχιάλην τ' Ἀντρῶνα.*

55) „Nam post Herodiani memoriam vixisse istum colligitur ex Et. M. p. 134, 56. 238, 28. 539, in. 646, 20 sq. Deinde ea fuit illius eruditio ingeniique indoles, ut, quum proxime accedat ad similitudinem *Byzantinorum post Choerobosci aevum grammaticorum*, vix multum ab eorundem aetate abfuisse censendus sit.'

56) Mire hic aberrat Heynius (V p. 290): „Etymologus astipulatur Apollonio; adiectum: *οὕτω Ζηνόδοτος.* Potest is esse iunior, Alexandrinus. Verum tum alius Apollonius esse debet, cui is astipulari se dicit, non Dyscolus, aetate, ut videtur, inferior." Cur Zenodotum Herodiano iuniorem intelligere noluit, quem verba clare demonstrant?

qui Apollonium commemoraverat (p. 520, 44. 52). V. δέδοικα Zenodotus formam δέδοικα e δέδοιδα ortam dicit et spernit miram Alexandri Cotyaensis, qui Marci Antonini imperatoris praeceptor erat [57]), sententiam. V. σχὲς iam a verbis ἀπὸ τοῦ σχῶ Zenodoti incipit expositio. Verba Χοιροβοσκὸς — φωνῇ ante ὁ δὲ Ἀπολλώνιος transponenda videntur. Cf. Choerobosc. II p. 107 ed. Gaisford. Adde vv. γέλαν et ὑφύφασται, qui loci toti ex Zenodoto desumpti sunt. Quod idem valet de v. καί σφεας p. 498, 16 sqq., ubi de critico Ephesio male cogitarunt Heynius (IV p. 50) et Spitzner (α, 114). At expellendum Zenodoti nomen v. δέμα, ubi nunc legitur (p. 231, 27 sq.): Δέμα Ζηνόδοτος παρὰ τὸ δέω καὶ ζέω· πῶς οὐ λέγεται δεῦμα καὶ ζεῦμα, ὡς πνέω πνεῦμα καὶ ῥέω ῥεῦμα; Mecum facile repones: Δέμα καὶ ζέμα παρὰ τὸ δέω καὶ ζέω. V. ἦν (p. 421, 11 sq.) legimus: Λέγεται δὲ τετραχῶς· λέγεται γὰρ ἦν καὶ ἔην καὶ ἤεν, καὶ ἤην παρὰ τῷ ποιητῇ ἐν Ὀδυσσείας τ'· καί κεν πάλαι ἐνθάδ' Ὀδυσσεὺς ἤην· οὕτω Ζηνόδοτος· καὶ ἐν Ἰλιάδος λ'· ἵνα σφ' ἀγοσθένης ἤην [58]). Hic verba: οὕτω Ζηνόδοτος post versum Iliadis ponenda sunt, ut totus, qui praecedit, locus Zenodoti sit illius, si dis placet, Herodiano iunioris. V. ἱέναι (p. 467, 14) verba ζήτει εἰς τὸ εἶμι (cf. p. 301, 12 sqq.) post οὕτω Ζηνόδοτος καὶ πάντες, οὓς ἀνέγνων, relego, ut οὕτω Ζηνόδοτος ad totum locum, qui praecedit, minime ad versum Homericum pertineat. Ἴασσι altero Etymologici loco pro ἴασι error librarii. Hos omnes locos tam alienos esse ab Alexandrinorum doctrina quivis videt, ut de Ephesio critico cogitare nequeas et Zenodotum grammaticum quinti sextive saeculi Christiani fingas. At novum Zenodotum minime creandum esse arbitror, verum, quum Zenodoti et Zenobii nomina tam crebro permutentur [59]), his locis Zenobii nomen libenter mecum reponas. Restat locus, quem consulto hactenus omisimus. V. ἀμφισβητεῖν (p. 94, 24 sqq.) primum Methodii traditur etymologia, tum addit Etymologicum: Ὁ δὲ Ζηνόδοτος, ὅτι . . . Zenobio autem et Methodio Etymologicum eodem fere modo utitur, ut nunc ex hoc, nunc ex illo glossas sumpserit. Quodsi locos in Etymologico e Zenobio allatos respicis (p. 23, 56, ubi Ζηνόβιος εἰς τὸ ῥητὸν τοῦ Ἀπολλωνίου [60]). p. 30, 51—56. p. 56, 20—28. p. 72, 18—23. p.

57) De Alexandro Cotyaensi cf. Lehrs. quaest. epicae p. 8 sqq., quem locus Etymologici (cf. p. 12 sq.) non fugit.

58) Locus corruptus est; scribe ἵνα σφ' ἀγορή τε θέμις τε ἤην (λ, 807 sq.). Aberravit Sylburgius; Iliadis versum iam indicavit vir doctus anonymus. Cf. Etym. II p. 883.

59) Cf. Fabric. Bibl. Gr. V p. 108. [Paroemiogr. Gr. ed. Schneidew. et Leutsch. p. XXIV.]

60) Ad locum scilicet Apollonii Rhodii I, 1171. IV, 38. Mi-

112, 46—113, 4. p. 127, 54—128, 16. p. 193, 39—56. p. 194, 32—45. p. 639, 16—34. p. 712, 30—45), hos illis e Zenodoto laudatis tam similes esse deprehendes, ut de veritate nostrae coniecturae, e qua grammaticum Zenodotum Herodiano iuniorem Zenobio restituto expellamus, dubitare nequeas.

Denique ad fontes Zenodoteae quaestionis nuper accessit tabula Iliaca Parisiensis ab Hadriano Longopetreiano (de Longpérier) primum edita in ephemeridibus recensioni philologicae dicatis (Revue de philologie I, 441). Cf. ephemer. stud. antiquit. 1846, p. 92. De qua in Germania duo viri subtilissimi egerunt, Bergkius in commentatione de tabula Iliaca Parisiensi (1845) et Lachmannus in actis diurnis Academiae Berolinensis anni 1846 p. 29 sqq. Adde Bergkium in ephemer. stud. antiquit. 1846 p. 481 sqq. Continetur vero hac tabula fragmentum Zenodoteae dierum Iliadis computationis, atque in octo, qui adferuntur, versibus (α, 53 sq. 420—425) Zenodoteam scripturam servari recte suspicantur. Errori lapicidae πίθηαι pro πίθηται v. 420 debemus et quod Αἰθιοπῆας v. 423 omissum est.

Aristonici et Didymi notas unicos, si tabulam Iliacam Parisiensem excipis, Zenodoteae recensionis esse fontes, e quibus posteriores grammatici et critici hauserint, ex iis, quae dicta sunt, patet. At minorem tantum harum notarum partem esse servatam facile colliget, qui Scholia cum ipsis carminibus Homericis comparabit, quum saepe hic in paucis versibus multas referri videamus Zenodoti scripturas, illic vix unam alteramve in trecentis versibus. Quid quod in quinque posterioribus Iliadis libris viginti quinque tantum locis, in decem posterioribus Odysseae quater tantum Zenodotus in Scholiis commemoratur? [61]) Vides igitur Fridericum Augustum Wolfium quondam in censura Iliadis Villoisonianae p. 251 dicere non debuisse, Zenodoti Homerum e Scholiis a Villoisone editis no-

---

nime de commentario in librum Apollonii Dyscoli cum auctore indicis Etymologici cogitandum.

61) Saepe, ubi in Scholiis ἔνιοι sive τινὲς laudantur, Zenodoti lectionem intelligendam esse suspicor. Vide exempla supra allata, in quibus hic Schol. Zenodotum, ille ἐνίους, ἄλλους, τινὰς nominat. Adde Schol. Od. δ, 1 collato Schol. Il. β, 581. Η, 198 Aristophanem lectionem οὐδὲ μὲν ἰδρείῃ a Zenodoto accepisse est probabile, atque versus σ, 10 sq. non minus a Zenodoti, quam a Rhiani et Aristophanis editionibus abfuisse suspiceris. Od. λ, 568—627 (cf. Nitzsch. III p. 304) et ν, 320 sq. Zenodotum obelo notasse coniicimus. Vide quae c. III de Od. ε, 83 monebimus. Spitzner μ, 68 Zenodotum pro Aristarcho laudat. Schol. ad h. l. Bekker restituit. Cf. Heynius VI p. 288.

bis tam bene notum esse, ut nihil fere amplius optandum sit, quod tantum abest, ut probemus, ut etiamsi omnes et Aristonici et Didymi notas tempus tulisset, multa nobis dubia fore contendamus. Nam *neque Aristonicus, neque Didymus ipsam Zenodoti recensionem Homericam viderant, sed ex Aristarcho eiusque discipulis hauserunt, qui non ubique vera rettulerant* [62]. Quod nunc age certis demonstremus exemplis. *E*, 194 Aristonicus: *Ἡ διπλῆ, ὅτι Ζηνόδοτος μετέθηκεν ὡς ταυτολογοῦντος π ρ ω τ ο π α γ ε ῖ ς, ν ε ο τ ε υ χ έ ε ς, ἀγνοῶν, ὅτι ἐνίοτε παραλλήλως τάσσει τὰς ἰσοδυναμούσας λέξεις*, ubi *μετέθηκε* eodem sensu, quo alias *μετέγραφεν, μετεποίησεν*, dictum videtur, nisi ipsum *μετέγραφεν* restituendum esse putas [63]; nam cum Heynio V p. 36 *ἠθέτηκεν* scribere nolim, quum, si Zenodotus v. 194 addubitasset, vv. 193 et 195 stare non potuissent. Aristonicus, quum *διπλῆν περιεστιγμένην* appictam videret, Zenodotum hunc versum mutasse coniecit atque mutationis causam in tautologia quaesivit, ipse ignorans, quid ille scripserit. Idem Aristonicus *ε*, 249: *Ὅτι Ἀττικῶς ἐξενήνοχεν ἀντὶ τοῦ ὡς ἐπὶ τοὺς ἵππους· δ ο κ ε ῖ δὲ Ζηνόδοτος τοῦτον καὶ τὸν ἑξῆς ἠθετηκέναι.* Unde vero collegit Aristonicus, Zenodotum hos versus obelo notasse? Utrum e signo critico versui appicto (cod. Ven. A *διπλῆν* tantum habet in v. 249), an ex alia Zenodoti scriptura? V. 227 Zenodotum legisse *ἵππων ἐπιβήσομαι* memini, sed non exputo, qua ratione Aristonicus inde collegerit, hos versus illum obelo confodisse. Heynius (V p. 45) hoc eo spectare dicit, quod Sthenelo indignum existimaverit Zenodotus, si Diomedem fugere iuberet. Sed quid tum fiet de versibus 252 sqq.? Si in re incerta incertam promere licet coniecturam, credas Zenodotum, quum in v. *ὀκνείω* haereret, v. 255 sqq. addubitasse, unde Aristonici nata sit suspicio. Videant alii me acutiores. Addimus alios Aristonici locos, hunc ipsam Zenodoteam recensionem non inspexisse probantes. *H*, 127: *Ἡ διπλῆ, ὅτι Ζηνόδοτος γράφει μ έ γ α δ' ἔ σ τ ε ν ε ν, ἐξ οὗ φ α ν ε ρ ό ς ἐ σ τ ι ν ἀνεγνωκὼς μ ε ι ρ ό μ ε ν ο ς.* *Υ*, 114: *Ἡ διπλῆ περιεστιγμένη, ὅτι Ζηνόδοτος γράφει θ ε ο ὺ ς ῥ ε ῖ α ζ ώ ο ν τ α ς, ἐξ οὗ φ α ν ε ρ ό ς ἐ σ τ ι κατὰ τὸ περισπώμενον ἀνεγνωκὼς ἦ δ' ἄ μ υ δ ι ς.* *Φ*, 335: *Ἡ διπλῆ περιεστιγμένη, ὅτι Ζηνόδοτος γράφει ὄ ρ σ α σ α· ἐκ δὲ τούτου φ α ν ε ρ ό ς ἐ σ τ ι δεδεγμένος τὸ ε ἴ σ ο μ α ι*

---

62) Zenodoti scripturas Antoninorum aevo doctissimis hominibus non nisi ex aliorum excerptis cognitas fuisse Wolfius Prolegg. p. CCIX collegit e loco Apollonii, *τὰς γραφὰς εἰς Ζηνόδοτον ἀναφέρεσθαι* dicentis.

63) Alias *μετατιθέναι* de transponendo dicitur, ut *μετατιθέναι ἄνω* (*σ*, 174), *κάτω* (*θ*, 1). Adde *γ*, 423: *Ζηνόδοτος μετετίθει τὴν συνέπειαν οὕτως.*

γνώσομαι καὶ τὸ ἤ κεν ἀπὸ Τρώων φιλῶς ἀνεγνωκώς. Quae non recte colligit Aristonicus. Accedamus ad Didymum. *Α*, 97 refert, Massilioticam editionem, Rhianum et Aristarchum legisse *Δαναοῖσιν ἀεικέα λοιγὸν ἀπώσει*, et addit: *Ἔοικεν οὖν ἡ ἑτέρα Ζηνοδότου εἶναι, ἡ οὐδ' ὅγε πρὶν λοιμοῖο βαρείας χεῖρας ἀφέξει;* ignoravit igitur, quid ille legerit. *Δ*, 3: *Κατ' ἔνια τῶν ὑπομνημάτων ἐνῳνοχόει φέρεται· οἱ δέ φασιν Ζηνοδότειον εἶναι τὴν γραφήν· ἐν μέντοι ταῖς ἐκδόσεσι χωρὶς τοῦ ν εὕραμεν.* Gravissimum vero est illud Scholium a Lehrsio (de Aristarcho p. 20 sqq.) docte expositum, *β*, 111: *Σχολικὸν ἀγνόημα τὸ δοκεῖν Ζηνοδότειον εἶναι τὴν μετὰ τοῦ σ γραφήν, μέγας ἀντὶ τοῦ μέγα· καὶ δόξειεν ἂν ὑπὸ Διονυσίου τοῦ Θρᾳκὸς ταῦτα δεδόσθαι·* 64) *ἐν γὰρ τῷ περὶ ποσοτήτων καθάπτεται Ζηνοδότου ὡς ἠγνοηκότος, ὅτι τῷ μέγα ἀντὶ τοῦ μεγάλως Ὅμηρος ἀποχρῆται· παρ' ὃ δὴ καί τινα τῶν ὑπομνημάτων μετειλῆφθαι τὸ μέγα ἀντὶ τοῦ μεγάλως· τὸ δὲ οὐκ ἔχει τἀκριβὲς οὕτως·* Tum Aristarchum et eius discipulos, Dionysodorum et Ammonium, neque minus Callistratum Aristophaneum *μέγας* legisse demonstrat. Denique addit: *Οὐδὲ ὁ ἐπιθέτης δὲ Πτολεμαῖος τὰς Ζηνοδότου γραφὰς ἐκτιθέμενος ταύτην ὡμολόγει Ζηνοδότου εἶναι.* Ptolemaeus, quem Didymus hic adfert, Hellanici discipulus, Aristarchi extitit adversarius, unde *ὁ ἐπιθέτης* cognominatus esse fertur 65), qui peculiari libro de Zenodoti lectionibus egerat, saepe contra aliorum reprehensiones Zenodotum defendens. Cf. praeter locum iam laudatum *ξ*, 37: *Ἀρίσταρχός φησι Ζηνόδοτον γράφειν ὀψαίοντες· ὁ δὲ ἐπιθέτης Πτολεμαῖος τῷ ἐ' οὔγ' οὐ ψαύοντες, καὶ λόγον φησὶν ἔχειν τὴν γραφήν*, ubi Spitzneri accusanda est negligentia, qui Scholium apud Bekkerum, Heynio (VI p. 528) incognitum, praetermisit et ab Eustathio sibi imponi passus est. Adde Didymum *ξ*, 249: *Ὁ δὲ ἐπι-*

---

64) Mireris, quod nullam Aristonici faciat mentionem Didymus, nisi Aristonicus Dionysio Thrace iunior fuit, quod ex Schol. *ο*, 86 colligas. Quo argumento ad tempus, quo Aristonicus vixit, definiendum uti poterat Muetzellius. Cf. supra not. 1.

65) Suidas: *Ἐπιθέτης κληθείς, διότι εἵπετο τῷ Ἀριστάρχῳ*, ubi iam Villoiso (Prolegg. p. XXX) recte scripsit *ἐπέθετο*. Cf. Fabric. Bibl. Gr. I p. 521. Undenam Graefenhanius I p. 391 cognovit Ptolemaeum Aristarchi fuisse discipulum, nisi ex illo *εἵπετο*, quod ipse cum Villoisone emendavit? *Γραφὰς* Heffter (de Zenodoto eiusque studiis Homericis p. 9) male vocabula in Homericis carminibus mutata intelligit. Eiusdem Ptolemaei laudatur liber *περὶ τῶν παρ' Ὁμήρῳ πληγῶν*, quod Wower Polymath. c. 17 de *Homeri reprehensoribus*, Fabricius de *plagis apud Homerum memoratis* explicat. Scribe *γλωσσῶν*, memor libri Philoxeni *περὶ τῶν παρ' Ὁμήρῳ γλωσσῶν.*

θέτης Πτολεμαῖος καὶ Ζηνόδοτος σὺν τῷ ῑ γράφουσιν, et β, 196: Οὕτως ἑνικῶς αἱ Ἀριστάρχου· καὶ Πτολεμαῖος δὲ ὁ ἐπιθέτης ἐν τῷ πρώτῳ περὶ Ἰλιάδος Ἀριστάρχειον ὁμολόγει τὴν γραφήν· εἶχον δὲ καὶ αἱ χαριέσταται οὕτως ἄνευ τῆς Ζηνοδότου. Contra Zenodotum scriptus erat Apollonii Rhodii liber πρὸς Ζηνόδοτον, in Schol. ν, 657 laudatus [66]). Ex his Ptolemaei et Apollonii libris, Tryphone περὶ τῆς ἀρχαίας ἀναγνώσεως [67]), Ammonio περὶ τῆς ἐπεκδοθείσης διορθώσεως [68]), Dionysio Thrace πρὸς Κράτητα aliisque (cf. Lehrs. p. 30 sq.), nec non ex ipsius Aristarchi scriptis hausit Didymus, qui nonnunquam ipsius Aristarchi affert verba. De his locis postea disseremus, nunc unum apposuisse sufficit, μ, 295: Ὁ δὲ Ζηνόδοτος, φησὶν (Ἀρίσταρχος), ἔοικε (ἐξήλατον) ψιλῶς προφέρεσθαι, ἐκδεχόμενος τὴν ἐξηλασμένην, unde vides ipsum Aristarchum de Zenodotea dubitasse scriptura, nisi statuis Zenodotum neque accentuum, neque spirituum signis esse usum, quod nonnullis scripturis e Zenodotea recensione laudatis refutatur. Cf. α, 129. 567. β, 1. ε, 428. ι, 130. υ, 114. infra c. IV not. 13.

Vidimus igitur neque Aristonico, neque Didymo omnes Zenodoti scripturas fuisse notas. Sed accedit alterum, quod saepe, quid Zenodotus in versu Homerico scripserit, non plene sit relatum, sed unum tantum Zenodoteae scripturae verbum altero omisso. Quod exemplis dubio exemptis, quum adhuc fere sit neglectum, demonstrandum erit. Α, 24 Aristonicus: Ὅτι Ζηνόδοτος γράφει ἀλλ' οὐκ Ἀτρείδεω [69]), at Zenodotum non solum Ἀτρείδεω, verum etiam pro Ἀγαμέμνονι scripsisse Ἀγαμέμνονος iam Wolfius in censura laudata p. 252 vidit. Α, 567 Aristonicus: Ὅτι Ζηνόδοτος γράφει ἆσσον ἰόντε· οὐκ ἔστι δέ, ἀλλὰ ἀντὶ τοῦ ἰόντος, quod Heynius (IV p. 148), probante Spitznero, male exposuit: „Zenodotus ἆσσον ἰόνθ' idem esse voluit ac ἆσσον ἰόντε", quia γράφει Aristonicus dicat. Quum vero versus Homericus hic sit:

> Ἆσσον ἰόνθ', ὅτε κέν τοι ἀάπτους χεῖρας ἐφείω,

recte suspicamur Zenodotum dedisse: ἆσσον ἰόντε, ὅταν τοι. Γ, 211 Aristonicus: Ἡ διπλῆ περιεστιγμένη, ὅτι Ζηνόδοτος σὺν τῷ ν̄ γράφει ἑζομένων; omisit vero, quod luce clarius, eundem ἀμφοῖν

---

66) Cf. Weichert. de Apollonii Rhodii carmine p. 92.

67) Cf. Schol. γ, 122. ε, 299. Adde Schol. δ, 43. ε, 289. ι, 147. κ, 252. ν, 450. 543. ω, 318. 557. Vide Villoisonem p. XXX. Graefenban. I p. 402.

68) Cf. Schol. τ, 365. Lehrs. p. 27. Bernhard. II p. 113.

69) Apud Villoisonem male legebatur Ἀτρείδαο. Heynius (IV p. 18): „Fuit ergo Ἀτρείδα' Ἀγαμέμνονος, pro quo tamen Homerus scripturus fuisset Ἀτρείδεω, quod et coni. Daceria."

dedisse pro ἄμφω [70]). *E*, 329 Aristonicus: Ἡ διπλῆ, ὅτι Ζηνόδοτος γράφει κρατερώνυχεσι [71]). Recte Spitzner vidit pro κρατερώνυχας ἵππους Zenodotum scripsisse κρατερωνύχεσ᾽ ἵπποις. *Z*, 226 Didymus: Οὕτως ἀλλήλων· Ζηνοδότειος δέ ἐστιν ἡ ἀλλήλους, sed non plenam Zenodoti scripturam refert, qui ἔγχεα retinere non potuit. Verum vidit Heynius (V. p. 234): „Legerat ideo ἔγχεσι δ᾽ ἀλλήλους ἀλεώμεθα." Schol. B: Γράφεται δὲ καὶ ἔγχεσιν. *M*, 75: Ζηνόδοτος διὰ τοῦ τ̄, τὼς ἂν ἐγὼν εἴπω. Sed quum versus hic sit:

Ἀλλ᾽ ἄγεθ᾽, ὡς ἂν ἐγὼν εἴπω, πειθώμεθα πάντες,

iam Heynius (VI p. 289) recte monuit, ἄγε Zenodoti fuisse. *O*, 377: Aristonicus: Ἡ διπλῆ περιεστιγμένη, ὅτι Ζηνόδοτος γράφει, μέγα δ᾽ ἔκλυε. Aut μέγα δ᾽ male inlatum est, aut Aristonicus erravit, quum relatum invenisset, Zenodotum pro ἔκτυπε dedisse ἔκλυε. Quis vero tam putidum fuisse Zenodotum credat, ut μέγα δ᾽ ἔκλυε μητίετα Ζεύς, voluerit? Quid vero? Ephesium criticum spondeo pro:

Ὣς ἔφατ᾽ εὐχόμενος· μέγα δ᾽ ἔκτυπε μητίετα Ζεύς

scripsisse:

Ὣς ἔφατ᾽ εὐχόμενος· τοῦ δ᾽ ἔκλυε μητίετα Ζεύς,

quem versum π, 249. ω, 314. Od. υ, 102 invenit, sequentes vero tres versus, post τοῦ δ᾽ ἔκλυε ineptos, eiecisse. Vide infra c. X. Similis fere ratio est loci σ, 528. *Σ*, 247 Zenodotum pro τρόμος dedisse φόβος Aristonicus refert, non integre Zenodoteam scripturam servans, qui pro ἔχε τρόμος scripserat ἔχεν φόβος. Cf. τ, 14. Similis ratio est loci χ, 216, ubi pro νῶϊ γ᾽, non pro νῶϊ Zenodotus νῶϊν [72]).

Ex manca Zenodotearum scripturarum cognitione saepe iniustae

---

70) Aristonicus vulgatum defendit, ἄμφω καθεζομένω, nominativum esse monens. Non recte ex Aristonici verbis: Τὸ δὲ ἄμφω δύο πτώσεις ἔχει, ἀμφότεροι ἢ ἀμφοτέρους, colligeres, Zenodotum retinuisse ἄμφω; his enim verbis non Zenodotum refutare studet, sed ad exponendam vulgatam scripturam transit.

71) Sic recte Bekker. Villoisonis scriptura κρατερώνυχες male habuit Heynium (V p. 62), cuius de Zenodoto coniectura a vero aberravit.

72) Addimus simile exemplum Aristarchi. *K*, 362, ubi legimus:

Χῶρον ἀν᾽ ὑλήενθ᾽, ὁ δέ τε προθέῃσι μεμηκώς,

Schol. A: Ὁ τὲ σύνδεσμος οὐκ ἦν ἐν τοῖς Ἀριστάρχου. Heynius (VI p. 76): „Quid tum? Ergo exciderat librarii vitio: aut ne isti quidem versum metiri norant." Verum vidit Spitzner, coniiciens Aristarchum dedisse ὑλήεντα, ὁ δέ. De scriptura versus ω, 304 dixi in Ritschelii et Welckeri Museo Rhenano V p. 398, ubi χέρνιβά τ᾽ ἀμφίπολος Bentleius, quamquam Scholia χέρνιβα tantum memorant.

huius critici reprehensiones exortae sunt, quarum alteram causam in argumentis, quibus Zenodotam esse usum dixerunt, quaerendam esse infra videbimus. *Θ*, 128 Aristonicus: *Ἡ διπλῆ, ὅτι Ζηνόδοτος ἐνθάδε μὲν γράφει Ἐρασιπτόλεμον, ἐν δὲ τοῖς μετὰ ταῦτα εἴασεν Ἀρχεπτόλεμον.* Cf. *θ*, 312: *Ἐνταῦθα καταλέλοιπε Ζηνόδοτος Ἀρχεπτόλεμον, πεποίηκε δὲ ἄνω Ἰφιτίδην Ἐρασιπτόλεμον.* At utrique versui *διπλῆν περιεστιγμένην*, felicissime, ne dubites, servatam, videmus appictam, qua certissime demonstratur, Zenodoti scripturam utroque loco ab Aristarchea discrepasse. Sed Aristonicus, quum in v. 128, minime in v. 312 Zenodoteam scripturam *Ἐρασιπτόλεμον* relatam invenisset, eam hoc tantum loco a Zenodoto esse receptam sibi persuasit, non cogitans, Aristarchum *διπλῆν περιεστιγμένην* alteri quoque loco apposuisse. At quis putet Zenodotum tam caecutiisse, ut nomen, quod uno loco mutaverat, post ducentos versus immutatum retinuerit? Talia Aristonico et Didymo cras credo. Atque quae de versibus *ἀμέτροις* referunt quam maxime addubito, quamquam Wolfius Scholiorum narrationi fidem non derogat [73]). Aristonicus *β*, 520: *Ζηνόδοτος γράφει καὶ Πανόπτεων, ἄμετρον ποιῶν τὸν στίχον καὶ οὐ καθ' Ὅμηρον σχηματίζων τὸ ὄνομα.* Eustathius p. 274, 35 corrupte *καὶ Πανοπέων* [74]), unde Heynius (IV p. 305) coniecit *καὶ Πανοπήων.* Aristonicus relatum invenerat, Zenodotum *Πανοπέων* scripsisse. Quis vero tam rudem fuisse putet Zenodotum, ut quantitate neglecta ediderit *καὶ Πανόπτεων*? Scripsit, ni fallor, *ἠδὲ Πανόπτεων*, hiatum in *Δαυλίδα ἠδὲ* non magis curans, quam Od. *δ*, 654 in *Μέντορα ἠέ.* De synizesi cf. *ἐφετμέων* in extremo versu *α*, 495 et similia apud Spitznerum de versu Graecorum heroico p. 183 sq. *B*, 634 Aristonicus: *Ὅτι Ζηνόδοτος γράφει ἠδ' οἳ Σάμην καὶ ἄμετρον ποιῶν, καὶ ἀγνοῶν, ὅτι κατὰ τὸ ἀρσενικὸν ἐνίοτε ἐκφέρεται τὰ εἰς* $\overline{ος}$ (lege *η̄*) *λήγοντα.* At omnem fidem excedit, Zenodotum talem praebuisse versum Homericum:

Οἵ τε Ζάκυνθον ἔχον, ἠδ' οἳ Σάμην ἀμφενέμοντο.

Σάμην legisse Zenodotum relatum repperit Aristonicus, sed non totam Zenodoteam scripturam, quam hanc fuisse satis certo coniicio:

---

73) Cf. Wolfius Prolegg. p. CCVIII sq.: „Ac nonnulla illorum profecto permira sunt in critico, praesertim eo, qui ipse versus pangeret, maxime *ἄμετρα* quaedam, ut Catal. 27. 165. *ζ*. 34. *ν*, 172, qualia tamen non sunt in tribus epigrammatis, quae sub eius nomine extant in Brunckii Analectis T. II p. 61."

74) Nihilominus Spitzner tradit: „*Πανοπέων* Zenodotus." Cf. infra c. III not. 3.

Οἵ τε Ζάκυνθον ἔχον ἠδ' ἀμφὶ Σάμην ἐνέμοντο.

Cf. *β*, 499. Aristonicus *β*, 658: *Ἡ διπλῆ περιεστιγμένη, ὅτι Ζηνόδοτος γράφει Ἡρακλείῃ καὶ ἄμετρον ποιῶν, καὶ οὐχ Ὁμηρικὸν τὸ σχῆμα.* Idem *ε*, 638: *Ζηνόδοτος δὲ καὶ ἀμέτρως γράφει Ἡρακλείην.* Zenodotum talem versum una longa syllaba detruncatam admisisse *credat Iudaeus Apella.* Heynius (IV p. 354), ut rem incredibilem explicaret, addidit: „H. e. in eius codd. sic legebatur; nam ipse versus bene norat metiri, quod aliis locis constat." At non hoc uno tantum loco haec habebat Zenodotus. De forma *Ἡρακλείῃ* non dubito, sed articulum praeposuerat, legens *βίῃ τῇ Ἡρακλείῃ, βίην τὴν Ἡρακλείην;* auctores, quibus Aristonicus usus est, de forma adiectivi narraverant, de articulo tacentes. In aliis versibus, ubi Zenodotus metri violati arguitur, non offendes, si synizesin statuis; *χαλκέην σ*, 222 et *Πειρεως υ*, 484 duabus protulerat syllabis. Cf. Heynius VII p. 462. VIII p. 107. Neque mirum videtur, quod *θ*, 378 Zenodotus ultimam v. *προφανείσας* dorico more corripuisse fertur. Cf. Ahrens. de Graecae linguae dialectis II p. 172.

Quam fidem mereatur commemoratio argumentorum, quibus Zenodotus ductus scripturas Homericas mutasse fertur, mox videbimus.

II.

DE ZENODOTI SCRIPTIS ET RECENSIONE HOMERICA.

Duos novit Zenodotos Suidas, qui haec tradit:

Ζηνόδοτος Ἐφέσιος, ἐποποιὸς καὶ γραμματικός, μαθητὴς τοῦ Φιλητᾶ, ἐπὶ Πτολεμαίου γεγονὼς τοῦ πρώτου, ὃς καὶ πρῶτος διορθωτὴς τοῦ Ὁμήρου ἐγένετο καὶ τῶν ἐν Ἀλεξανδρείᾳ βιβλιοθηκῶν προὔστη καὶ τοὺς παῖδας Πτολεμαίου ἐπαιδεύσατο [1]).

Ζηνόδοτος Ἀλεξανδρεύς, γραμματικός, ὁ ἐν ἄστει κληθείς· πρὸς τὰ ὑπ' Ἀριστάρχου ἀθετούμενα τοῦ ποιητοῦ· ἔγραψε πρὸς Πλάτωνα περὶ θεῶν· [2]) περὶ τῆς Ὁμηρικῆς συνηθείας· λύσεις Ὁμηρικῶν ἀπορημάτων· εἰς τὴν Ἡσιόδου Θεογονίαν· καὶ ἄλλα πολλά.

Tertius vero emergit Zenodotus in Scholiis Homericis et Arateis, Zenodotus Mallotes. Schol. Arat. 33: *Ζηνόδοτος ὁ Μαλλώτης (δίκτον) ἤκουσε τὸ καλούμενον δίκταμον καὶ διὰ τοῦτο εὐῶδες τοῦτο εἰρῆσθαι.* Schol. *ν*, 730: *Ζηνόδοτος δὲ ὁ Μαλλώτης* (sic Heynius pro *ὁμαλῶς τις*) *προςτίθησιν* [3])· *ἄλλῳ δ' ὀρχηστύν, ἑτέρῳ κίθαριν καὶ ἀοιδήν.* Cf. Eustath. p. 957, 10 sq.: *Προςγράφει*

---

1) De hoc loco post Mansonem, Partheium, Ritschelium et Geierum nuper egit Heffter l. l. p. 2 sqq., cuius sententiam, e qua Zenodotus liberorum Ptolemaei I, et inter eos ipsius Ptolemaei II, praeceptor fuerit, probare nequeo, quum ille Ptolemaeus II Philetae, Zenodoti magistri, fuerit discipulus. Ptolemaei II, qui Zenodotum bibliothecae praefecit, liberos educavit; Suidas vero huius Ptolemaei cognomen addere neglexit.

2) Verba *ἔγραψε πρὸς Πλάτωνα* ante *πρὸς τὰ ὑπὸ Ἀ. ἀ.* ponenda videntur, ne scripta ad Homerum pertinentia male dirimantur. Ceterum scire pervelim, unde Graefenbanius hauserit, quod bis observat (II p. 55. 121), Suidam dicere, Zenodotum Alexandrinum digne, nec sine successu artem criticam exercuisse.

3) Heynius (VI p. 498), quum Eustathii tantum testimonium nosset, quaesivit, num pro *Ζηνόδοτος* reponendum esset *Κράτης*. Idem alio loco (VII p. 19) aliquoties Zenodotum Malloten nomi-

κατὰ τοὺς παλαιοὺς ὁ Μαλλώτης Ζηνόδοτος καὶ τοῦτον τὸν στίχον, Ceterum hunc versum ex Od. *α*, 421 et *σ*, 303 interpolatum noverunt Lucianus et Clemens Alexandrinus. Aut fallor, aut Zenodotus Mallotes, locum e Cratetis editione laudans, hunc quoque versum, a praeceptore Cratete insertum [3a]), non omiserat. Schol. *ο*, 262: *Ζηνόδοτος ὁ Μαλλώτης ἐκ τούτου συνάγει, ὅτι Παιήων ἐστὶν ὁ Ἀπόλλων, εἴγε αὐτὸς ἐπιῤῥώννυσι τὸν Ἕκτορα.* Cf. Eustath. p. 1014, 60 sqq. *Ἰστέον δὲ, ὅτι Ζηνόδοτος ἀκούσας, ὡς Ἀπόλλων Φοῖβος χρυσάορος ῥωννύει κακῶς ἔχοντα τὸν Ἕκτορα, εἰς ταὐτὸν αὐτὸν ἄγει τῷ Παιήονι, λέγων, ὅτι ὁ ἀλλαχοῦ ῥηθεὶς Παιήων ὁ Ἀπόλλων ἐστίν, ὃς καὶ χρυσάορος ἐνταῦθα ὠνόμασται.* [4]). Mallotae cognomen, quod Eustathius hic addit, idem *ο*, 64 male inseruisse et Malloten cum Ephesio confudisse videtur. *O*, 64 Didymus: *Ζηνόδοτος δὲ ἀπὸ τοῦ Π η λ ε ί δ ε ω Ἀ χ ι λ ῆ ο ς* (v. 64) *ἕως τοῦ λ ι σ σ ο μ έ ν η τ ι μ ῆ σ α ι* (v. 77.) *οὐδὲ ὅλως ἔγραφεν· ἐοίκασι (ἔοικε) γὰρ Εὐριπιδείῳ προλόγῳ ταῦτα· ἐναγώνιος δέ ἐστιν ὁ ποιητής.* Quodsi reputaveris Zenodotum e more suo hunc locum, quibus futura accurate praedicuntur, non potuisse non tollere atque verba *οὐδὲ ὅλως ἔγραφεν*, de Ephèsio saepe dicta, non nisi in eum cadere, qui editionem poetae adornaverit, Mallutae cognomen hic male ab Eustathio esse inlatum mecum statues, qui eo quoque erravit, quod versus omissos a v. 65 numerat.

Eundem vero, atque Malloten, Zenodotum Crateteum esse a Schol. A *φ*, 97 nominatum [5]), iam Wolfius vidit (Prolegg. p. CXCIX), qui eo progressus est, ut hunc Malloten et Crateteum non diversum haberet ab Alexandrino, „ut ab aliis a patria Mallotes, ab aliis ex more aetatis illius Alexandrinus a domicilio dictus sit fueritque in iis Cratetis discipulis, qui magistri sui contentionem cum Aristarcho, ut fit, suam facerent." Quam Wolfii sententiam a Muetzellio p. 281 et Bern. Thierschio (de aetate et pàtria Homeri p. 26 edit. alt.) reiectam probant Heffter p. 2 et Graefenhanius I p. 419 sq. II p. 121 [6]). Qui Wolfii sequuntur sententiam,

---

nari dicit; constare tamen Zenodotum fuisse Ephesium, Malloten vero Cratetem.

3a) Quem alium versum *ξ*, 246 adiecisse legimus.

4) Paeonem ab Apolline diversum esse monet Aristonicus *ε*, 898. Cf. Schol. B *ε*, 402.

5) *Λάχε, ὅθεν μία τῶν Μοιρῶν Λάχεσις· παρείληφε δέ, ὅτι τῇ γενέσει συνδιατάσσεται καὶ ὁ τῆς τελευτῆς καιρός· ὅθεν Ζηνόδοτος ὁ Κρατήτειος Χαλδαῖον τὸν Ὅμηρόν φησιν.* Cf. quod de ipso Cratete memorat Schol. *α*. 591: *Κράτης δὲ περισπῶν τὴν πρώτην συλλαβὴν Χαλδαϊκὴν εἶναι τὴν λέξιν (βηλός) ἀποδίδωσιν.*

6) At quomodo idem Graefenhanius dicere potuerit, Zenodotum

unum eundemque hominem tribus cognominibus, ὁ ἐν ἄστει, Μαλλώτης et Κρατήτειος, donant. Suidas alterum Zenodotum Alexandriae, ut primum Homeri διορθωτὴν Ephesi, natum dicit, neque ullum adferri poterit argumentum, cur hoc Suidae testimonium addubitemus. Si igitur Malloten eundem censes hominem, hoc illius grammatici cognomen habebis. Quomodo vero cogitari poterit, eundem grammaticum duo cognomina sibi repugnantia, ὁ ἐν ἄστει et Μαλλώτης, habuisse? Putasne hunc primum Alexandria Pergamum migrasse, inde Alexandriam rediisse et tam constanter in hac urbe domicilium finisse, ut inde ὁ ἐν ἄστει diceretur? Sed ne sic quidem cognomen Mallotae recte explicaveris. Praeter Ephesium duos ut distinguamus Zenodotos, omnia suadent, qui a patria urbe Alexandrinus et Mallotes dicti, hic a Cratetis schola, cui adhaesit, Crateteus, ille ὁ ἐν ἄστει cognominabatur.

Iam vero ad libros Alexandrino Zenodoto a Suida ascripta accedamus, non sine dubitatione, quum Suidam in libris, quos scriptoribus cognominibus tribuit, ad auctores suos referendis saepe aberrasse sciamus, errorque hic eo fuit facilior, quod tertium Zenodotum, Malloten dico, plane omiserat.

Librum πρὸς τὰ ὑπ' Ἀριστάρχου ἀθετούμενα verisimilius discipulo scholae Crateteae, quam Alexandrino tribues, quamquam Alexandrinos quoque grammaticos contra Aristarchum scripsisse scimus. Cf. Wolfius Prolegg. p. CCLIII sq. Graefenhan. II p. 118.

Cur librum contra Platonem περὶ θεῶν Alexandrino derogemus, nullam video causam. Gravior de illo περὶ τῆς Ὁμηρικῆς συνηθείας oritur quaestio, quum hic non Mallotes Zenodotus, sed Zenodorus quidam in censum veniat. In Schol. B σ, 356 legimus: Πορφυρίου. Ζηνοδώρῳ τῷ συγγράψαντι περὶ τῆς Ὁμήρου συνηθείας τὰ δέκα βιβλία συγγέγραπται καὶ περὶ τούτου τοῦ τόπου· ἐν ᾧ συγγράμματι πειρᾶται ἀποδεικνύναι διεσκευασμένον τοῦτον τὸν τόπον ἐπῶν ιγ'. — ταῦτα ὡς ἐν κεφαλαίῳ ὑπὸ Ζηνοδώρου συγγέγραπται· ἀφαιρουμένων δὲ τῶν ιγ' στίχων τὸ λοιπὸν ἁρμονίαν ἔχει. In codice Leidensi initio Scholii Ζηνοδότῳ, in fine ζηνοδωρ. legi Valckenarius (de Scholiis in Homerum ineditis p. 137. 139) testatur, unde Zenodotum nostro loco restituendum esse iudicarunt Villoiso (Prolegg. p. XXXI), de Ephesio cogitans, Heynius (VII p. 485 sq.) et Muetzellius (p. 282). Cf. Graefenhan. I p. 503. Quod ut confirmaret Muetzellius, narrat: „Praestat Leidensis codex aetate; Venetus autem ne dili-

---

Malloten dictum esse Crateteum, ut ab Ephesio et Alexandrino distingueretur, non exputo, quum ipsi Graefenhanio Alexandrinus idem sit, atque Mallotes et Crateteus.

genter quidem ab Villoisono est descriptus." Dictum nollem. Cod. Ven. B Villoisone teste (p. XLV) undecimo scriptus videtur saeculo; Leidensem vero codicem chartaceum non admodum vetustum dicit Valckenarius (p. 91), qui tum demum sit scriptus, postquam Eustathii commentarii doctis saltem innotuerint. De fide vero Villoisonis in codice B adhibendo haec habe. Villoiso ipse dicit, se ex hoc libro omnia excerpsisse, quae a codice A abessent, nec prorsus luce indigna viderentur, exceptis paucissimis absurdis etymologiis. Bekker vero (p. IV) profitetur, se, quum vidisset hunc codicem pulcherrime scriptum esse lectuque facillimum, dubitare noluisse de Villoisonis in describendo eo aut fide aut peritia; „nunc, ne a vero identidem aberraverit vir eruditior, quam prudentior, sero vereor." At quum Zenodoti nomen saepissime in Scholiis legeretur, vix cogitari potest, Villoisonem male pro Zenodoto legisse Zenodorum; quo accedit, quod in Schol. Leid. semel Zenodori nomen appareat, ita ut de Villoisonis fide hic iniuste dubitares. Addo Bekkerum, qui variam Leidensis codicis lectionem ipse adfert, codicem B, quem ipse manibus tenuit, hoc quidem comparasse loco esse probabile. Sed accedunt, quae omnem de Zenodoro dubitationem eximunt, duo alia Porphyrii Scholia. Schol. A σ, 22: *Πλάτων ἐν τρίτῳ πολιτείας* (p. 388) *κατηγορεῖ τῶν ὀδυρομένων, λέγων ὑπὲρ τῶν τεθνεώτων μὴ δεῖν τοῦτο ποιεῖν ὡς δεινόν τι πεπονθότων. Ζώϊλος δέ φησιν —. Ζηνόδωρος* [7]) *δὲ ἀπολογεῖται, λέγων, ὅτι διὰ τὴν ὑπερβολὴν τῶν πεπραγμένων θρηνεῖ. καὶ ἄλλως συνήθη ταῦτα τῷ βίῳ· τοῦτό νυ καὶ γέρας οἶον ὀϊζυροῖσι βροτοῖσιν κείρασθαί τε κόμην, βαλέειν τ' ἀπὸ δάκρυ παρειῶν* (Od. δ, 197 sq.). Schol. B ρ, 263: *Ζηνόδωρος δὲ διϊπετῆ τὸν διαυγῆ ἀποδίδωσιν· διὰ τοῦτο καὶ γράφει διειπετῆ, διὰ τῆς ει διφθόγγου.* At in codice Leidensi (cf. Valckenarius p. 142) et in Porphyrii quaest. Hom. 30 posteriore loco *Ζηνόδοτος* legitur, atque eadem varietas in Schol. Od. δ, 477 obtinet, ubi hic ipse repetitur Porphyrii locus, quum Harl. et Q *Ζηνόδοτος*, E vero *Ζηνόδωρος* habeat. Vides igitur his locis in codice B, qui undecimo scriptus est saeculo, Zenodori nomen constanter servari, cui in serioribus libris Zenodotus substituitur; quumque notissimum Zenodoti nomen facilius Zenodorum corrumperet, quam Zenodorus Zenodotum, multo verisimilius est Suidam aut quem auctorem secutus est in corruptos incidisse codices, ut Ze-

---

7) Heynius (VII p. 430): „Diserte sic idem infra ad v. 356 memoratur *περὶ τῆς Ὁμηρικῆς συνηθείας*; alibi tamen, ut apud Eustathium (?), idem scribitur Zenodotus: quo tamen nomine plures ac diversi grammatici latere videntur."

nodori libros περὶ τῆς Ὁμηρικῆς συνηθείας Zenodoto ascriberet. Bene iam Wolfius Prolegg. p. CXCVI rem diiudicavit [8]), Spitzner vero III p. 316 omnia miscet. Ceterum de argumento huius libri Zenodori rectius, quam Wolfius, iudicasse videtur Muetzellius, qui συνήθειαν non solum de orationis Homericae proprietatibus intelligendam, sed ampliore sensu eam fuisse pertractatam coniicit.

Sequuntur λύσεις Ὁμηρικῶν ἀπορημάτων, quas non video, cur a Zenodoto Alexandrino abiudicemus. Cuius libri in Scholiis Homericis hae servantur reliquiae. Schol. A α, 1 (apud Villoisonem α, 21: Ἔτι ζητεῖται, διὰ τί ἀπὸ δυςφήμου ὀνόματος τῆς μήνιδος ἄρχεται· ἐπιλύουσι δὲ οἱ περὶ Ζηνόδοτον [9]) οὕτως, ὅτι πρέπον ἐστὶ τῇ ποιήσει τὸ προοίμιον τὸν νοῦν τῶν ἀκροατῶν θυμεῖζον καὶ προςεχεστέρους ποιοῦν, εἰ μέλλοι πολέμους καὶ θανάτους διηγεῖσθαι ἡρώων [10]). Schol. B β, 12: Ἀποροῦσι, πῶς καὶ ὁ Ζεὺς οὐκ ἀληθεύει ὑπισχνούμενος, νῦν γάρ κεν ἕλοι πόλιν εὐρυάγυιαν [11]). — Ζηνόδοτος δὲ παριστὰς τὴν τοῦ Διὸς ἀλήθειαν, φησὶ κατ' ἐκείνην ἑαλωκέναι τὴν ἡμέραν τὴν Ἴλιον· ὅτε γὰρ οἱ ὅρκοι συνεχύθησαν, ἡ πόλις ἀπώλετο· ἐν γὰρ τῷ παρασπονδῆσαι τὸ μηκέτι σωθῆναι κατεψηφίσθη [12]). Schol.

---

8) Wolfius praeter Scholia adfert locum Apollonii Sophistae v. ζῶστρα: Ζῶστρα· Ἀπίων τὰ ἐνδύματα τῶν ἀνδρῶν·
Ζῶστρά τε καὶ πέπλους καὶ ῥήγεα σιγαλόεντα (Od. ζ, 38)·
ὁ δὲ Ζηνόδωρος βέλτιον τὰ ζώματα, τὰς ζώνας, ubi pro Ζηνόδωρος scribere malim Ἡλιόδωρος, quum Heliodorus et Apion saepe tali modo ab Apollonio iuxta ponantur. Cf. vv. ἀνδραχθέσι, κλίσιον, σπιλάδες, σφαραγεῦντο, τανύποδα, τρητοῖσι, τρίγληνα, ὑποσταχύοιτο, ὑπονηΐῳ, φυλίης. Male hic quoque de Zenodoto cogitant. De Heliodoro cf. Ritschelius de biblioth. Alexandrinis p. 142.

9) De locutione οἱ περὶ cf. Lehrs. quaest. epicae p. 28 sqq. Adde [Ast. Lex. Plat. v. περί.] Graefenhan. I p. 387 sq. V. infra n. 27.

10) Cf. Heynius IV p. 3.

11) Male Heynius (IV p. 199), quem sequitur Spitzner: „Si Scholion bene se habet, est haec Zenodoti lectio, quum in aliis esset ἕλοις oratione immutata." Neque de lectione, neque de Zenodoto Ephesio agit Schol.

12) Wolfius (Prolegg. p. CXCV) de στατικοῖς et λυτικοῖς agens: „Atque de his, inquit, commentariis (*Dubia vexata Homeri* dicas biblico vocabulo) nunc plura nobis innotuerunt ex novis Scholiis, sed paucissima Zenodoti Ephesii, ut ad α, 21. β, 12 (nisi hic est minor Zenodotus, cui Suidas λύσεις Ὁμηρικῶν ἀπορημάτων tribuit)." Idem p. CXCIX sq.: „Iam quum in Ven. Schol. tot locis excepto uno isto ψ, 79 (Scholia de Zenodoto Mallote nondum novit) semper Zenodotus appelletur simpliciter, compositus etiam vel praepositus Aristophani et Aristarcho omniaque illi tributa ad eandem rationem et formam ingenii referantur, plane non dubito, ubique fere apud interpretes Homeri Ephesium criticum intelligendum, et si quae *alterius Mallotae* supersunt in iis, quae passim adversus

B γ, 236: *Πῶς δὲ οὐκ ἐρωτηθεῖσα προβάλλεται τὰ περὶ τῶν ἀδελφῶν; — Ζηνόδοτος δὲ διοικητὰς ὑπολελεῖφθαι τῆς Ἑλλάδος φησὶ τοὺς Διοςκούρους.* Cf. Eustath. p. 410, 15. Addendus fortasse Schol. V ω, 487.

De Zenodoti commentario in Hesiodum cf. Muetzellium p. 281 sqq., qui hunc Alexandrini fuisse, sed etiam Ephesium Zenodotum Hesiodi Theogoniam negligere non potuisse animadvertit. De loco Schol. Theog. 5 iam a Gaisfordio et Muetzellio recte explicato dubitare non debuit Graefenhanius I p. 417. Cf. infra not. 26.

Transeamus ad alios libros, qui sub Zenodoti nomine feruntur. Athenaeus X, 2 ex Zenodoti *δευτέρῳ ἐπιτομῶν* fabulam refert, unde has *ἐπιτομὰς* mythicas fuisse recte coniecit Wolfius (Prolegg. p. CCXV). Ad hunc librum tres Zenodoti refero commemorationes. Schol. V π, 175: *Ζηνόδοτος δὲ (ἀδελφὴν Ἀχιλλέως) Κλεοδώρην φησίν, Ἡσιόδου καὶ τῶν ἄλλων Πολυδώρην αὐτὴν καλούντων.* Idem ω, 487: *Ζηνόδοτον πρεσβύτερον Πηλέα φησίν, εἴ γε συστρατεύσας Πηλεῖ Ἡρακλῆς ἀπέδοτο Ἡσιόνῃ μικρὸν ὄντα τὸν Πρίαμον*, nisi hoc ad *λύσεις* pertinere mavis. Cf. Eustath. p. 1497, 18 sqq. Schol. Eur. Rhes. 28: *Ἔνιοι δέ εἰσιν, οἳ καὶ παρὰ τὴν αὐτὴν* (Europam, filiam Agenoris) *ὠνομάσθαι τὴν ἤπειρόν (φασιν). Καθάπερ καὶ Καλλίμαχος, Ζηνόδοτος δὲ ἐξ αὐτοῦ.* Qui locus, cum Schol. π, 234 male compositus, in errorem induxit Hekkerum comment. Callim. p. 16. Quodsi hanc postremam Zenodoti commemorationem recte huc pertinere vidimus, iam inde colligitur, Ephesium Zenodotum non fuisse *ἐπιτομῶν* auctorem, quod Wolfius l. l. statuit, quem non dubitanter sequitur Graefenhanius II p. 142. Alexandrinum Zenodotum hic intelligendum esse probabile videtur, quem etiam *ἱστορικῶν ὑπομνημάτων* auctorem esse persuasum habeo. Athenaeus, qui solus haec *ὑπομνήματα* nominat, III, 49 haec habet: *Ὅτι δ' ὄντως Ἀφροδίτῃ ὗς*

Aristarchum monentur, ea sine nomine ad nos perlata esse. Equidem sex septem locis Scholiorum aliquando in dubitationem me adductum memini: verum diligentius explorata res primum aspectum confirmavit." Paullo post (p. CCXVI) de Herodiani nota λ, 676: *Ἔστι δὲ οὕτως ὁρίσασθαι περὶ τῆς προσῳδίας, ὡς πάντα τὰ εἰς ῑς λήγοντα καθαρὸν μόνως θηλυκὰ ὀξύνεσθαι θέλει, οἷον Κριφηΐς (Χρυσηΐς?), Βρισηΐς, Θαΐς, Λαΐς· ὁ δὲ λόγος ἐπὶ Ἑλληνικῶν ὀνομάτων, μή τις τὸ Ξόϊς καὶ Σάϊς Αἰγύπτια ὄντα καὶ παρὰ Ζηνοδότῳ (Ἡροδότῳ* infra scriptum) *λεχθέντα παράθηται* (cf. Goettling. de accentu p. 258), haec profert: „Hic unus e paucis locis est, in quo haud dubie Malloten Zenodotum intelligas rectius." Spitzner ad ρ, 262 contra Wolfium monet: „At iudicium lubricum et incertum esse quum hic locus, tum alia quaedam, de quibus infra dicendum erit, manifesto comprobant", quamquam ipse hic tantum et σ, 356 de Ephesio dubitat.

θύεται, μαρτυρεῖ Καλλίμαχος ἢ Ζηνόδοτος ἐν ἱστορικοῖς ὑπομνήμασι γράφων· „Ἀργεῖοι Ἀφροδίτῃ ὗν θύουσι, καὶ ἡ ἑορτὴ καλεῖται Ὑστήρια." Vides hic Zenodotum cum Callimacho ita compositum, ut Athenaeus, uter illorum ὑπομνημάτων esset auctor, dubitaret. Denique Zenodoti Alexandrini mihi videntur λέξεις ἐθνικαὶ a Galeno (gloss. Hippocr. vv. πέζαι, πέλλα) laudatae, quae Ephesio tribuuntur a Graefenhanio I p. 543. Callimachus, ni fallor, primus scripserat, ἐθνικὰς ὀνομασίας (Athen. VII, 137), quem Zenodotus Alexandrinus secutus est; in Ephesii tempus talis liber minime cadere videtur. Ceterum huius libri esse videtur, quod Athenaeus VII, 132 adfert: Τὸν ὕκην Καλλίμαχος ἐν ἐπιγράμμασι ἱερὸν ἰχθὺν καλεῖ. — Τίμαιος δὲ —. Ζηνόδοτος δέ φησι Κυρηναίους τὸν ὕκην καλεῖν ἐρυθρῖνον; nam haec Ephesium in γλώσσαις ad ἱερὸν ἰχθύν (π, 407) explicandum posuisse minus probabiliter dixeris. Quodsi hucusque nullum invenimus librum, quem a Zenodoto Ephesio esse profectum statueremus, certo certius cum Wolfio (Prolegg. p. CCXV), quem Heffter (p. 9) et Graefenhanius (I p. 534) sequuntur, contendimus, γλώσσας Ὁμηρικὰς [13]) a primo Homeri διορθωτῇ esse scriptas [14]). Incipiamus a testimonio, quod has γλώσσας fuisse Ὁμηρικὰς clare demonstrat. Schol. Od. γ, 444: Ἀμνίον, ἀγγεῖον, εἰς ὃ τὸ αἷμα τοῦ ἱερείου ἐδέχοντο. Ζηνόδοτος δὲ ἐν τοῖς ἀπὸ τοῦδε (Ὁμήρου) γλώσσαις τίθησι τὴν λέξιν· ἅπαξ δὲ ἐνταῦθα παρ' Ὁμήρῳ ἡ λέξις. Adde Schol. Apoll. Rhod. II, 105: Στυφελήν, τραχεῖαν καὶ σκληράν· οὕτως Κλειτόριοι λέγουσιν, ὥς φησιν Ζηνόδοτος ἐν γλώσσαις, Κυρηναῖοι δὲ τὴν χέρσον· τίθεται δὲ ἡ λέξις καὶ ἐπὶ τοῦ χαλεποῦ, ὡς τὸ ἀπὸ στυφελοῦ Ἀφροδίτης. cf. Muetzell. l. l. p. 187. Ad hunc eundem librum sequentes pertinuisse γλώσσας, vix dubitari poterit. Porphyrius Quaest. Homer. 24 (in Schol. B β, 89): Θαυμάσαι ἄν τις Ζηνόδοτον τὸ βοτρυδὸν ἐκλαβόντα ἐοικότως βότρυϊ, ὅπερ αὐτὸ συστρέφει ἐν τῇ πτήσει· οὐδεὶς γὰρ τῶν παλαιῶν, οὐδ' Ἀριστοτέλης, βότρυν ζῷον ἔγραψε. Hic Zenodotum Ephesium indicari ostendit διπλῆ περιεστιγμένη, in codice Ven. A versui appicta, qua falsam Zenodoti interpretationem Aristarchus notaverat. Herodianus in Schol. A α, 567, cui versui iam ob lectionem ἆσσον ἰόντε praefixa est διπλῆ περιεστιγμένη: Ὁ δὲ Ζηνόδοτος (ἀάπτους) καὶ αὐτὸς ὁμοίως τῷ

---

13) Heffter Wolfii (Prolegg. p. CXCVI sq.) verbis negligentius lectis p. 9 Zenodotum ἄτακτα sive γλώσσας composuisse narrat.

14) Muetzellius p. 281 de „nescio cuius Zenodoti" γλώσσαις loquitur. Lerschius (de philosoph. ling. veterum III p. 64) de Zenodoti Ephesii γλώσσαις dubitat, quas, si vere extiterint, Homericas fuisse suspicatur. Uterque testimoniis recte pensitatis, quae ignorasse aut non inspexisse videntur, verius iudicasset.

πνεύματι [15]), *εἰς τὰς ἰσχυρὰς δὲ μεταλαμβάνει· ἐν δὲ ταῖς Ἀριστοφάνους γλώτταις διὰ τοῦ ε̄ ἐγέγραπτο, ἀέπτους.* Ut Zenodoti praeceptor, Philetas, *γλώσσας ἀτάκτους* sive *ἄτακτα* scripsit [16]), hic Aristophanis, Zenodoti discipuli, *γλώσσας* commemoratas videmus. Quis igitur de Zenodoti Ephesii *γλώσσαις* earumque hoc ipso loco commemoratione dubitabit? Idem Herodianus *ν*, 450: *Ζηνόδοτος γὰρ (ἐπίουρον) λέγει, ὡς ἐπίκουρον* (i. e. *προπαροξυτόνως*), *ἐκδεχόμενος βασιλέα καὶ* (lege *ὡς*) *φύλακα· καὶ Ἀρίσταρχος δὲ οὕτως, ἐκδεχόμενος τὸν φύλακα· μέμνηται δὲ καὶ ὁ Δίδυμος τῆς ἀποδόσεως καὶ Τρύφων* [17]). Didymus *λ*, 754: *Κράτης δὲ προκρίνει τὴν διὰ τοῦ ᾱ γραφήν· καὶ Ζηνόδοτος δὲ συναινεῖ τῇ δίχα τοῦ ᾱ γραφῇ (σπιδέος*, non *ἀσπιδέος*), *καί φησι σπιδέος τοῦ ἀπόρου καὶ τραχέος καὶ μεγάλου.* Zenodotus igitur non solum *σπιδέος* scripserat, sed etiam hoc vocabulum in *γλώσσαις* explicaverat. Cf. Etym. M. p. 271, 21 sqq. Spitzner III p. XC sqq. Ne vero te offendat Zenodotus post Cratetem commemoratus, videas in toto Scholio temporis ordinem minime esse servatum. Schol. V *σ*, 564: *Τὴν ληνόν· Ζηνόδοτος δέ φησιν ἀπὸ χαλκοῦ κεκαυμένου.* Verba, aperte corrupta, restituas: *Κάπετον, τὴν ληνὸν Ζηνόδοτός φησιν ἀπὸ χαλκοῦ κεκαυμένου* [18]), nisi mavis: *Κάπετον, τὴν ληνόν· κυανέην δέ φησιν Ζηνόδοτος ἀπὸ χαλκοῦ κεκαυμένου.* Schol. Od. *γ*, 216: *Ἀπορεῖ ὁ Ζηνόδοτος, πῶς ἐστι καὶ ὁ λόγος, βίας αὐτοῖς (σφίν?) ἀντὶ τοῦ τὰς βίας αὐτῶν, ἢ ἐλθὼν σφιν, ὅ ἐστιν ἐλθὼν αὐτοῖς, ὥσπερ λέγομεν ἀνίσταμαί σοι ἀντὶ τοῦ ἀνίσταμαι κατὰ σοῦ.* Quam dubitationem in *γλώσσαις* v. *σφὶν* protulisse videtur Zenodotus. Schol. Od. *ι*, 116: *Ζηνόδοτος τὴν βραχεῖαν (γράφει διὰ τοῦ ε̄, ἐλάχεια), οἱ δὲ τὴν εὔσκαφον, οἱ δὲ τὴν εὔγειον, τὴν λαχαίνεσθαι καὶ σκάπτεσθαι δυναμένην* [19]). Cramer Anecd. Ox. I p. 207: *Ἰφθίμους Τρύφων ἀπειδή-*

---

15) Nescio, quomodo Heynius (IV p. 150), auctor indicis Bekkeriani et Spitzner inde extricare potuerint, Zenodotum scripsisse *ἀάπτους*, quum disertis verbis Herodianus dicat, in spiritu ponendo Zenodoto cum Aristarcho convenisse, aliam vero interpretationem Zenodotum dedisse. Cf. Lehrs. de Arist. p. 143.

16) Cf. Wolfius Prolegg. p. CXCVI sq. Lehrs. p. 52. Lersch. III p. 64. Graefenhan. I p. 190. 533.

17) Recte iam Heynius (VI p. 456) Scholium exposuit, ut mireris Spitzneri dubitationem, utrum *ἐπίουρος*, an *ἐπίκουρος* dederit Zenodotus.

18) Offendit Heynium (VII p. 803) voc. *ληνόν*, sed Eustathius p. 1163, 34: *Κάπετος — ληνὸς ἢ τάφρος ἐπ᾿ ἀσφαλείᾳ πέριξ ὀρωρυγμένη τῆς ἀμπέλου. Ληνὸς* vero fossa ob formae dicitur similitudinem. Zenodotus voc. *κάπετος* explicaverat, quum a voc. *τάφρος* distinguendum sit. Cf. Stephani Thes. V p. 259 ed. Paris.

19) Minime huc pertinere puto Schol. A *μ*, 295: *Ὁ δὲ Ζηνό-*

λωσιν τοὺς ἰσχυροὺς, Ζηνόδοτος τοὺς ἀγαθούς· τί γάρ φησιν ἐροῦμεν·
Ἰφθίμη ἄλοχος Διομήδεος (ε, 415);
Cf. Etym. M. v. ἴφθιμος p. 480, 23 sq. Apollon. v. ἰφθίμη p. 373. Schol. Theocr. V, 2: Νάκος. Ζηνόδοτος τὸ κώδιον, τὸ μαρσύπιον· καὶ νάκος τὸ τῆς αἰγὸς δέρμα. Ὅμηρος· Νάκος ἕλετ' αἰγὸς ὀριτρόφου. Locus Homericus a Schol. indicatus hic est: Ἂν δὲ νάκην ἕλετ' αἰγὸς ἐϋτρεφέος (Od. ξ, 530). Zenodotus illa v. νάκη scripserat. Athen. I, 21: Ἐκ τούτων δ' ἐπείσθη Ζηνόδοτος δαῖτα ἐΐσην τὴν ἀγαθὴν λέγεσθαι. Cf. Eustath. Od. ο, 20 p. 1773, 38. Ubi eo minus de Zenodoto Ephesio dubitabis, quum paullo post Athenaeus tradat, Zenodotum α, 5 δαῖτα scripsisse pro πᾶσι. Athen. XI, 57: Κοτύλη. — Σιληνὸς καὶ Κλείταρχος, ἔτι δὲ Ζηνόδοτος τὴν κύλικα, — Τιμάριστος δὲ τὸ λεπτὸν ποτήριον οὕτω καλεῖσθαι. Quod in voce κοτυλήρυτον (ψ, 34) explicanda Zenodotus fortasse posuit, quamquam κοτύλην κύλικα habemus χ, 494. Od. ο, 312. ρ, 12. Adde quod infra c. VII de loco ρ, 51 monebimus.

Iam vero ad Homericam Zenodoti recensionem transeuntibus primum se offert Plautinum illud, quod dicitur, Scholium conversum e Tzetzae commentario in Aristophanis Plutum scripto, de quo post Osannum, Welckerum, Ritschelium ipse ante octo hos annos uberius disserui in libro „Homerus et epicus cyclus" inscripto p. 42 sqq. [20]). Huc pertinent verba: „Alexander Aetolus et Lycophron Chalcidensis et Zenodotus Ephesius impulsu regis Ptolemaei Philadelphi cognomento — Graecae artis poeticos libros in unum collegerunt et in ordinem redegerunt: Alexander tragoedias, Lycophron comoedias, Zenodotus vero Homeri poemata et reliquorum inlustrium poetarum." Ex eodem fonte, ex quo Tzetzes sua hausit, fluxisse videtur locus περὶ κωμῳδίας a Cramero in Anecd. Paris. I p. 6 editus [20a]): Ἰστέον, ὅτι Ἀλέξανδρος ὁ Αἰτωλὸς καὶ Λυκόφρων ὁ Χαλκιδεὺς ὑπὸ Πτολεμαίου τοῦ Φιλαδέλφου προτραπέντες

δοτος, φησὶν (Ἀρίσταρχος), ἔοικε ψιλῶς προφέρεσθαι (ἐξήλατον) ἐκδεχόμενος τὴν ἐξήλατον, quod Aristarchus sine dubio collegerat ex Zenodotea sequentis versus lectione ἐξέλασ'. Cf. Schol. ι, 404. Quomodo Wolfius (Prolegg. p. CCXV), quem Graefenhanius inconsiderate sequitur (I p. 534), ad γλώσσας Schol. ι, 447 et λ, 106 rettulerit, me non intelligere profiteor, ne de Hefftero (p. 9) dicam, qui, Wolfium non audiens, loco Etym. p. 520, 51 sq. v. κέκλυτέ μευ Zenodoti γλώσσας ditavit.

20) Adde Bernhardium II p. 68 sqq. 139 et quos adfert.

20a) Henricum Keilium mox in Museo Rhenano locum illum e codice Mediolanensi editurum novaque prolaturum esse audimus.

τὰς σκηνικὰς διωρθώσαν(το) βίβλους, Λυκόφρων μὲν τὰς τῆς κωμῳδίας, Ἀλέξανδρος δὲ τὰς τῆς τραγῳδίας, ἀλλὰ δὴ καὶ τὰς σατυρικάς. — Τὰς δὲ σκηνικὰς Ἀλέξανδρός τε, ὡς ἔφθην εἰπών, καὶ Λυκόφρων διωρθώσαντο· τὰς δὲ ποιητικὰς Ζηνόδοτος πρῶτον καὶ ὕστερον Ἀρίσταρχος διωρθώσαντο. Recte iam Ritschelius (in corollario disputationis de bibliothecis Alexandrinis deque Pisistrati curis Homericis, immortali memoriae viri perinlustris liberi Baronis Caroli de Stein ab Altenstein anno 1840 dicato) docuit, Plautinum quod dicitur, Scholium multo propius ad principis fontis accedere fidem et ubertatem, quam Anecdotum Parisiense, quod Zenodotum *τὰς ποιητικὰς βίβλους* (opponuntur *αἱ σκηνικαί!*) *διορθώσασθαι* refert [21]. Plautinum Scholium, quod Anecdoto Parisiensi misso unum audimus, Zenodotum Ephesium scribit Homeri poemata et reliquorum inlustrium poetarum in unum collegisse et in ordinem redegisse, ubi illo *in unum colligere et in ordinem redigere* expressit Graecum *εἰς ἓν συντιθέναι* sive *συνάγειν καὶ συντάσσειν.* Vix enim mibi persuadeo, iam Tzetzen de *διορθώσει* cogitasse, quum hic tantum de poetarum collectionibus agi pateat et de Lycophronis et Alexandri opera in tragicis comicisque poetis posita nihil relatum inveniamus. Cf. Ritschelius l. l. p. 18 sqq. Alexander igitur principes tragicos, Lycophro comicos collegit, Zenodoti vero cura in Homeri versata est carminibus et reliquorum inlustrium poetarum colligendis. Sed quinam sunt illi *reliqui inlustres poetae?* Welcker epicos, Müller lyricos poetas intelligit. Utraque quidem sententia eo offendit, quod hi poetae non apertius indicantur; at id, quod his sententiis reiectis unum restat, Zenodotum epicos et lyricos poetas in unum collegisse corpus, tam incredibile est, ut statui nequeat. Mülleri vero interpretatio eo mihi amplectenda videtur, quod Ptolemaeum lyricos poetas neglexisse non minus a vero abhorret, quam eius, qui hos collegerat, nomen omissum esse. Collegit igitur Zenodotus altero corpore lyricos poetas, altero Homeri carmina. At Homeri Ilias et Odyssea iamdudum a Pisistrato erant collectae, unde *Homeri poemata* non de his tantum carminibus intelligi posse patet, sed de omnibus illis, quae olim Homerica ferebantur. Quod ne mireris, cogita Suidam *Ἀμαζονίαν, Ἰλιάδα μικράν, Νόστους, Ἀμφιάρεω ἐξέλασιν εἰς Θήβας, Οἰχαλίας ἅλωσιν, Κύπρια* ad Homerum referre, Thebaidem a veteribus saepius Homericam dici (Welcker de cyclo epico p. 205) et quae alia Welcker (l. l. p. 131 sqq.)

---

21) Aliter sentire video Bernhardium II p. 139, sed multo negligentius auctorem Anecdoti Graeci versatum esse, qui, quod de Zenodoto invenit, suo loco omissum, infra alieno inserit, omnia suadent.

de nominis Homeri usu congessit. Homerica igitur, quae dicuntur, carmina Zenodotum collegisse Scholium Plautinum clare demonstrat, quocum Ausonii versus egregie concinit, qui in epistola XVIII principes grammaticos enumerat Varronem, Cratetem,

Quique sacri lacerum collegit corpus Homeri.

Quis enim credat, Ausonium, virum historiae litterarum apprime peritum, dixisse, Zenodotum, quem hic commemorari hodie inter omnes constat [22]), lacerum Iliadis et Odysseae corpus collegisse, nisi talem virum confudisse Pisistratum et Zenodotum statuis? Inepte hoc Ausonii testimonium, quod Tzetzes (in Scholio Plautino) optimis usus fontibus [23]) egregie confirmat, ridiculis illis multo serioris temporis fabellis aequiparat Heffter (p. 9) [24]). Ausonius aperte significat, *Homericorum carminum corpus*, qui ἐπικὸς vocabatur κύκλος, Zenodotum *collegisse*. Poetarum cyclicorum, quo sensu hodie hoc nomine utimur, nullam apud veteres inveniri mentionem, primus ostendi l. l. p. 54 sqq. At Bernhardius nuper (II p. 135 sqq.) contendere ausus est ἐπικὸν κύκλον nusquam esse corpus Homericorum carminum ab Alexandrinis collectum, sed *fabularum mythicarum collectionem*. Quae sententia Photio et Procli excerptis ita refellitur, ut id virum subtilissimum mireris latuisse. Photius e Proclo incipit: *Γεγόνασι δὲ τοῦ ἔπους ποιηταί, κράτιστος μὲν Ὅμηρος, Ἡσίοδος, Πείσανδρος, Πανύασις, Ἀντίμαχος.* Cur hic Stasinus, Lesches, Arctinus, alii non nominantur? Res facile eo explicatur, quod hi poetae una continebantur collectione, unde, quum de vitis illorum poetarum egerit, ad hos poetas epici cycli transit. *Διαλαμβάνει δὲ καὶ περὶ τοῦ λεγομένου ἐπικοῦ κύκλου.* Hic non de orbe fabularum agi, sed de opere quodam ἐπικὸς κύκλος dicto iam additum λεγομένου ostendit. Quale vero opus illud erat? An pedestri scriptum oratione? Sed cur talis liber post poetas epicos nominatur et exponitur? Ne vero dubites, audias Photium, qui ἐπικὸν κύκλον dicit *ἐκ διαφόρων ποιητῶν συμπληρούμενον.* Pergit: *Λέγει δὲ, ὡς τοῦ ἐπικοῦ κύκλου ποιήματα διασώζεται καὶ σπουδάζεται τοῖς πολλοῖς, οὐχ οὕτω διὰ τὴν ἀρετὴν, ὡς διὰ τὴν ἀκολουθίαν τῶν ἐν αὐτῷ πραγμάτων· λέγει δὲ καὶ τὰ ὀνόματα καὶ τὰς πα-*

---

22) Cf. Wolfii Prolegg. p. CC. CCXXXII. Graefenhan. II p. 107.

23) Cf. liber meus Homerus et epicus cyclus p. 46.

24) Quod seriores inde ab Heliodoro Byzantino nugantur, Pisistratum curam Homeri edendi septuaginta grammaticis commisisse, quorum quisque *σύνθεσιν* et *διόρθωσιν* perfecerit, Zenodoti vero et Aristarchi recensiones optimas habitas esse (Bekker Anecd. p. 718. Cf. liber meus allatus p. 24 sq.), nunquam defendi, sed ex vera id corruptum esse contendi traditione, quod contra Heffterum moneo.

τρίδας τῶν πραγματευσαμένων τὸν ἐπικὸν κύκλον. Vides igitur luce clarius ἐπικὸν κύκλον post Homerum, Hesiodum, Pisandrum, Panyasin et Antimachum eo commemorari, quod hoc nomine plures epici poetae continebantur, quod iam Welcker l. l. p. 23 sq. breviter significavit. Egregie, quae diximus, ipsis Procli excerptis confirmantur. Bernhardii vero sententiam praeterea refutant Suidas, qui κύκλον Homero tribuit, Schol. Eur. Or. 1376, ubi καθάπερ ἐν κύκλῳ λέγεται reponendum, et Clemens Alexandrinus Strom. I, 21, 132. Cf. Welcker p. 13. 71. Una tantum restat, quae, ne te male habeat, removeatur, difficultas. Quomodo enim poterunt οἱ τοῦ ἐπικοῦ κύκλου ποιηταὶ opponi Homero, quum Ilias et Odyssea ipsae legerentur in illa collectione? At facile vides, hanc denominationem a potiori, quod vocant, his poetis tribui, ut ἐπικὸς κύκλος et latiore et angustiore sensu dicatur, modo totum illorum poetarum corpus Iliade et Odyssea non exclusis, modo illa tantum carmina aliorum poetarum significet.

Extitit igitur epicus cyclus a Zenodoto collectus, quem lyricorum quoque poetarum corpus condidisse vidimus [25]). Sed Iliadi et Odysseae praecipuam ille navavit curam, ut primus diceretur earum διορθωτής; haec enim carmina multo graviora damna maioresque experta erant vicissitudines, quam caetera, quae ἐπικῷ κύκλῳ continebantur, atque auctoritas eorum tanta erat, ut iis restituendis atque ex optimis codicibus subtiliter emendandis praecipuam Zenodotus sibi parandam esse laudem non posset non intelligere. Aliam praeter Iliadem et Odysseam, quales in epico cyclo dederat, editionem horum carminum adornasse criticum Ephesium vix credam. Verbo moneo τὴν κυκλικὴν Odysseae recensionem, quae bis laudatur, me iudice, non ad Zenodoteam referendam esse editionem. Cf. quae dixi in libro allato p. 35 sq.

Zenodotea Homeri editio (ἡ κατὰ Ζηνόδοτον ἔκδοσις. Athen. I, 21) dicitur ἡ Ζηνοδότειος (Schol. β, 52), ἡ Ζηνοδότου (ut Schol. α, 598. γ, 51. ϑ, 304), ἡ Ζηνοδότου διόρθωσις (Schol. Bekkeri p. III), αἱ Ζηνοδότου (Schol. η, 428. ϑ, 304. ξ, 89) [26]), αἱ Ζηνοδότου διορθώσεις (Apollon. de pron. p. 400 (140) B), τὰ Ζηνοδότου (Schol. τ, 26), τὰ Ζηνοδότεια (Schol. ν, 808) [27]), οἱ περὶ Ζηνόδοτον (Schol.

---

25) De Pindari et Anacreontis editionibus Zenodoteis vide Boeckh. Praef. Schol. Pind. p. IX sq. (cf. Schol. Ol. II, 7. III, 52. VI, 91). Bergk. Anacreont. carm. reliqu. p. 25.

26) Spitzner ϑ, 304 ἡ pro αἱ reposuit; de duobus aliis locis tacet.

27) Aristonicus: Καὶ ὁ Ἀρίσταρχος περὶ τοῦ στίχου οὕτως λέγει, ὅτι ἐν τοῖς Ζηνοδοτείοις ἐφέρετο. Cf. Schol. Theog. 5: Ἐν δὲ τοῖς

η, 443. θ, 290. μ, 153. ξ, 485. ο, 86. π, 234. Od. γ, 11)[28]. Ne vero putes, dictionem *αἱ Ζηνοδότου* duas indicare recensiones critici Ephesii, cf. *αἱ Ῥιανοῦ* (Schol. Od. γ, 178), quocum *οἱ κατὰ Ῥιανὸν* (Schol. Od. γ, 24) comparetur, et *αἱ Ἀριστοφάνους* (Schol. θ, 513[29]). Od. ε, 83).

Editio Zenodoti praeter computationem dierum operi, ni fallor, praepositam (cf. infra c. XII) textum, quem dicunt, dedit, multis versibus omissis, aliis obelo notatis. Cf. verba e codice Ven. A a Bekkero p. III edita: *Τὸν δὲ ὀβελὸν (Ἀρίσταρχος) ἔλαβεν ἐκ τῆς Ζηνοδότου διορθώσεως*[30]). Sic enim nunc recte legitur, *ἔλαβε*, non *ἐλάβομεν*, quod in Bibl. Gotting. vet. litt. I, 69. Wolfius (Prolegg. CCLII sq.), hunc locum mendosum esse iudicans, sibi persuasit, Aristarchum primum obelum adhibuisse ad versus proscribendos; at ipse addit, „nisi forte putas, similes superiorum criticorum notas obscuratas et oblitteratas esse Aristarcheis. Quod ut facillime concedo, pergit, ne inepte pertinax sim in re obscura, ita minime dubitandum arbitror, quin obeli frequentissimus et technicus usus auctoritati Aristarchi tribuendus sit. Nam etsi Zenodotus et Aristophanes saepius dicuntur aliquid *ἀθετῆσαι*, et prior etiam infamiam inde cepit maximam, horum tamen neutri illud signum *ἀθετήσεως* plane tribuitur ab ullo scriptore, excepto uno loco, quem propter aliam quoque causam pro mendoso habeo. In primis vero haec ratio firmatur eo, quod plures grammaticos adversus obelum Aristarchi potissimum scripsisse reperimus, non adversus Zenodoteum aut Aristophaneum." At Aristarchus Zenodoti obelos aut ipse probaverat aut *διπλῇ περιεστιγμένῃ* apposita reiecerat, atque ii critici, qui contra Zenodotum scripserant aut eius scripturas exposuerant, ut Ptolemaeus et Apollonius, de versibus a Zenodoto *ἀθετουμένοις* sine dubio egerant, quamquam obeli Zenodotei uno tantum loco satis integro mentionem fieri videmus. Atque Zenodotum obelo non caruisse etiam inde colligitur, quod quum nullum commentarium, neque librum de carminibus Homericis, *γλώσσαις*

Ζηνοδοτείοις γράφεται Τερμησσοῖο, ubi Muetzellius p. 281 dicere non debuit, „probus auctor posuisset *ταῖς*."

28) Cf. *οἱ περὶ Ἀντίμαχον* Schol. ψ, 604, ubi Wolfius (Prolegg. p. CLXXXII) *αἱ* voluit, Lehrsius (quaest. ep. p. 49) cum Heynio *Ἀρίσταρχον*, *οἱ περὶ Ἀριστοφάνη* Schol. θ, 290. Vide supra not. 9.

29) Ubi Villoiso (Prolegg. p. XXIII) post *αἱ Ἀριστοφάνους* excidisse *γλῶσσαι* non bene suspicatur.

30) Vix mentione dignus est Schol. Luciani (II p. 4): *Ὁμηρομάστιξ Ζηνόδωρος* (lege *Ζηνόδοτος*) *ὀβελίσας καὶ ἀθετήσας πολλὰ τοῦ ποιητοῦ*. Ceterum de obelo cf. Villoiso Prolegg. p. XIX sqq. Graefenhan. II p. 93 sqq.

exceptis, scripsisset, signo critico tantum versus, quos addubitavit, indicare potuit. Ceterum ne Zenodotum quidem primum obelum in editiones poetarum intulisse, sed iam ante eum ad locos poetarum et philosophorum minus aptos notandos hoc signum in usu fuisse suspicor.

„Nullus est in Scholiis locus," Wolfius recte monet (Prolegg. p. CCXV), „ubi ὑπόμνημα s. *commentarius* Zenodoti excitetur, ut fit in Aristophane et Aristarcho. Ac perraro aliquid illius adfertur, quod istuc spectet, et modo ex coniecturis grammaticorum scripturas Zenodoteas interpretantium, modo, si coniectura me non fallit, ex libro, in quo Zenodotus difficiliora verba explicaverat ad morem glossographorum." At dixerit quispiam, Zenodoteorum commentariorum memoriam oblitteratam esse, neque eo, quod non laudentur, eos non extitisse confici, atque in ipsis Scholiis argumenta Zenodoti scripturarum adferri, quae non nisi ex eius libris hausta sint. Verum ea, quae de Zenodoto narrantur, omnia ita comparata sunt, ut certam non extitisse eius cognitionem videamus, qualis, si ipse suae recensionis causas exposuisset, deesse non posset. Neque negligendum, verisimilius esse primum criticum in editionibus criticis adornandis substitisse, quam commentarios adiecisse, quod ne Aristophanes quidem fecit [31]). Quin ipse Aristarchus commentarios in Homerum non ediderat, quod Aristarchei fecerunt [32]).

At videamus argumenta, quae grammatici Zenodoto tribuunt. Incipiamus ab iis locis, quibus ipse Aristarchus de Zenodoto scribens inducitur. Didymus μ, 295: Ἀρίσταρχός φησιν, ὡς δεῖ δασύνοντας προφέρεσθαι· σημαίνει γὰρ κατὰ ἀριθμὸν ἐκ τοσούτων ἐλασμάτων συγκειμένην αὐτήν· ὁ δὲ Ζηνόδοτός, φησιν, ἔοικε ψιλῶς προφέρεσθαι. Aristarchus hoc collegit e Zenodotea sequentis versus scriptura, ἔξέλασ' pro ἤλασεν. Aristonicus ν, 808: Ἡ διπλῆ, ὅτι Ζηνόδοτος ὑποτάσσει· λίην γάρ σφιν πᾶσιν ἐκέκριτο θάρσεϊ πολλῷ. — Καὶ ὁ Ἀρίσταρχος περὶ τοῦ στίχου οὕτως λέγει, ὅτι ἐν τοῖς Ζηνοδοτείοις ἐφέρετο. Didymus ξ, 37: Ἀρίσταρχός φησι, Ζηνόδοτον γράφειν ὀψαΐοντες· ὁ δ' ἐπιθέτης Πτολεμαῖος τῷ ῥ. οὔγ' οὐ ψαύοντες. Cf. c. I. Aristarchum ὀψαΐοντες memoriae, ni fallor, errore, Zenodoti esse dixerat, Zenodotea editione non inspecta, quum haec scriberet. Didymus π, 97: Καλῶς οὖν, φησὶν Ἀρίσταρχος, Ζηνόδοτος ὑπώπτευκεν [33]), ὡς εἶεν παρεντεθέντες οἱ στίχοι ὑπὸ

31) Locos a Wolfio Prolegg. p. CCXXI allatos, Schol. β, 133. φ, 130, huc non pertinere hodie quivis videt. Atque verba a Porphyrio Quaest. Hom. 8 laudata ex Aristophanis libro desumpta videntur.

32) Cf. Lehrs. p. 25 sqq. Bernhard. II p. 112 sq.

33) Ὑποπτεύειν eodem fere sensu, quo ἀθετεῖν et νοθεύειν, dici-

τῶν ἀρσενικοὺς ἔρωτας λεγόντων εἶναι παρ' Ὁμήρῳ καὶ ὑπονοούντων παιδικὰ εἶναι Ἀχιλλέα Πατρόκλου. Hoc Zenodoti argumentum Aristarchus ipse suspicatus est aut ab aliis, ut Aristophane et Callistrato, Zenodoteae scholae traditionem acceperat.

Accedamus ad argumenta ab aliis Zenodoto tributa. Aristonico Zenodotearum scripturarum causas non certo fuisse cognitas iam hi duo ostendunt loci, β, 641: Ὅτι Ζηνόδοτος τοῦτον καὶ τὸν ἑξῆς ἠθέτηκεν, ἴσως ὑποπτεύσας τὸν Μελέαγρον κεχωρίσθαι τῶν Οἰνέως παίδων, et λ, 548: Ἡ διπλῆ, ὅτι ἀπὸ τούτου Ζηνόδοτος ἀθετεῖ ἕως τοῦ· ἤϊε πόλλ' ἀέκων (v. 557), ἴσως ὅτι νῦν μὲν λέοντι παραβέβληκεν, ἑξῆς δὲ ὄνῳ. Saepe nulla Zenodoteae scripturae causa additur. Alii extant loci, quibus argumenta Zenodoto ascripta ab ipso profecta esse nequeunt. Aristonicus β, 727: Ἡ διπλῆ περιεστιγμένη, ὅτι Ζηνόδοτος γράφει τοὺς δὲ Μέδων κόσμησεν, ἵνα συνδήσῃ τὴν φράσιν, ἠθετηκὼς τοὺς προειρημένους στίχους. At haec Zenodotum movisse non possunt, quum hic tantum versus 724 sq., non v. 726 obelo notasset. Non ipsa Aristonici verba habemus in nota Schol. B et V π, 141 sqq.: Ἀστερίσκους ἔχουσι· κακῶς, φησὶν Ζηνόδοτος [34]), ὅτι ποιόν τι ἦν, ὡς μὴ δύνασθαι αὐτὸ αἴρειν τοὺς ἥρωας; ἔστι δὲ κατὰ συλλογισμὸν ὁ ἔπαινος καὶ σύγκρισιν. Quae si vera fuisset Zenodoti causa, versus ipsos ineptos habuisset, ut nullo loco eos admittere potuerit. Sed legimus, criticum Ephesium hos versus hic quidem sustulisse, altero vero loco, τ, 388 sqq., retinuisse; Φ, 538: Ἡ διπλῆ, ὅτι Ζηνόδοτος τοὺς στίχους ἠθέτηκε, γελοῖον ἡγούμενος διὰ πύλης φωτίζεσθαι τὴν πόλιν, τοῦ παντὸς τόπου ἐναιθρίου ὄντος· λέγει δὲ τεῦξαν φάος ἀντὶ τοῦ τὴν σωτηρίαν τοῖς φεύγουσιν ἐποίησαν. At hoc Zenodotus ignorare non potuit, quem similes loci non offenderunt. Cf. ρ, 615: Καὶ τῷ μὲν φάος ἦλθε

---

tur. Cf. Galen. comment. II de nat. hom. (V p. 17 Chart.), qui dicit Aristarchum ὀβελῷ in carminibus Homericis esse usum πρὸς τοὺς ὑποπτευομένους παρ' αὐτῷ στίχους. Adde Schol. Od. β, 206: Ἀριστοφάνης δὲ ὑπώπτευε τὸν στίχον. Od. η, 80: Ὑποτοπεύεται (lege ὑποπτεύεται) ὁ τόπος. Od. μ, 107 (cf. c. XI not. 39): Ὑποπτεύει δ' αὐτὸν Καλλίστρατος ὡς μαχόμενον τοῖς ἔπειτα. Od. ξ, 21 (22): Ὑπωπτεύετο παρὰ Ζηνοδότῳ. Καλλίστρατος ὑπώπτευε τὸν στίχον. Od. ξ, 162: Ὑποπτεύονται οἱ τρεῖς. Od. ο, 31: Ὑποπτεύει Διονύσιος. Simile est Schol. Od. μ, 250: Καλλίστρατος ὑπονοεῖ τὸν στίχον. Dubitantius loquitur Schol. Od. ν, 390: Ὑπονοεῖτο ὁ στίχος. Habes, cur ea, quae de verborum ὑποπτεύειν et ὑπονοεῖν usu Bergkius docuit (ephemer. stud. antiquit. 1846 p. 499), probare nequeam. Ceterum de signo dubitationis cf. Graefenhan. II p. 94.

34) Sic legit codex Lips., teste Bachmanno, sed interpunctionem mutavimus; colon post κακῶς Bachmannus cum Bekkero posuit.

σ, 102: *Πατρόκλῳ γενόμην φάος*, υ, 95: *Τΐθει φάος*, ut locos, quibus *φόως* legitur, omittam. Nihilominus omnes fere hucusque bono Aristonico fidem habuerunt, Zenodotum ignorantiae insimulantes [35]. Simili modo Aristonicus γ, 28 erravit, adfirmans Zenodotum *ἀλείτας* intellexisse *ἁμαρτίας*.

Hinc clare apparet, argumenta illa ex ipso Zenodoto hausta esse non posse. Sed videamus de iis locis, quibus ipsa Zenodoti verba adferri videntur. Schol. ν, 367: *Αἱ μὲν Ἀριστάρχου ἀνωσέμεν· Ζηνόδοτος δέ φησι μὴ λέγεσθαι τὸν ἐκ Τροίας πλοῦν ἀναγωγήν.* Cf. Schol. ν, 627: *Καὶ ἠγνόηκε* (*Ζηνόδοτος*), *ὅτι ἀναγωγὴν καλεῖ τὸν ἐκ Πελοποννήσου εἰς Τροίαν πλοῦν.* Zenodotum igitur pro *ἀνωσέμεν* scripsisse *ἀπωσέμεν* dicit, quod praepositio *ἀνά* de Graecorum in patriam recessu non recte poneretur. Quod argumentum facile excogitari potuit. Ceterum Didymi verba hic non accurate servata sunt, sed summam tantum sententiae reddidit, cui haec debemus, Schol. V [36]. Aristonicus π, 188: *Ἡ διπλῆ περιεστιγμένη, ὅτι Ζηνόδοτος γράφει προφόως· ἀγνοεῖ δὲ, ὅτι ἐπὶ μὲν Εὐρυσθέως* (τ, 118) *οὕτως γράφειν ἐγχωρεῖ· πρὸ γὰρ τοῦ τεταγμένου ταῖς τικτούσαις χρόνου ἐγεννήθη, διὸ καὶ ἠλιτόμηνος εἴρηται, ἐπὶ δὲ τῶν ἄλλων οὐκέτι.* Iam vero vide Schol. V: *Ἀρίσταρχος χωρὶς τῆς πρό· Ζηνόδοτος μᾶλλον ἐπὶ τοῦ Εὐρυσθέως ἁρμόζειν φησὶ τὸ προφόως· ἠλιτόμηνος γάρ*, ubi restituendum esse: *Ζηνόδοτος προφόως δέ· Ἀρίσταρχος χωρὶς τῆς πρό· μᾶλλον δὲ ἐπὶ . . .*, iam supra vidimus. Aristonicus π, 432: *Ἡ διπλῆ περιεστιγμένη, ὅτι Ζηνόδοτος καθόλου περιγράφει τὴν ὁμιλίαν τοῦ Διὸς καὶ τῆς Ἥρας, οὐκ αἰσθόμενος, ὅτι πολλὰ κατὰ συμπέρασμα λέγει ὁ ποιητὴς σιωπώμενος γεγονότα, καὶ οὐ δέον ἐπιζητεῖν, πῶς ἡ μικρὸν ἔμπροσθεν ἐπὶ τὸν Ὄλυμπον παρακεχωρηκυῖα νῦν ἐπὶ τῆς Ἴδης ἐστίν.* Quid vero inde procudit Schol. V? *Παρὰ Ζηνοδότῳ οὐκ ἦν ὁ διάλογος τῆς Ἥρας καὶ τοῦ Διός· πῶς γάρ, φησιν, ἐν τῇ Ἴδῃ εὕρηται ἡ θεός; οἱ δὲ ὡς ἠκούσης αὐτῆς εἰς Ἴδην κατὰ τὸ σιωπώμενον, ἵνα μετὰ τοῦ Διὸς σκέψηται τὰ περὶ τῶν Ἑλλήνων, ὡς ἤδη τοῦ Διὸς μεταβεβλημένου τῷ γεγενῆσθαι, ἃ ἠξίωσεν ἡ Θέτις.* Aristonici verba, qui nunquam illo *φησὶν* ita de Zenodoto

---

35) Cf. Lehrs. p. 55. 364. Spitzner ad h. l. Graefenhan. I p. 534. Recte Heynius (VIII p. 214): „Vix haec ignorare potuit Zenodotus."

36) Quum ipsa Didymi verba non servata sint, minime cum Spitznero inde colligam, „Aristarchi *ἀνωσέμεν* priores non ignorasse." Schol. ita loquitur, ut fere dicas a Zenodoto Aristarchum esse refutatum. Didymus, ni fallor, dederat: *Ζηνόδοτος ἀπωσέμεν, ἡγούμενος μὴ λέγεσθαι τὸν ἐκ Τροίας πλοῦν ἀναγωγήν.*

utitur, tali modo variavit, ut ipsum Zenodotum loquentem induceret. Similis ratio est Schol. Od. δ, 353: *Ἐφετμέων· βούλεται μὲν λέγειν θυσιῶν· ἀσαφέστερον δὲ εἴρηται· διὸ Ζηνόδοτος ἠθέτει· ποῖαι γὰρ, φησί, ἐγένοντο ἐντολαί;* [37]). Atque ipsum Strabonem (XII, 3 p. 819 B: *Ζηνόδοτος δὲ ἐξ Ἐνετῆς γράφει, καί φησι δηλοῦσθαι τὴν νῦν Ἀμισόν*) Aristonici verba libere protulisse iudico, quamquam hic locus, etiamsi hoc non statuas, nihil probet, quum *φησί* hic *arbitrari* possit ex usu notissimo significare. Quem usum, fortasse omnibus illis locis statuendum, in Epimerismis Homericis apud Cramerum Anecd. Paris. I p. 409 agnosco. Restant tres loci, quibus Zenodoti argumenta coniunctio *γὰρ* adiungit. Schol. Od. η, 13: *Ἀθετεῖ Ζηνόδοτος· ἤδη γὰρ εἶπε (ὁ ποιητής) δαῖε δέ οἱ πῦρ* (v. 7)· *καὶ διὰ τὴν διαφορὰν τοῦ εἴσω πρὸς τὸ ἔνδον.* Od. θ, 23: *Ἀθετεῖ Ζηνόδοτος· οὐ γὰρ πολλοὺς ἐτέλεσεν ἐν Φαιακίᾳ, ἀλλ' ἐδίσκευσε μόνον.* Od. π, 281: *Ἀθετεῖ Ζηνόδοτος ιη'· πόθεν γὰρ ᾔδει (Ὀδυσσεύς) τὰ ὅπλα ἐν τῷ ἀνδρῶνι ἀντικείμενα;* Hic ipsa referri Zenodoti verba multo minus, quam illis, ubi *φησί* reperimus, locis statuas; his enim locis Aristonici verba ita immutata sunt, ut posterior grammaticus *φησί* aut *γὰρ* inferret, quod inlustri exemplo docet Schol. π, 188. Quum igitur nullus exsistat locus, quo Zenodoti argumenta ex ipsius commentariis aut libris (de *γλώσσαις* supra diximus) esse hausta demonstrari possit, contra probetur, nonnulla argumenta Zenodoto tributa ab hoc prolata esse non posse atque Aristonicus ipse bis de Zenodoteae *ἀθετήσεως* causa dubitet, multis locis nullam additam invenimus, recte colligimus, argumenta Zenodoto ascripta grammaticos excogitasse, nisi paucis locis traditionem a discipulis propagatam statuendam esse suspicaris, iusta fide historica omnes carere.

Quaenam vero Zenodoto Homeri edendi emendandique ratio fuerit, age iam nunc, quatenus fieri potest, exponamus. Pisistrateum Iliadis et Odysseae exemplar principem omnium codicum Homericorum fontem esse ante decem hos annos demonstravi [38]). Sed temporum cursu editio illa Pisistratea partim traditione, quae aliam horum carminum formam a rhapsodis acceptam hic illic servavit, partim emendandi, novandi, amplificandi licentia, partim corru-

---

37) In Eustathii loco p. 226 primum v. 41 *φασί*, v. 43 *φησί*, sed fortasse hoc illudve utroque loco reponendum est. Eustathium ipsa Zenodoti verba non adferre, non est, quod moneam.

38) In ephemer. stud. antiquit. 1837 p. 268 sqq. Cf. Ritschelius de biblioth. Alexandr. p. 58 sq. Graefenhan. I p. 271 sq. Quae Nitzschius in disputatione de Pisistrato Homericorum carminum instauratore (cf. comment. Od. III. p. 337) non refutavit.

ptione variisque, quas libri scripti subeunt, vicissitudinibus ita commutata est, ut editiones Homericae mirum inter se discreparent. Iam Alcibiadis aetate multos Homero emendando operam dedisse, historiola illa de Alcibiade narrata [39]), si vera est, ostendit. Alexandriam codices Homerici ex omnibus orbis terrarum partibus confluxerunt, summis opibus a Ptolemaeo comparati, quem legimus Atheniense trium inlustrium tragicorum exemplar, Lycurgo hortante adornatum, sibi comparasse [40]), sed de Pisistrateo Homero, quem Medici belli tempore periisse scite suspicatus est Welcker [41]), omnia silent.

Apud Galenum l. l. p. 411 legimus: *Φιλότιμον περὶ βιβλία τόν τε βασιλέα τῆς Αἰγύπτου Πτολεμαῖον οὕτω γενέσθαι φασίν, ὡς καὶ τῶν καταπλεόντων ἁπάντων τὰ βιβλία κελεῦσαι πρὸς αὐτὸν κομίζεσθαι καὶ ταῦτα εἰς καινοὺς χάρτας γράφοντα διδόναι μὲν τὰ γραφέντα τοῖς δεσπόταις, ὧν καταπλευσάντων ἐκομίσθησαν αἱ βίβλοι πρὸς αὐτόν, εἰς δὲ τὰς βιβλιοθήκας ἀποτίθεσθαι τὰ κομισθέντα, καὶ εἶναι τὰς ἐπιγραφὰς αὐτοῖς τῶν ἐκ πλοίων.* Hinc facile colligis, illarum editionum, quae in Scholiis *αἱ ἐκ τῶν πόλεων* (φ, 351), *αἱ διὰ τῶν πόλεων* (υ, 308), *αἱ ἀπὸ τῶν πόλεων* (τ, 386. φ, 454. 576. χ, 51. 93. ψ, 206), *αἱ τῶν πόλεων* (χ, 294), *αἱ κατὰ πόλεις* (φ, 11. 86. 535. χ, 93. ω, 82), *αἱ πολιτικαί* (ψ, 77. ω, 30) dicuntur, nomen inde esse explicandum, quod ex urbibus emptae Alexandriam venerant [42]). Septem *πολιτικαὶ* editiones e Scholiis nobis innotuerunt, Aeolica (Od. ξ, 280. 331. σ, 98), Argiva (α, 298. 435. 598. γ, 51. ν, 363. ο, 44. σ, 39. Od. α, 424), Chia (γ, 10. ν, 59. ξ, 349. 418. ρ, 134. τ, 56. 76. 86. 96. 117. υ, 188. ω, 332), Cretica (α, 381), Cypria (α, 332. 381. 423. ε, 461), Massiliotica (α, 97. 423. 585. 598. β, 258. γ, 10. μ, 281. 283. ξ, 418. ο, 44. π, 59. 127. σ, 502. τ, 56. 76. υ, 62. φ, 88. 162. 282. ψ, 870. 879. ω, 109. 192. 304. Od. α, 38. 97) et Sinopica (α, 423. 435. β, 258. ε, 461) [43]). Has editiones, quas iam Zenodoti aetate

---

39) Cf. Plut. Alcib. 7. Apophthegm. Alcib. 3. Aelian. V. H. XIII, 37.

40) Cf. Galen. in Hippocr. Epidem. III comment. II (V p. 412). Boeckh. de Graecae trag. princip. p. 13 sq.

41) Welcker de epico cyclo p. 387.

42) Scripturas, quae ψ, 77 et ω, 82 ex his editionibus referuntur, Aeschines (contra Timarch. p. 298) et Plato (Ion. 9) confirmant.

43) Paucae, quae servantur, harum editionum scripturae ex Aristophanis, Callistrati, Aristarchi, Seleuci scriptis haustae sunt. E Seleuco Cypria et Cretica laudantur Schol. α, 381, e Callistrato Argiva Schol. σ, 39. Observes e libro α adferri octo, e β unam, e γ duas, e δ nullam, ex ε unam, nullam e libris ζ-λ, e μ duas, e ν duas, e ξ duas, ex ο unam, e π duas, e ρ unam, e σ duas.

Alexandriae fuisse dubitari nequit [44]), minime Pisistrateam praecessisse et Ionico, quod dicunt, alphabeto scriptas fuisse, Giesius subtiliter demonstravit [45]). Alias Homericarum rhapsodiarum collectiones iam ante Pisistrateam extitisse non nego, sed haec plenissima omnium ubique recepta est, ita, opinor, ut illae urbes, quae iam partes carminum Homericorum publice scriptas possidebant, multa ex iis receperint a Pisistrateo exemplari discrepantia. Unde suspicionem, e qua Phocaeenses librum illum Massiliensem Massiliam apportaverint [46]), probare nequeo; nam Massilia iam condita, Homerus Pisistrateus innotuit, quem publice libris Homericis, quos iam possederunt, collatis describi curarunt. His editionibus πολιτικαῖς opponuntur αἱ κατ' ἄνδρα (Schol. χ, 108. ψ, 88), eae, quae ex hominum doctorum bibliothecis venerant Alexandriam, ut editiones Euripidis (Suid. v.) [47]), Antimachi (Schol. α, 298. 423. 598. ε, 461. ν, 59. φ, 607. χ, 336. ψ, 604. 871. ω, 71. Od. α, 85) [48]), Philemonis (Schol. β, 258. π, 457) [49]) et, ni fallor, Sosigenis (Schol. α, 91. 124. 435. 585. γ, 51). Restant duae aliae editiones, de quarum ratione certo diiudicare non possumus. Tribus Scholiorum locis laudatur ἡ πολύστιχος (α, 258. 340 [50]). δ, 335), quae inde, quod multis versibus auctior erat, quam ceterae editiones,

---

e τ sex (v. 56. 76. 86. 96. 117. 386), ex υ tres, e φ novem, e χ tres, e ψ quattuor, ex ω sex, e tota Odyssea sex (tres e libro α, duas e ξ, unam e σ), unde intelliges, quam fortuito nunc saepius advocentur editiones illae, nunc multis libris nulla earum fiat mentio.

44) Ne Zenodoto posteriores eas quis credat, ipsum nomen αἱ ἐκ τῶν πόλεων vetat. „Vetustatem earum," inquit Wolfius (Prolegg. p. CLXXV sq.), „omnibus in locis, ubi commemorantur, illud satis ostendit, quod vel praeponuntur Zenodoto, Aristophani horumque aequalibus, vel certe cum his componuntur; ne de aliis indiciis dicam, quae passim vel in Graeculorum negligentissima oratione agnocas."

45) De dialecto Aeolica p. 163 sqq. Cf. Bernhardium II p. 72. Giesius non vidit, Schol. η, 238 et λ, 104 eadem ratione, qua Schol. Od. α, 52, esse explicanda.

46) Cf. Prolegg. Payne-Knightii §. 33. Welcker l. l. p. 253 Klausen. de Aenea et penatibus p. 1115.

47) Cf. Wolf. Prolegg. p. CLXXXV. Graefenhan. II p. 279.

48) Cf. Antimachi reliqu. ed. Stoll. p. 112 sqq.

49) Priore loco Villoiso (Prolegg. p. XXXIV) pro Κρητικόν, quod Bekker retinuit, recte suspicatur κριτικόν. Cf. Porphyr. Quaest. Hom. 8.

50) Pro Σέλευκος ἐν τῇ πολυστίχῳ γράφει ἀναιδέος legas mecum Σέλευκός φησιν (nisi γράφει retinendum et huc transferendum esse putas) ἐν τῇ πολυστίχῳ ἀναιδέος. Cf. Schol. α, 381: Σέλευκός φησιν ἐν τῇ Κυπρίᾳ καὶ Κρητικῇ ἐπεὶ ῥά νύ οἱ φίλος ἦεν.

esse denominata videtur [51]). Ex uno tantum Scholio (Od. ξ, 204) nota est ἡ ἐκ Μουσείων, quod nomen corruptum, Buttmanni coniectura ἡ ἐκ Μουσείου nondum restitutum videtur [52]). Quae bis in Scholiis (Od. π, 195. ρ, 25) nominatur, ἡ κυκλικὴ mihi eadem videtur, atque ἡ τετριμμένη ἀνάγνωσις (Schol. β, 311. π, 57), ὡς τέτριπται (ι, 372), ἡ συνήθης ἀνάγνωσις (α, 168. ξ, 1. 340), ἡ κατειθισμένη ἀνάγνωσις (β, 292), ἡ κοινὴ ἀνάγνωσις (β, 662) sive ἡ κοινὴ (β, 52. ε 461. μ, 33. 404. Od. ε, 459. λ, 74). Cf. liber meus supra laudatus p. 35. Αἱ παλαιαὶ sive ἀρχαῖαι, τὰ παλαιὰ sive ἀρχαῖα non solum veteres editiones Zenodoto-priores nominantur, sed etiam recensiones Zenodoti, Aristophanis, Aristarchi, aliorum [53]). Quod idem dictum volo de ἁπάσαις, πάσαις, πλείοσιν, πλείσταις, sed ita ut de editionibus Aristarcho posterioribus non cogitandum sit, quod usu imperfecti (πᾶσαι εἶχον, συνεφώνουν, ὡμολόγουν) confirmatur. Cf. Schol. β, 163. κ, 341. ν, 485. ο, 307. ρ, 136. φ, 586. Schol. L, ubi solus brevitatis ergo πάσας advocat (α, 567. 585. 598. 600. 606. β, 196), fides non habenda [54]). His veteribus editionibus et recensionibus ad Aristarchi usque tempus notis opponuntur vulgares, quae cum omnibus mendis temporum cursu contractis a librariis propagabantur, αἱ δημώδεις, κοιναί, κοινότεραι, Aristarcho saepissime oppositae (Schol. δ, 170. ε, 797. 881. μ, 382. ξ, 125. 235. π, 638. ρ, 314. χ, 468. 478. ω, 214. 344). Quae eaedem αἱ εἰκαιότεραι, τὰ φαῦλα sive φαυλότερα ἀντίγραφα dicuntur, ut illae αἱ χαριέστεραι sive χαριέσταται [55]).

Mirum quantum aberrat Graefenhanius I p. 277, qui, quatenus grammatici Alexandrini veteribus editionibus et inter eas πολιτικαῖς usi sint, definiri non posse adfirmat, neque hoc constare, quod Bernhardius recte monuerat, has πολιτικὰς multa habuisse, quibus a κοιναῖς differrent. Est quidem nesciendi quaedam ars; qua si

---

51) Vix mentione dignum est, quod Graefenhanius I p. 272 protulit.

52) Scholium hoc est: Κάστωρ Ὑλακίδης. Καλλίστρατος ἐν τῇ ἐκ Μουσείων (nescio sit ων, an ω, addit Porso) Καστῶρ φησὶ γεγράφθαι. Giesii de hoc loco coniectura p. 165 displicet. Num pro Καστῶρ reponendum aliud nomen, ut Ἄκτωρ?

53) Cf. Schol. ζ, 4. θ, 131. ι, 657. Pro ἐν τῷ παλαιῷ ω, 557 suspiceris ἐν τοῖς παλαιοῖς.

54) Non est, quod de fide Schol. B et V α, 117. 124. 434. γ, 368. η, 171. ρ, 463 dubitemus, quod pluribus exponere non attinet. Schol. ψ, 91: Ἐν πάσαις οὐκ ἦν ὁ στίχος, intelligas versum in κοιναῖς fuisse.

55) Imperfecti εἶχον usum animadvertas. Cf. Schol. β, 164. 196. θ, 349. χ, 251. Ceterum in Schol. γ, 406 αἱ μέτριαι (?), Od. α, 167 ἔνιοι τῶν πάνυ ἀξιολόγων nominantur.

tali modo abuteris, timendum est, ne nihil ex accurata rerum disquisitione colligi posse confitearis. Quum tot Homericorum carminum editiones tantis sumptibus ubique gentium comparatas Ptolemaei collegissent, quis credat, Zenodotum, Aristophanem, Aristarchum, his editionibus in emendandis divini poetae operibus non usos, vulgares editiones his vetustate et summa accuratione insignibus magnisque opibus emptis praetulisse [56])? Duplex vero Homeri emendandi via iniri potuit, quum aut vulgares editiones, quae non multum dissimiles ferebantur, ita sequeretur διορθωτής, ut has e veteribus illis Alexandriae collectis corrigeret, aut hos ipsos antiquissimos libros novae recensionis fundamentum quasi iaceret, meliora, quae ipsi videbantur, aut e vulgaribus editionibus aut e mera coniectura, si quando offendebat, restituens. Quarum viarum posteriore Zenodotum sibi progrediendum esse censuisse tibi verisimillimum erit, cogitanti, hunc criticum tanta regis liberalitate magnanimoque litteras promovendi studio dignum opus conditurum non in leviore illa opera potuisse subsistere. Atque prorsus novam Homeri recensionem Zenodotum dedisse omnia, quae de eius studiis Homericis referuntur, indicant. Suidas criticum Ephesium recte primum Homeri διορθωτὴν vocat, non quod antea nemo Homero emendando operam dederit, sed quod ipse primus e vetustissimorum librorum auctoritate Homerum, iudicio ubique adhibito, restituendum sibi sumpserat [57]), unde Ausonius in ludo septem sapientum 12 vere coniungit *censorem Aristarchum normamque Zenodoti*. Atque hanc Zenodoteam recensionem fontem fuisse videmus illius Homericorum carminum formae, quae postea obtinuit. Nam Aristophanes plurimis locis Zenodotum praeceptorem secutus est et ipsius Aristarchi opera in Zenodotea recensione e subtiliore potissimum linguae cognitione emendanda adeo versata est, ut ille, quibus locis ab ea discederet, διπλῆν περιεστιγμένην apponeret. Aristarchi auctoritas plurimis locis invaluit, aliis vero Zenodoteas scripturas praetulerunt posteriores critici [58]).

Maxime dolendum est, quod paucis tantum locis vetustissimorum librorum scripturae, quas iam Aristonicus et Didymus non ubique compertas habuerunt, servatae sunt; nihilominus etiamnunc probari potest, *has antiquissimas editiones Zenodotum saepe secutum esse.*

---

56) Cf. quae Lehrsius de Arist. p. 365 sqq. exposuit.
57) Cf. Wolfius Prolegg. p. CLXXX sqq. Quae Lerschius olim III p. 55 sq. de διορθώσει Zenodotea sibi finxit, hodie ipse non probabit.
58) Cf. Schol. α, 434. β, 35. 258. ε, 227. 293. 466, aliis locis. Vide Bergkium in ephemer. stud. antiquit. 1846. p. 482.

Cum Argiva, Massiliotica et Antimacho *α*, 598 *οἰνοχόει*, non *ᾠνοχόει* legit, cum Massiliotica *σ*, 502 *ἀμφοτέρωθεν* et Od. *α*, 38 *πέμψαντε* [59]), cum Chia et Massiliotica *τ*, 76: *τοῖσι δ' ἀνιστάμενος μετέφη κρείων Ἀγαμέμνων*, cum *πλείσταις* *σ*, 499 *ἀποκταμένου*, cum *πλείοσι* *κ*, 291 *παρίσταο*; omisit cum Chia et Argiva *ρ*, 134—136, atque *σ*, 39—49, quibus versibus Argivam caruisse legimus, Zenodotus obelo notavit. Nonnullis locis a *πάσαις* (*ξ*, 259. *ο*, 307), *πλείοσι* (*ξ*, 437) et ceteris *χαριεστάταις* (*β*, 52. 196. *γ*, 51) discessit, verum dubitari nequit, quin saepissime, ubi Zenodoti nomen est omissum, *πᾶσαι* sive *πλεῖσται* cum eo convenerint, illis potissimum locis, ubi Aristophanes, qui Zenodotum quam maxime sequitur, nominatur, Zenodoti praeceptoris vero mentio deest [59a]). *Atque multis aliis locis, ubi Zenodotea scriptura ab Aristarcho et posterioribus criticis discrepat, primum διορθωτὴν non nova tentasse, sed retinuisse, quae invenerat*, non solum probabile videtur, sed etiam, quod iam Wolfius (Prolegg. p. CCIV sq.) vidit, certis argumentis demonstrari potest.

B, 196 Didymus tradit Aristarchum, Ptolemaeum Epitheten et *τὰς χαριεστάτας ἄνευ τῆς Ζηνοδότου* singularem *διοτρεφέος βασιλῆος* legisse; at iam Aristoteles Rhet. II, 2, quod Spitzner neglexit, Zenodoti pluralem habet, *διοτρεφέων βασιλήων*. *H*, 64 Aristarchus *πόντον ὑπ' αὐτῇ* [60]); Zenodotum alteram lectionem *πόντος ὑπ' αὐτοῦ*, quae in Aristotelis Problem. XXIII, 23 legitur et a Schol. commemoratur, retinuisse iudico, ut in codice Ven. A *διπλῆ* pro *διπλῇ περιεστιγμένῃ* appicta sit. At *ι*, 594 Zenodotus *δήιοι* et *ν*, 546 *διὰ* e mera scripsit coniectura, ubi Aristoteles *τ' ἄλλοι* (Rhet. I, 7)

---

59) Massiliotica legit:

Πέμψαντε Μαίης ἐριχυδέος ἀγλαὸν υἱόν,

ubi non erat, cur Buttmannus (Schol. p. 563), quem Nitzschius sequitur, reponeret *πέμψαντες*, quum versus dualem hic non prorsus spernat atque ex illorum sententia, qui dualem explicabant *ego et alii di*, significantior videatur. De versu cf. Spitzner de versu heroico p. 37 sqq.

59a) Zenodoti scriptura eadem, atque Aristophanea fuisse videtur *γ*, 373. *δ*, 142. *ξ*, 44. Neque minus iis locis, quibus Zenodoto omisso Aristophanis et Aristarchi scripturae inter se non discrepantes, a vulgata vero recedentes laudantur (cf. *α*, 585. *β*, 192. 434. 447. *γ*, 35. 227. *ε*, 289. 638. *ξ*, 203. *π*, 175), hos Zenodoteas scripturas propagasse suspiceris.

60) Cf. de hoc loco Spitzner excurs. XIV, 2. Guil. Humboldtius (Opp. V p. 83) *πόντος* probat, recte, si quid video. Quod Apollonium Rhodium hic legisse ostendit locus IV, 1574, ubi Homericus usus obversatur. De significatione v. *μελανέω*, unde imperfectum *μελάνει*, nisi praesens *μελανεῖ* praetuleris, non est, quod dubites.

et ἀπὸ (Hist. Anim. III, 3). Aristoteles (Hist. Anim. VI, 25) ι, 539 pro eo, quod nunc legimus:

Ὦρσεν ἔπι χλούνην σῦν ἄγριον, ἀργιόδοντα,

haec habuit:

Θρέψεν ἔπι χλούνην σῦν ἄγριον, οὐδὲ ἐῴκει
θηρί γε σιτοφάγῳ, ἀλλὰ ῥίῳ ὑλήεντι [61]),

quam scripturam in Strabone reperiri dicit Eustath. p. 772, 46. Quae nunc legimus, non sine librorum auctoritate Zenodotum induxisse suspicor. Aristotelem et ante eum Democritum χ, 337 pro ὀλιγοδρανέων legisse ἀλλοφρονέων loci Metaphys. III (IV), 5 et de anima I, 2, 5 ostendunt, quod iam Heimsoethius [62]) vidit; ὀλιγοδρανέων Zenodotum scripsisse iudico. Similis ratio videtur locorum ω, 11, ubi Plato legit: τοτὲ δ' ὀρθὸς ἀναστὰς πλωίζεσκ' ἀλύων ἐπὶ θῖν' ἁλός (Rep. III p. 388 A) [63]), et ω, 528, quem versum philosophus hoc modo a nostra scriptura miro modo discrepante legit (Rep. II p. 379 sq.):

Κηρῶν ἔμπλειοι, ὁ μὲν ἐσθλῶν, αὐτὰρ ὁ δειλῶν·

Nonnunquam poetarum loci Homerum imitantium ostendunt, scripturam, quam Zenodoteam fuisse novimus, non ab ipso esse inventam, sed e libris servatam. Cuius rei exempla proponemus. Didymus φ, 575: Ἀρίσταρχός τινάς φησι γράφειν κυνυλαγμόν (pro κεν ὑλαγμόν)· οὕτω καὶ Ζηνόδοτος· καὶ Στησίχορος δὲ ἔοικεν οὕτως ἀνεγνωκέναι· φησὶ γοῦν ἀπειρεσίοιο κυνυλαγμοῦ. Hesiodus et Stesichorus forma Ἰλεὺς pro Ὀϊλεὺς utebantur (cf. Schol. ο, 333),

---

61) Cf. Od. ι, 190 sq. Heynius (V p. 652) adfirmare non debuit, posse hunc locum ab alio in margine libri Aristotelici esse ascriptum, quum falsum sit, quod addit, eum ad philosophi consilium haud spectare, quamvis non sit necessarius.

62) Democriti de anima doctrina p. 11. Mullachius (Democriti fragmenta p. 346) Aristotelem non v. 337, sed v. 355 ἀλλοφρονέων legisse putat, quum mortis tenebrae, quas ἀλλοφρονεῖν designet, ipsam mortem plerumque praecedant. At obstant ipsa Aristotelis verba, ὅτι (Ὅμηρος) ἐποίησε τὸν Ἕκτορα, ὡς ἐξέστη ὑπὸ τῆς πληγῆς, κεῖσθαι ἀλλοφρονέοντα.

63) Plato: Μὴ ποιεῖν Ἀχιλλέα — τοτὲ δ' ὀρθὸν ἀναστάντα πλωΐζοντ' ἐπὶ θῖν' ἁλὸς ἀτρυγέτοιο, unde Barnesius recte coniecisse videtur, Platonem legisse πλωΐζεσκ'. Eodem modo paullo post, ubi versum χ, 414 adfert, participium λιτανεύοντα Plato posuit, quamquam ipse, ut nos, in Homero legit ἐλλιτάνευε. Errat Spitzner, qui Platoni scripturam πλωΐζοντ' tribuit. Heynius (VIII p. 585): „Scripserat Plato πρωΐζοντα, matutinum se agentem. Interpretatur Plato poetam, non novam lectionem adfert." At tum in loco interpretando pro vocabulo omnibus noto ignotum posuisset. Plato ipsa poetae verba adhibet ita tantum mutata, ut orationis structurae conveniant.

non minus Pindarus (cf. Boeckh. I, 2 p. 404) atque Arctinus (cf. Bekkeri Schol. p. II), unde vides multos iam ante Zenodotum hanc nominis formam in Homeri carminibus invenisse. *Φὴ* Antimachus pro *ὡς* posuit [64]), quem usum unde haurire potuit, nisi e locis Homericis? Ut Zenodotus *β*, 144 et *ξ*, 499 *φὴ* non novaverit, sed invenerit. Formam *ἤμελλον* *μ*, 34 habuit, quam Hesiodo notam in editionibus invenisse videtur. Quod e Zenodotea editione *β*, 484 adfertur: *Μοῦσαι βαθύκολποι*, iam Pindarus in Homero legisse videtur. Cf. Pyth. I, 23. Atque Zenodoti *οὐρανὸν αἰπύν* (cf. Schol. *γ*, 364. *ο*, 192) in Pindari fragmento (vide Crameri Anecd. Oxon. I p. 201. Schneidewin. exercit. crit. p. 23) invenimus. Non dubito, quin criticus Ephesius *ἥδυμος*, non *νήδυμος ὕπνος* in Homero legerit, quum illam formam Antimachus (Schol. *β*, 2), Alcman, Simonides, Epicharmus, Hesiodeus poeta et auctor Homerici hymni in Mercurium noverint. Cf. Langii observationes criticae in Iliadem part. II p. 4 sq. [65]). Si Zenodotus cum Cratete et Eratosthene saepe formas dualis et pluralis confundit (cf. Schol. *ω*, 282), libros Homericos sine dubio secutus est; nam poeta hymni Homerici in Apollinem [66]) dualem verbi pro plurali habet (456. 487), quod ex Homericis carminibus, qualia tunc ferebantur, eum sumpsisse necesse est. Aratus *κρώξαντε* et *βοῶντε* pluralis vice usus est (Phaen. 968. 1023), quem participii dualis usum Zenodotus in Homero non tulit.

Videamus igitur Zenodoti scripturas ab Aristarcho discrepantes saepe e vetustissimis fluxisse editionibus. At inde minime colligitur, primum Homeri *διορθωτήν* raro aut nunquam a librorum auctoritate recessisse, immo eum saepissime, quae artis criticae incunabula erant, ingenio indulsisse, quum neque Homericam dictionem, neque nativam poetae simplicitatem epicique carminis artem per-

---

64) Cf. Stoll. l. l. p. 99, unde vides eundem Callimachi usum fuisse. Antimachum *φὴ γηράντεσσιν* scripsisse puto (cf. Hes. Op. et dies 186). Schol., qui Antimachi locum adfert, corrupte *γέρων οἶσι*, quae neque ipse olim (fragm. epic. p. 106), neque alii recte restituerunt. Bekker *φὴ γεράνοισι*, Buttmannus *φὴ ῥα γέρων οἶσιν*, ipse *φὴ δὲ λέων οἶσιν* (*τεκέεσσιν*), Bergkius *φὴ δὲ γέρων εἶσεν*.

65) De *νήδυμος*, quod recte restituit Aristarchus, cf. Faerber in annalibus criticis Berolinensibus 1844 p. 623 sqq.

66) Nimis audacter Reimnitzius (de declinatione Graeca p. 15) suspicatur, hymnum Homericum in Apollinem Ptolemaeorum tempore esse scriptum. Certe hymnum in Apollinem Delium iam Thucydides novit. De hymnorum Homericorum aetate cf. Kieselius de hymno in Apollinem Homerico p. 26 sqq. Bernhardius II p. 129 sq. 133 sq.

spectam haberet, certissime adfirmamus. Subtilior enim verborum interpretandorum disquisitio, a Zenodoto vix inchoata, Aristophanis studio provecta, ab Aristarcho demum ita, ut plerumque certo fundamento niti videretur, est perfecta. Quae vero propria Homericorum carminum ars, quid poeta dignum, quid indignum, ne Aristarchi quidem ingenium vere intellexit, qui sobrio ieiunoque, quo excelluit, iudicio multa quidem a Zenodoti aliorumque licentia, audacia et temeritate bene vindicavit, sed in aliis iisque gravissimis rebus, quum Homericae aetatis atque artis rationem ignoraret, egregie erravit. Iam Apollonius (de constr. I, 2 p. 5) recte animadvertit: *Φαμὲν δέ γε καὶ λόγους ποτὲ παρέλκειν πρὸς οὐδὲν συντείνοντας, εἴ γε πλείους ἀθετήσεις ὑπ' Ἀριστάρχου διὰ τοὺς τοιούτους τρόπους ἐγένοντο* [67]. Lucianus (Ver. Hist. II, 20) ridet *τῶν ἀμφὶ τὸν Ζηνόδοτον καὶ Ἀρίσταρχον γραμματικῶν πολλὴν τὴν ψυχρολογίαν* in Homero emendando conspicuam. Aristarchi errores Lehrsius, in huius laudibus uberrimus, non quidem negat (cf. p 354), sed non, quibus debuit, exemplis demonstravit [68], ut iuste de criticorum principe diudicari posset.

---

67) Versus, qui Aristarcho *παρέλκοντες, περισσοί, οὐκ ἀναγκαῖοι, δισσολόγοι, ταυτολόγοι* videbantur, obelo notavit. Cf. Schol. *α*, 94. 474. *ζ*, 311. *ι*, 44. *κ*, 240. *ν*, 350. *π*, 261. *τ*, 416. *ψ*, 479. *ω*, 86.

68) Nonnulla pravi iudicii documenta addere libet. Versus *α*, 29—31 proscripsit. Chrysen enim gavisurum fuisse, si Agamemnonem filia sequeretur, atque esse *ἀπρεπὲς τὸ τὸν Ἀγαμέμνονα ταῦτα λέγειν*. Quis perversius iudicare poterat? Cf. Heynius IV p. 19. *Γ*, 108—110 *ἀθετοῦνται, ὅτι ἀπολογία ἐστὶν αὕτη ὑπὲρ τῶν παραβάντων Πριαμιδῶν*, ubi recte Heynius (IV p. 471: „Obliti erant viri docti usu sermonis hoc ubique haberi, ut de eo, quod *plerumque* fit, dicere soleamus, semper, *αἰεί*, id fieri." *Γ*, 352 Aristarchum offendit, quod *δῖον ἀκαίρως ὁ Μενέλαος τὸν ἐχθρὸν λέγει*, similesque *ἀθετήσεως* causas invenies *χ*, 393 sq. et *ψ*, 581. Hector se ipsum *δῖον* nominat *η*, 75, neque Homerici heroes hostium virtutes agnoscere detrectant. Cf. *λ*, 123. 138, ubi Zenodotus male emendavit. In alio epitheto non magis recte haesit *φ*, 331. *Γ*, 395 legimus Aristarchi dubitationem: *Πῶς γὰρ ἡ γραίᾳ εἰκασμένη περικαλλέα δειρὴν εἶχε καὶ ὄμματα μαρμαίροντα καὶ στήθεα ἱμερόεντα*, et quae ibidem v. 406 sq. leguntur, ei *βλάσφημα* visa sunt. Cf. Heynius IV p. 534 sq. Versus *ε*, 906, qui necessarium narrationi finem imponit, notatur, *ὅτι ἄτοπον ἐπὶ τῷ κύδει γαυριᾶν τὸν ὑπὸ θνητοῦ ἡττημένον*. Cf. Heynius V p. 172. Versus *θ*, 371 sq. a Minerva irata et Iunonem instigante aptissime additos reiecit, monens: *Οὐκ ἔδει κατὰ μέρος διηγήσασθαι καὶ ταῦτα πρὸς τὴν καλῶς εἰδυῖαν· καὶ μὴν οὐδὲ ἡμεῖς περισσόν τι προςιστοροῦμεν.* Quod versus *ξ*, 301 sqq. proscripsit *ὡς ἀμβλύνοντας τὴν ἐπιθυμίαν Διός*, refutat Aristonicus. *Σ*, 597 sq. reiecit, quia *οὐ πρέπον χορεύοντας μαχαίρας ἔχειν*. *Υ*, 251—255 dixit *ἀνάξια τῶν προςώπων· καὶ παρὰ βαρβάροις δέ ἐστι*

„De Zenodoto," inquit Lehrsius (p. 374), „sic iudico. Quamquam non omnia, in quibus Aristonicus utitur vocabulo *Ζηνόδοτος ἐποίησε* vel *μετέγραψε*, coniecturis similia sunt, tamen et constans veterum grammaticorum opinio, qua ipsa ductus Aristonicus nonnulla eius coniecturae tribuit, quae Zenodoteo tempore in libris ferebantur, et complura certissima exempla non sinunt nos dubitare, quin satis libere in scriptoribus tractandis versatus sit coniecturisque indulserit." Zenodotus, qui vetussimis usus libris multa, quae carmina divina contraxerant, vitia emendavit atque locos male insertos sustulit, novum Homeri emendandi fundamentum iecit, quo Aristarchus ita usus est, ut, quod ille inchoaverat, absolveret, plurimis, ni fallor, locis Zenodotum secutus, aliis librorum scripturas a Zenodoto audacter spretas revocans atque accurata Homericae dictionis cognitione saepe meliora docens. Quum vero ille Zenodotum fere iis tantum locis commemorasset, ubi ab eo recedens eius licentiam et errores castigabat, quod idem Apollonius Rhodius, Dionysius Thrax, alii fecerunt, quumque quae Callistratus et Ptolemaeus Epitheta, ut Zenodotum defenderent, scripserant, contra Aristarchi auctoritatem nihil valerent, factum est, ut posteriores ubique fere de Zenodoti licentia et ignoratione cogitarent, saepe immerito atque iniustissime, quod certis exemplis supra demonstravimus. Hinc conficitur, ut nulla sit eorum, quibus Aristonicus et Didymus Zenodoteas scripturas adferunt, verborum auctoritas [69]),

---

τὸ τὰς γυναῖκας προςερχομένας λοιδορεῖσθαι, ὡς παρ' Αἰγυπτίοις. *Ω*, 130—132 proscripsit Aristarchus, *ὅτι ἀπρεπὲς μητέρα υἱῷ λέγειν· ἀγαθόν ἐστι γυναικὶ μίσγεσθαι· ἔτι δὲ καὶ ἁπάντων ἀσυμφορώτατόν ἐστι καὶ μάλιστα τοῖς εἰς πόλεμον ἐξιοῦσι· χρεία γὰρ εὐτονίας καὶ πνεύματος.* Quis talia vituperantem aevi illius mores poetaeque artem non satis perspectam habuisse non intelligit? Adde locos, quos ridiculos dicit et inde obelo notat, ut *ε*, 838. *ζ*, 311. *η*, 195. *κ*, 409. *ξ*, 376. *τ*, 365. *χ*, 329.

69) Saepissime *γράφει Ζηνόδοτος* legimus, ubi *γράφει* non mutationem indicat, sed eodem modo dicitur, quo Latinum *legit*. Quod Wolfius (Prolegg. p. CCX) dicit, praesentis usum legitimum esse in libris, qui vulgo in manibus sint, probare nequit. Cf. Lehrsium quaest. epic. p. 38 sqq. de simili re disserentem. Neque *μεταγράφει* meram coniecturam significat, sed variam scripturam (cf. *ω*, 400). Ceterum de Zenodoti varietate scripturae legimus *οὕτω ποιήσας* (Aristonicus *δ*, 123. cf. Aristarchus *α*, 424: *Ἔνιοι ποιοῦσιν*), *πεποίηκε* (Aristonicus *η*, 9. *θ*, 312). (sed cf. *θ*, 128). *ν*, 316. *χ*, 378), *μεταποιεῖ*. Didymus *υ*, 114, nisi *μεταποιήσας* legendum. Od. *δ*, 158), *μετεποίησε* (Aristonicus *υ*, 273), *διεσκεύακε γράφων* (Aristonicus *π*, 666. cf. Lehrs. p. 349 sqq.), de versibus ab aliis omissis *ὑποτάσσει στίχον* (Aristonicus *ε*, 807. *ν*, 808. *ξ*, 136), *προςτίθησι* (Aristonicus *ρ*, 456), de ordine versuum mutato *τίθησι* (Aristonicus *θ*, 53. *κ*, 520),

sed singulis locis nobis diiudicandum sit, utrum Zenodotus temere finxerit, an, quae in editionibus invenerat, retinuerit. Quodsi omnia recte perpendimus, videmus Zenodotum de nova Homeri recensione adornanda optime meritum esse, quum e librorum auctoritate plurima emendaverit, in formis grammaticis eum nihil fere sibi permisisse multaque Aristarcho corrigenda reliquisse, plura sine idonea causa in usu syntactico mutasse, summa vero audacissimaque emendandi licentia in iis versibus temere versatum esse, in quibus ob ipsam sententiam haesit, in versibus denique eiiciendis aut obelo notandis eum vix uno alterove loco codicum auctoritate [70]), sed suo tantum iudicio, saepissime vero atque ipsi Aristarcho probato, esse usum. Denique, quod non negligendum videtur, Zenodotus saepe genuinam scripturam retinuit postea ab Aristarcho aliisque mutatam [71]). Suus igitur stet Zenodoto honos, sed non ita, ut Aristarchum veriora plurimis locis, quibus a Zenodoto recessit, docuisse negemus, quamquam nonnunquam criticum Ephesium rectius iudicasse contendimus. Quod inchoaverat Zenodotus, Aristarchus felicissime perfecit, quantum illa aetas et humana natura imbecillitasque perficere poterant. Nos hodie de multis rebus rectius iudicamus, neque dissimulandum est, si nobis ad eosdem, e quibus Zenodotus et Aristarchus hauserunt, accedere fontes liceret, de genuina Homeri forma subtilius accuratiusque restituenda non desperandum fore.

μετατίθησι (Aristonicus ϑ, 1), μετετίθει (Aristonicus γ, 423), μετατέθεικε (Aristonicus σ, 174), τέτυχε (Aristonicus δ, 123. ξ, 394), de locis in brevius redactis συντέτμηκε, ἐπισυντέτμηκε, συντετμημένως (Aristonicus α, 446. β, 60. 156), τοὺς δύο ἕνα ἐποίησεν (Aristonicus α, 219).

70) Quod de iis tantum locis dictum volo, ubi Aristarchi editio versus a Zenodoto omissos recepit; nam non dubito, quin Zenodotus multos alios versus interpolatos et in vulgaribus editionibus obvios e librorum auctoritate Aristarcho probante sustulerit. Zenodoti merito, vere aestimando, id maxime officit, quod tam manca formae Homericorum carminum, quae ante eum obtinuit, cognitio ad nostrum tempus perlata est. Multis locis certo quidem adfirmari potest, scripturam, quae Zenodotea fertur, meram esse coniecturam e loco male intellecto ortam, sed inde non efficitur, ipsius Zenodoti eam esse coniecturam, quam in libris vetustissimis, quos ab emendando non abstinuisse verisimillimum est (cf. Diog. Laert. IX, 113. Wolfius Prolegg. p. CLXXXVII), fortasse iam invenerat.

71) Schol. V ω, 205: Ἐξενάριξε, τινὲς ἐξήνεξε, τῆς ἀρχῆς (lege ἐξαρχῆς) κατέβαλε. Ἐξήνεξε, quam lectionem unice veram esse docui in dissertatione de ultimo Iliadis libro, Ritschelii et Welckeri Musei Rhenani vol. V inserta, a Zenodoto recte servatum, Aristarchum expulisse suspicor.

III.

DE FORMIS GRAMMATICIS ET DIALECTICIS.

Pauca Zenodotus in formis grammaticis et dialecticis sibi permisisse videtur eoque tantum peccasse, quod falsas et ab Homero alienas scripturas non ubique sustulit. Incipiamus a nominibus propriis. *Σ*, 592 Zenodotus Ἀριήδνῃ pro Ἀριάδνῃ et Od. *ο*, 244 (adde ibidem 253) Ἀμφιάρηον pro Ἀμφιάραον scripsit, quas formas non ipse invenit, sed e nonnullis, ni fallor, editionibus Ionicam dialectum nimis adfectantibus male retinuit. *B*, 532 librorum lectionem Βῆσαν, Herodiano probatam (cf. Steph. v. Βῆσσα), servavit, Aristarcho Βῆσσαν praeferente [1]. *B*, 634 Zenodotus in forma Σάμον haesit, quum hanc insulam omnibus aliis Homeri locis (cf. Od. *α*, 246. *ο*, 366. *π*, 123. 249. *τ*, 131. *υ*, 288) Σάμην dictam inveniret, unde scripsit ἠδ' ἀμφὶ Σάμην ἐνέμοντο. Cf. supra c. I. Vide Strab. X, 5 p. 698 sq., quem Apollodori sententiam non recte referre Lehrsius p. 238 monuit [2]. *B*, 520 librorum auctoritate dedit ἠδὲ Πανόπτεων (cf. supra c. I) [3], ceteris legentibus καὶ Πανοπῆα, quod Aristarchum reduxisse coniicio. Ceterum Πανοπῆος et Πανοπῆϊ de eadem urbe *ρ*, 307. Od. *λ*, 581 legimus, ubi eandem scripturae varietatem Πανόπτεω et Πανόπτεῳ obtinuisse probabile est. Ἰλεὺς pro Οἰλεὺς Zenodotum scripsisse Scholia (*μ*, 365. *ν*, 203. 694. 712. *ξ*,

---

1) Aristonicus: Ζηνόδοτος γράφει Βῆσαν ἐν τῷ ἑνὶ σ, διὰ τὸ βήσσας λέγεσθαι τῶν ὀρῶν τοὺς καθύγρους τόπους. Quo argumento si Zenodotus esset usus, more Aristarcheo (cf. Lehrs. p. 271) nomen proprium ab appellativo distinxisset. Aristarchum sequitur Strabo IX, 4 p. 652 B. Cf. Eustath. p. 277, 30 sqq.

2) Aristonicus Zenodotum ignorasse dicit, ὅτι κατὰ τὸ ἀρσενικὸν ἐνίοτε ἐκφέρεται τὰ εἰς ος (lege η) λήγοντα.

3) De accentu cf. Goettling. p. 286 sqq. Mehlhorn. gramm. Graeca p. 150 sqq.

442. ο, 333) testantur. Cf. Eustath. p. 1018, 58. Aristonicus β, 527: Ἡ διπλῆ, ὅτι τινὲς τῶν νεωτέρων ἀνέγνωσαν τὸ ο ὡς ἄρθρου ὄντος, εἶτα Ἰλῆος· ὁ δὲ Ὅμηρος σὺν τῷ ο λέγει τὸν Ὀϊλῆα. Cf. c. II. Legit igitur ὁ Ἰλῆος τάχυς Αἴας sive υἱός (β, 527. 727. ν, 66. 701. ξ, 442. 520. ρ, 256. ψ, 473. 488. 754. 758), ἦν ἔχ' ὁ Ἰλεύς ν, 697. ο, 336). B, 728 sine dubio ὑπὸ Ἰλῆϊ dedit; pro ἤτοι ὁ μὲν νόθος υἱὸς Ὀϊλῆος θείοιο (ν, 694. ο, 331), quo versu Aristonicus Zenodotum refutari dicit, ἤτοι μὲν νόθος υἱὸς ὁ Ἰλῆος θείοιο, pro αὐτίκ' Ὀϊλιάδην (μ, 365) αὐτίκ' ἄρ' Ἰλιάδην, pro κόψεν Ὀϊλιάδης (ν, 203) κόψε γὰρ Ἰλιάδης, pro οὐδ' ἄρ' Ὀϊλιάδη (ν, 712), Aristonico teste, ἀλλ' οὐκ Ἰλιάδη et pro Ὀϊλιάδης (ξ, 446. π, 330) ὁ Ἰλιάδης. Dubites de versu λ, 93:

Αὐτόν, ἔπειτα δ' ἑταῖρον Ὀϊλῆα πλήξιππον,

quum hic non de Aiacis patre agat poeta, quamquam hic quoque Ἰλῆα nescio quo modo restitutum Zenodotum invenisse aut corrigendo intulisse suspicor. Num scripsit ἑταῖρον ἕλ' Ἰλῆα? Langium, qui Aristarchum nimio articuli ex Homero tollendi studio motum pro Ἰλεύς e coniectura ubique Ὀϊλεύς scripsisse arbitratur (III p. 12 sq.), recte refutavit Faerber l. l. p. 622 sq. Quum utraque forma in Homeri esset editionibus, Aristarchus genuinam recte praetulit. Hesiodum, Stesichorum et Pindarum forma Ἰλεύς usos esse diximus.

Transeamus ad *nomina appellativa*. Κρητὸς habuit Zenodotus α, 530 et, ni fallor, omnibus locis, quibus nunc κρατός, κρατί, κρᾶτα, κρασὶν legitur, κρητός, κρητί, κρῆτα, κρησὶν dedit, quamquam κράατος, κράατι, κράατα tollere non potuit. Talia Zenodoti licentiam temere in Homerum transtulisse ut credam, animum inducere non possum. Invenit haec Zenodotus in nonnullis codicibus, sed Aristarchus non sine librorum auctoritate genuinam Homero restituit formam [4]). Contrarium huius formae nimis Ionicae exemplum est ἄας pro ἠοῦς θ, 470, quod Zenodoti commentum esse nequit; verum lectio est a nonnullis libris tradita, sed recte

4) Heynius (IV p. 142) Zenodotum multis illis locis refutari posse censet, quibus Homerus formis κρατός, κρατί, κρᾶτα utitur. Langius I p. 15 sq., ut κρητὸς restituendum esse demonstret, comparat κατὰ κρῆθεν, κατάκρης sive, ut nonnulli voluerunt, κατὰ κρῆς, κρή-δεμνον et κρήνη *caput aquae*. Ut de mira v. κρήνη etymologia taceam (cf. Pottii quaest. etymol. II p. 182), haec omnia male comparari patet, quum thema v. κράς sive, si dis placet, κρής non sit κρα sive κρη, sed κρατ s. κρητ. Omisit Langius, quod mireris, eas formas, quibus κρητὸς multo aptius defendere potuit, κάρητος, κάρητι, quae iam ante Zenodotum, ut κρητός, κρητὶ reponerentur, moverunt. Cf. quae contra Langium monuit Faerber l. l. p. 621.

ab Aristarcho spreta [5]). Στεναχὴ pro στοναχὴ Zenodotum ω, 512 dedisse scimus eandemque formam eum omnibus aliis locis, nec minus στεναχίζειν pro στοναχίζειν ubique scripsisse non est, quod dubites. Schol. Od. ε, 83: Διὰ τοῦ ε στεναχῆσιν αἱ Ἀριστοφάνους. Aristophanes igitur praeceptoris exemplum secutus est, cuius nomen hic, ut fieri solet, omissum est. Cf. c. I not. 61. Aristarchus, falsa analogia ductus, genuinam formam a Zenodoto servatam removit [6]). Quod Zenodotus δ, 478 (adde ρ, 302) θρέπτα [7]) dedit pro θρεπτρά, tuetur Vossius ad hymn. in Cer. 168, comparans οὐ φυκτὰ πέλονται, quod huc minime pertinet. Aristonicus contra Zenodotum monet: Λέγεται δὲ θρεπτὰ τὰ τεθραμμένα, θρέπτρα δὲ σὺν τῷ ρ τὰ θρεπτήρια, ὥςπερ λύτρα τὰ λυτήρια. At aut fallor, aut Zenodotus verbo ἀπέδωκε male intellecto emendavit θρεπτά, quod intellexit *nutrimenta; parentibus nutrimenta non reddidit.* Formam μάρτυρος et, quae inde declinatur, μάρτυροι non agnovisse videtur. Β, 302. γ, 380. ξ, 274 pro μάρτυροι legit μάρτυρες. Cf. Schol. ad h. l. et Od. π, 423. Eandem Zenodoti scripturam α, 338. χ, 255. Od. ξ, 394 obtinuisse quis neget? Neque Zenodotum locum Od. π, 423 cum Scholiis et Wolfio (Prolegg. p. CCVIII) dixerim neglexisse, sed pro μάρτυρος dedisse vocem eiusdem, atque ἐπιτιμήτωρ (Od. ι, 170), significationis. De voc. ἐπιμάρτυρος η, 76 vix dici poterit, quid statuerit. Langius II p. 19: „Quum υἱός et υἷες, ἀρνειός et ἄρνες, ἡνίοχος et ἡνιοχῆες, ἐρίηρος et ἐρίηρες dicerentur, quid obstitit, quo minus etiam μάρτυρος et μάρτυρες diceretur?" Atque μάρτυρες et μάρτυρας poetam hymni in Mercurium (372), Pindarum (Ol. I, 34. Nem. III, 22) et Aeschylum (Eum. 318) dixisse monet. Zenodotum in forma inusitata

---

5) Lobeck. Rhematic. p. 253: „Ἆας Boeoti, ut Lexicographi docent, adverbii loco usi sunt, pro εἰς αὔριον, ut ἔνας pro εἰς τρίτην, eundemque casum Zenodotus Homero impegit." Cf. Spitzner. Ἆας genitivus est formae ἄα, quae αὔα Lesbiis erat. Vide Ahrens. de dialectis I p. 121. 206.

6) Contra Zenodotum monet Aristonicus: Ἐκπίπτει δὲ τὰ διὰ τοῦ ε ῥήματα ἐν τοῖς ὀνόμασιν εἰς τὸ ο, λέγω λόγος, μένω μονή· οὕτως στενάξαι στοναχή. Quod Heynius (VIII p. 701) et Spitzner exc. III omnino probarunt. At recte Lobeckius Rhemat. p. 258 hanc comparationem ineptam dicit. Στεναχή minime a verbo στενάχω descendit, sed eodem, quo illud, suffixo a radice verbi στένειν; de vocali ε servata cf. ἐχυρός, ἐργάνη, ἐρκάνη (Lobeck. p. 280), de suffixo αχ, a Pottio neglecto, στόμαχος, τέμαχος, σέλαχος. Vide Langium II p. 8. 10 sq.

7) Hoc cum Eustathio p. 501, 15. 29 praefero, quum in Schol. A legatur θρεπτά.

μάρτυροι baerentem vulgarem praetulisse iudico [8]). *Ἐπίουρος ν*, 450 Zenodotus legit, Aristarcho probante, aliis *ἐπιοῦρος* aut *ἔπι οὖρος* scribentibus. Cf. Lehrs. p. 114 sqq. Denique pro composito *ἀλαοσκοπίην κ*, 515. *ξ*, 135. (adde *ν*, 11. Od. *θ*, 285) e libris scripsit *ἀλαὸν σκοπιήν*, sed Aristarchus ex aliorum librorum auctoritate recte *ἀλαοσκοπίην* restituit [9]).

Iam vero de *casibus substantivorum* videamus. Genitivi formam *Γοργόνος* pro *Γοργοῦς* scripsit *θ*, 349, quamquam Homerus nominativum *Γοργὼ* habet *λ*, 36, nisi forte Zenodotus *Γόργων* legit. Quum Apollonius aliique posteriores epici forma *Γοργόνος* utantur, dubitare non licet, quin Zenodotus eam in libris invenerit. Aristarchus verum restituit. Cf. Valckenar. Eur. Phoen. 458. Lobeck. Rhemat. p. 324. Genitivum *Αἰνειῶο ε*, 263. 323 retinuit e codicibus; Aristarchus verius *Αἰνείαο* scripsit non sine libris, opinor [10]). *Υ*, 484 Zenodotus e libris *Πειρέως* pro *Πείρεω*, quod Aristarchus ex aliis libris restituit [11]). Dativum *δένδρει* pro *δενδρέῳ γ*, 152 Zenodotum ex analogia pluralis *δένδρεσι* finxisse ut credam, animum inducere non possum; Aristarchus meliorem scripturam recepit [12]). Accusativum *Μίνω* (*Μίνωα* legimus *ν*, 450. Od. *λ*, 567) Zenodotus *ξ*, 322, Aristarchus *Μίνων* dedit; Zenodoteum praevaluit

---

8) Sext. Empir. advers. grammat. I, 206 (p. 646 Bekk.): *Τῇ δὲ Ὁμηρικῇ (συνηθείᾳ) κατακολουθοῦντες οὐ χωρὶς γέλωτος ἑλληνιοῦμεν μ ά ρ τ υ ρ ο ι λέγοντες καὶ σ π ά ρ τ α λ έ λ υ ν τ α ι καὶ ἄλλα τούτων ἀτοπώτερα.* At forma *μάρτυρος* in Delphicis legitur inscriptionibus. Cf. Stephani Thes. V p. 596 sq. ed. Par.

9) Contra Zenodotum monet Aristonicus: *ὁ ποιητὴς οὐδέποτε εὕρηκε σκοπιὴν τοὺς ὀφθαλμούς.* At Zenodotus *σκοπιὴν* speculandi actum intellexisse recte animadvertit Heynius (VI p. 100), quam significationem Homerus (nam versum *θ*, 302 loci interpolati esse constat) non novit.

10) Posteriore loco Aristonicus: *Ζηνόδοτος γράφει Αἰνειῶο· οὐκ ἔστι δὲ Αἰνειώς, ὡς Πετεώς* (cf. *β*, 552. *δ*, 337 et alios locos), priore: *Ζηνόδοτος γράφει Αἰνείω*, ubi *Αἰνειῶο* sine dubio legendum esse et metrum et versus 323 simili modo incipiens ostendit. *Αἰνείω ε*, 534 (nisi forte Zenodotus *Αἰνειῶ' ἕταρον*) et a nonnullis *υ*, 307 legebatur.

11) Aristonicus: *Ἔστι γὰρ Πείρως τὸ ὄνομα* (*β*, 844)· *νῦν δὲ ἐσχημάτικεν ἀπὸ τοῦ Πείρεως, ὡς Μενέλεω. Πειρέως* (sic enim scribendum, non cum Bekkero et Spitznero *Πείρεως*) genitivum esse voluit nominis *Πειρεύς*, unde Homerus *Πειρέος* aut *Πειρῆος* declinare debuit. Cf. Heynius VIII p. 107.

12) *Δένδρει* cum Zenodoto legit Timo Phliasius, hoc versu usus. Cf. Diog. Laert. III, 7. Wolfius (Prolegg. p. CCXII) *δένδρει* non improbat, Heynius (IV p 479) praefert. *Δενδρέῳ ἐφεζόμενοι* ob metricam difficultatem variam lectionem *δένδρει ἐφ.* iam ante Zenodotum provocaverat.

apud posteros [12a]). Vocativis *Κάλχα* α, 86 (cf. Schol. ν, 68. 222) et *Πουλυδάμαν* μ, 231. ξ, 470 (adde ν, 751. σ, 285) usum esse Zenodotum legimus, unde *Λαοδάμαν* Od. θ, 141. 153. eiusdem Zenodoti fuisse coniicimus. Aristarchus *Κάλχαν* et *Πουλυδάμα*. Aristonici regulam α, 86: *Τὰ εἰς ᾶς λήγοντα διὰ τοῦ ντ κλινόμενα ἐπὶ τῆς γενικῆς ἔχει τὴν κλητικὴν εἰς ν, Θόαν, Αἶαν*, ne Aristarchus quidem sine exceptionibus probavit, quum *Πουλυδάμα* scriberet. Num Aristarchus simplicia a compositis distinxit? Zenodotum hic nibil novasse cum Hefftero (p. 12) statuo [12b]); uter rectius iudicaverit, dici nequit. Tu cf. Buttmannum I p. 179 et Matthiaeum I p. 210. *Ἴρεσσιν* scripsit λ, 27 pro *Ἴρισσιν*. Cf. infra c. VII not. 1. Denique Bergkius nuper l. l. p. 482 sq. e tabula Iliaca Parisiensi collegit, Zenodotum α, 421 pro *νηυσὶ* scripsisse *νευσί*, de qua forma cf. praeter ea, quae Bergkius disseruit, Lobeckii Paralipomena p. 92.

A substantivis ad *adiectiva* transeuntibus a forma *Ἡράκλειος* incipiendum est, qua Zenodotus pro *Ἡρακλήειος* β, 658. ε, 638 (adde λ, 690. ο, 640. τ, 98. Od. λ, 601) usus est. Cf. supra c. I. Aristarchus formam epicam e melioribus libris restituit. Quod Zenodotus ε, 31 (adde 455) retinuerat, *τειχεσιβλῆτα*, Aristarchus aut fortasse iam Aristophanes correxit, legens *τειχεσιπλῆτα*, de qua forma vide Lobeckii Rhemat. p. 88. 107 [13]). *N*, 824 (adde Od. σ, 79) Zenodotus e libris *βουγήιε*, Aristarchus *βουγάιε*; *τάχα, ἐπεὶ γαίων ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον ὁ ποιητὴς λέγει*, Schol. A addit. Cf. Heynius VI p. 515. *Ἀάπτους* α, 567 et *διὰ σπιδέος* λ, 754 Zenodotum cum Aristarcho dedisse iam supra (c. II not. 15) vidimus [14]). *Z*, 266 Zenodotus scripsit *ἀνίπτῃσι* (male Heynius V p. 249 cum Villoisone *ἀνίπτῃσι*), ubi Aristarchus *ἀνίπτοισι*, Herodianus *ἀνί-*

12a) Spitzner: „Constat autem *Ἄρην* ε, 909 Herodiani, qui Aristarchi vestigia legit, auctoritate niti, unde (?) *Μίνων* poetae reddatur oportebit." Num illo loco Zenodotus *Ἄρη* dederit (cf. de hac forma Ellendt. in lex. Soph. Mehlhorn. p. 221. Ahrens. I p. 121 sq. II p. 240), nescio.

12b) *Εὐρυδάμαν* habuit Alcaeus et *ἀκαμαντοχάρμαν* Pindarus vocativum casum. Cf. Lobeck. Paralipomena p. 172.

13) Aristonicus: *Ποσειδῶνος δὲ ἔργον τὸ ἐκ θεμελίων καταβάλλειν καὶ τὰ ἐπίγεια σείειν, Ἄρεως δὲ τοῖς τείχεσι προςπελάζειν· καὶ ἔστιν ἐπίθετον ἀνάλογον τῷ παρὰ Στησιχόρῳ π υ λ ε μ ά χ ῳ.*

14) Quum Aristarchus neque *διὰ σπιδέος*, neque *δι' ἀσπιδέος* praetulerit, sed utrumque explicaverit, eum in recensione nova, quam edidit, Zenodoteam scripturam non mutasse probabile est. Quomodo Spitzner sibi cogitet (exc. XXI p. XCI), Aristarchum utrumque apposuisse, non exputo. Ceterum locus a Schol. laudatus non e commentariis, sed e libro quodam Aristarchi, fortasse e *λέξεσι πρὸς Κομανόν*, desumptus est. De v. *σπιδής* cf. praeter Spitznerum Lobeckii Paralipomena p. 161.

πτησι [15]). Aristonicus contra Zenodotum monet: Οὐκ ἔστι δὲ εὔθετα ἡ ἀνίπτης. At adiectivorum ἀδμής et ἀβλής (Lobeck. Paralipp. p. 82 sq.) analogiam opponere poterat Zenodotus, quamquam has formas in ης ad ea tantum composita pertinere dixeris, quorum altera pars est monosyllaba. Aristarchus veram lectionem restituit. Od. δ, 1 (adde Il. β, 581) [16]) Zenodotus καιετάεσσαν, quam formam in libris inventam in κητώεσσαν, nescio an libris adiuti, mutarunt. Cf. Strab. VIII, 6 p. 559 sq. Καιετάεσσαν merum Zenodoti commentum non esse, quod ab omni probabilitate abhorret, demonstrat Callimachi usus (fr. 224), quem vocem a Zenodoto inventam non in sua translaturum fuisse carmina quisque videt. Κητώεις a κῆτος derivatum, ut ὠτώεις (cf. Lobeck. Rhemat. p. 181), idem significaret, quod κητώδης; at significatio *ingens* vix apta videtur. Καιετάεις, a καιέτας *spelunca* (cf. Strab. l. l.) descendens [17]), significat *speluncis praeditus* aut *speluncae similis*, quod hic aptissimum videtur. Hinc contra Buttmannum (Lexil. II p. 92 sqq.) et Nitzschium (I p. 228) cum Langio (part. III p. 14), qui rem non accurate exposuit, Zenodoteum praefero. Od. ι, 116 (adde κ, 509) Zenodotus ἐλάχεια, Aristarchus λάχεια, quam varietatem iam ante Alexandrinorum aetatem obtinuisse non est, quod dubitemus [18]). At ἐλάχεια falsa correctio videtur eius, qui hanc positivi formam comparativi ἐλάσσων et superlativi ἐλάχιστος esse censuit. Od. σ, 130 οὐθὲν pro οὐδὲν Zenodotum scripsisse testantur Ammonius v. οὐδὲν et Eustathius p. 1841, 22, quorum prior οὐδὲν et οὐθὲν (οὐθ' ἕν) differre putat, alter ἀρέσκει, inquit, τοῖς παλαιοῖς ἡ μετάθεσις τοῦ θ καὶ τοῦ δ εἰς ἄλληλα Αἰολέων εἶναι. At οὐθεὶς et μηθεὶς Boeotica potius sunt et Dorica. Cf. Ahrens. I p. 44. 168. II p. 84. Scripturam inventam Zenodotus retinuit, Aristarchus ex aliis libris οὐδὲν recte restituit [19]).

Pro πολεῖς et πολέας duabus syllabis efferendo Zenodotum, quod in libris invenit, πολῦς omnibus locis (cf. α, 559. β, 4. κ, 734. ο,

---

15) Errat Lobeckius, qui Paralipp. p. 452 observat: „De Aristophane (?), quum Il. ζ, 266 χερσὶ δ' ἀνίπτησι praeoptaret, cuius primam positionem ἀνίπτῃ dici negant (Heynius Lobeckium in errorem induxit), difficilis est quaestio, librosne, an aures consuluerit."

16) Schol. br. Il. β, 581 dicit: Τινὲς δὲ γράφουσι καιετάεσσαν.

17) Thema est καιεταντ; τ excidit, ut in declinatione neutrorum in ας (Mehlhornii gramm. p. 180 sq.) et in εὐρώεις a εὐρώς, cuius thema εὐρωτ.

18) Cf. Lehrs. quaest. ep. p. 175. Mehlhorn. p. 192. Nitzsch. III p. 27 sq.

19) Nota sunt, quae de his formis disputavit Lobeckius ad Phryn. p. 181 sq.

66. ν, 313. φ, 59. 131. Od. δ, 170) dedisse suspicor [20]. Quum υ ante alias vocales in declinanda voce πολὺς in ε transeat, nunquam πολύας, πολῦς, ut ἰχθύας, ἰχθῦς, formari poterat, unde Aristarchus recte πολῦς expulit. De dorica participii forma πρόφανεῖσας vide infra c. VIII not. 2.

Nominativum *comparativi* in ων Zenodotus ubique in ω desinentem habuit. Cf. Schol. α, 80. 249. γ, 71. η, 114. Adde Schol. π, 688: "Ὅτι τινὲς χωρὶς τοῦ ν̄ γράφουσι κρείσσω. Od. β, 180: Γράφεται ἀμείνω, χωρὶς τοῦ ν̄, ὅπερ καὶ κάλλιον [21]. Quum Zenodotus linguae Graecae adeo ignarus fuisse nequeat, ut nominativos et accusativos comparativorum, in sermone vulgari bene distinguendos, temere turbaverit [22], non dubito, quin has formas in libris invenerit. Quum vero ν ad thema comparativi pertineat, vix puto Homerum illud in nominativo omisisse, unde Aristarchus iure, non sine libris, opinor, genuinam formam reduxit [23].

Superlativum κυδέστη pro κυδίστη Zenodotum Od. γ, 378 legisse Schol. Harl. testatur. Quod in omnes, quibus superlativus κύδιστος

---

20) Aristonicus β, 4: "Ὅτι Ζηνόδοτος γράφει πολῦς· μόνα δὲ τὰ εἰς ῡς μονογενῆ δύναται παρὰ τὴν ἔκτασιν ἢ συστολὴν ἑνικὰ καὶ πληθυντικὰ γίνεσθαι, οἷον βότρυς βότρυς. Ne dubites de scriptura, quam Zenodoto tribuit Aristonicus, ea addidit, quae omnem eximunt dubitationem, unde si in Schol. L, cuius fidem sublestam esse scimus, α, 559 legimus: πολέας, Ζηνόδοτος πολεῖς, hic aut aliorum scripturam (cf. Schol. φ, 131) Zenodoto ascribit, aut πολῦς emendandum. Non igitur erat, cur Spitzner haereret, ne de Langio (I p. 16) et Hefftèro (p. 16) dicam, qui spreta Aristonici auctoritate πολεῖς scripsisse Zenodotum contendunt.

21) Recte Buttmannus monet: „Mirum nominativum in ω hic commendari, qui alias ut Zenodoteus longe reiicitur." Qui Aristonici aut Didymi notam in breve coegit, eam male intellexisse videtur.

22) Minus mirum videtur, quod Chrysippus et Zoilus δῶσι pluralis formam esse putarunt. Cf. Schol. α, 129.

23) Cf. Boppii grammat. comparat. p. 411 sq. Iam Wolfius (Prolegg. p. CCVIII) de Zenodoti nominativis in ίω recte pronunciavit: „Quo sane nihil absurdius est et analogiae magis repugnans." At tu mihi nunc audi Langium (I p. 7), qui, Hefftero (p. 12) applaudente, talia profert: „Hanc priscam Homeroque dignam (!) comparativi formam bene tuetur Buttmannus in Gramm. I § 56. ann. 11; eamque restituendam esse existimo, quamvis Scholiastes A priscae linguae ignarus eam reiiciat." Unde vero nobis haec priscae linguae venit cognitio? Num ex iis, quibus Zenodotus usus est, codicibus? At eosdem consuluit Aristarchus, atque corruptam eorum scripturam saepe fuisse et aliorum librorum fide subtilique iudicio restituendam negari nequit. Num ex analogia? At litteram ν thematis in nominativo abiectam esse eo minus verisimile, quod eo nominativi et accusativi formae eaedem fierent.

reperitur, locos cadere videtur, neque scio, an omnes superlativos a neutris in *ος* aut adiectivis in *ης* derivatos non in *ιστος*, sed in *εστος* formaverit, ut *ἄλγεστος*, *κέρδεστος*, *ἐλέγχεστος*. At *ε* hic recte ante duas consonantes euphoniae causa in *ι* mutatur; alia ratio est superlativorum in *τατος*, ut *σαφέστατος*, ubi *ε* non mutatur, quod syllaba praecedens cum accentu effertur [24]). Aristarchus veram formam restituit.

De *pronominibus* primum monendum est de *νῶϊν* et *σφῶϊν* accusativorum loco positis *α*, 336. *θ*, 377. *χ*, 216 (adde *θ*, 428) [25]), ubi recte Aristarchus restituit *νῶϊ* et *σφῶϊ*. Quae Zenodotus invenerat *νῶϊν* et *σφῶϊν*, e *ν ἐφελκυστικῷ*, quod hic locum non habet, orta videntur. Alio loco, *θ*, 139, pro *ἄγε δ' αὖτε*, in illo *αὖτε* offensus, infeliciter coniecit *ἄγε νῶϊ*, ubi *νῶϊ* dativus esse deberet Cf. Buttmann. Lexil. I p. 53 sq. *Σφῶϊ* *α*, 8 et *κ*, 546 retinuit Aristarchus non sine libris, opinor, *σφῶε* correxit [26]). Apollonius de constr. II, 22 p. 167 sq.: *Ἐπεὶ οὖν παρήλθομεν εἰς τὰς ἀντωνυμικὰς γραφὰς τοῦ Ζηνοδότου, οὐ παρέλκει καὶ περὶ τοῦ·*

Τίς τάρ [27]) *σφῶϊ* (*α*, 8)

διαλαβεῖν· τὴν γὰρ τοιαύτην γραφὴν καὶ Σέλευκος προκρίνει καὶ ἄλλοι πλεῖστοι παρατιθέμενοι καὶ ἐκδόσεις Ὁμηρικάς (*πολιτικὰς* fortasse intelligit). *Ἀλλ' ἔστι γε καὶ ὑπὲρ τῆς παραδεδομένης γραφῆς ἐκεῖνο φάναι, ὡς μᾶλλον κατώρθωται, ἵνα μὴ ἡ αὐτὴ οὖσα φωνὴ παρὰ τὴν ἔγκλισιν προσώπου μεταβατικὴ γίγνηται.* Cf. eundem de pron. p. 303 (63). 373 (113). Zenodotum *σφῶϊ* hic non de secunda, quod cogites (quamquam allocutioni hic locus non est), sed de tertia intellexisse persona, recte ex altero loco (*κ*, 546) colligitur. *M*, 366 *σφῶε* male vice pronominis secundae personae retinuit, ubi Aristarchus *σφῶϊ*. Fortasse Zenodotus eodem modo *η*, 280 (adde *κ*, 552) *σφῶε* dederat; Ixionem enim *σφῶε* legisse testatur Apollonius de

---

24) Rem ita exposui, qualis grammaticis Graecis apparere debebat. Rectius de superlativis in *ιστος* nunc iudicamus (cf. Bopp. f. I. p. 409. Pott. II p. 253 sq.), ut de formis in *εστος* non cogitandum esse pateat.

25) Aristonicus: *Ὅτι τινὲς σὺν τῷ ν* (*ν ῶ ϊ ν ἐῶ*), *κακῶς*, ubi de Zenodoto esse cogitandum patet.

26) Schol. A *α*, 8: *Ὁ Ζηνόδοτος σ φ ῶ ϊ ν* (lege *σ φ ῶ ϊ*) *ἔγραφεν*. Schol. L: *Οἱ περὶ τὸν Σιδώνιον τῇ σ φ ῶ ϊ ἀρέσκονται, οὐ καλῶς· ἡ γὰρ σ φ ῶ ϊ δύο πτώσεις ἐπιδέχεται, ὑμεῖς τε καὶ ὑμᾶς, ὧν οὐδέτερον ἁρμόττει. Διπλῆ περιεστιγμένη* v. 7 ad v. 8 pertinet. Aristonicus *κ*, 546: *Ἡ δὲ διπλῆ, ὅτι Ζενόδοτος γράφει σ φ ῶ ϊ. τοῦτο δὲ τίθεται ἀντὶ τοῦ ὑμεῖς ἢ ὑμᾶς, ὧν οὐδέτερον ἁρμόζει.*

27) *Τάρ*, non *τ' ἄρ*, Zenodotus atque omnes Alexandrini grammatici scripsisse videntur. Cf. Lehrs. quaest. ep. p. 131 sq.

pron. p. 374 (114). Οὗ contra Homericum usum pro genitivo tertii pronominis Zenodotus υ, 261 (ἀπὸ οὗ) et ω, 293 retinuit [28]). Neque alia Zenodoti scriptura Od. ε, 459 fuisse videtur, ubi Schol. corrupte: Ζηνόδοτος ἀπὸ ἕο, ἡ κοινὴ ἀπὸ ἕθεν; nam neque ἡ κοινὴ legere poterat ἀπὸ ἕθεν versu vetante, neque Zenodotum tam inconstantem fuisse puto. Schol. dicere debebat: Ζηνόδοτος ἀπὸ οὗ, ἡ κοινὴ ἀπὸ ἕο. Eundem formae ἑοῦ usum, Hesiodo (Muetzell. p. 215) et Apollonio notum, e libris recepit Zenodotus β, 239. τ, 384. Od. η, 217 [29]). Aristarchus, rectius Homericum usum observans, librorum fidem secutus, ἕο restituit. Quid rei sit, non perspexit Langius (II p. 17). Confunditur relativum ὃν cum possessivo ὃ α, 609, ubi πρὸς ὃ λέχος Zenodotum dedisse praeter Schol. A testatur Apollonius de pron. p. 400 (140) [30]). Correxit vitium, quod fortasse non omnes libros occupaverat, Aristarchus [31]). De οἷσιν ἐνὶ βελέεσσιν σ, 231 cf. c. VIII. Μ, 428 recte Zenodotus scripserat ὅτεῳ, quod usu Homerico (cf. ο, 664. Od. β, 114) comprobari monet Schol. A. Unde, quod vulgo et in cod. Ven. legitur, ὅτῳ venerit, nescimus. Od. γ, 50 Zenodotus τοὶ pro σοί, quod recte improbavit Aristarchus [32]). Il. ε, 428 pro οὔτοι οὐ τοὶ legens male διαστολὴν intulit [33]), quum regulam de τοὶ et σοὶ distinguendis (vide quae nota 32 attuli) nondum cognitam haberet. Α, 271 ἐμωυτὸν et

---

28) Apollon. de constr. II, 21 p. 163 sq.: Δείκνυται, ὡς οὐ παρὰ τὰς ἀντωνυμίας Ζηνόδοτος ἥμαρτε, παρὰ δὲ τὸ Ὁμηρικὸν ἔθος· ἕνεκα τούτου προκέκριται ἡ Ἀριστάρχειος ἀνάγνωσις. Cf. de pron. p. 357 (97).

29) Schol. ad Od. locum: Ἕο μνήσασθαι, αὐτῆς φροντίσαι. Ζηνόδοτος ἕο (mecum legas ἑοῦ) γράφει ἀντὶ τοῦ ἑαυτῆς. Quod Porso animadvertit: „Anne alii legebant ἕθεν?", nihili est.

30) Heynius (IV p. 166) fidem Schol. L (Apollonii locum omittit) sequitur, qui Zenodoto οὗ ascribit.

31) Mire Heffter (p. 16): „Zenodoti igitur aetate adhuc declinabatur illud pronomen possessivum ὃς ἡ ὃ. Quod quum ita esset, non debuit mutari."

32) Schol.: Ζηνόδοτος δὲ τοὔνεκα τοὶ γράφει, (ἀγ)νοῶν, ὅτι (τοὶ) ἐπὶ τῆς διαστολῆς (οὐ) παραλαμβάνεται Cf. Schol. α, 76. 294. Lehrs. quaest. ep. p. 122 sq.

33) Cf. Epimer. Homer. apud Cramer. Anecd. Par. I p. 409: Ἄξιοι οὖν ἀναγινώσκειν Ζηνόδοτος·

Οὐ τοί, τέκνον ἐμόν, δέδοται πολεμήϊα ἔργα·

ἔστι γάρ φησι διαστολή· εἰ δὲ διαστολή, ὀρθοτονητέον· ὅτι δὲ διαστολή, δῆλον ἐκ τοῦ ἐπιφερομένου, quod recte refutat. Adde Apollon. de pron. p. 365 (105).

ξ, 162 retinuit ἑωυτὴν pro ἐμ' αὐτὸν aut ἐμαυτὸν et ἑαυτὴν [34]). Aristarchus bene animadverterat, Homerum formis compositis ἐμαυτόν, σεαυτόν, ἑαυτὸν non uti. Cf. Lehrs. quaest. ep. p. 114 sq. Zenodotus ο, 179 καὶ κεῖνος probante Aristarcho servavit eandemque scripturam aliis locis (cf. γ, 402. ζ, 200. ο, 45. π, 648. χ, 390. Od. α, 260. ζ, 164. θ, 467. σ, 150. τ, 370. υ, 205) Zenodoti fuisse non est, quod dubites. Callimachum in Homero κἀκεῖνος legisse Naekius coniecit, quem vide subtiliter disserentem Opusc. II p. 92—95. Zenodotus igitur hic veram elegerat scripturam [35]).

Accedamus ad *verborum* formas. Ἴσκοντες scripsit Zenodotus, quem Alexio et Ptolemaeus Ascalonita, alii [36]) sequuntur, λ, 799 (adde π, 41), Aristarchus εἴσκοντες, quod non probarunt posteriores grammatici. Cf. Etym. p. 272, 13 sqq. 476, 13. Atque Od. δ, 279 ἴσκουσ' sine dubio Zenodoti erat, ubi alii εἴσκουσ'. Zenodotea forma praeferenda, ac nescio an Aristarchi scriptura coniectura est ex ἐΐσκω Homero usitato male nata. *T*, 26 Aristarchus ἐγγείνωνται, Zenodotus ἐγγίνωνται, quod quum transitive dici nequeat, Zenodotum nominativum εὐλαὶ pro accusativo εὐλὰς dedisse suspiceris. Cf. Heynius VII p. 601). Verum vidit Aristarchus. Προςδέρκεται legit π, 10 (adde Od. ρ, 518), ubi alii ποτιδέρκεται aut προτιδέρκεται. Ποςεδέρκετο Od. υ, 385 habemus. Composita cum προτὶ sive ποτὶ verba Homerus haec novit, προτιβάλλειν, ποτιδέχεσθαι, προτιειλεῖν sive ποτιειλεῖν, προτιειπεῖν, ποτικλίνεσθαι, ποτινίσσεσθαι, προτιμυθεῖσθαι, προτιόσσεσθαι, ποτιπίπτειν, ποτιπτύσσεσθαι, προτιάπτειν (ω, 110). Non video, cur προτιδέρκεται, quod, ni fallor, Aristarchi fuit, praeferatur, nisi putas Homerum πρὸς in compositis non nisi ante vocales admisisse, et ubi verbi forma monosyllaba est, ut προςβάς.

---

34) Male apud Villoisonem legimus: Ὅτι Ζηνόδοτος γράφει ἑαυτήν (Bekker ἑωυτήν), unde Heynii error (VI p. 552). At Spitzner hodie scribere non debuit: „Ἑωυτὴν vel ἑαυτὴν Zenodotus."

35) Schol. A: Ἐκ πλήρους τὸν σύνδεσμον Ἀρίσταρχος. Schol. V: κἀκεῖνος ἐκ πλήρους, ὃ καὶ ὁ Ζηνόδοτος γράφει, ubi καὶ κεῖνος legendum esse patet. Eodem modo μ, 348 in Zenodoti scriptura καὶ κεῖσε emendandum Zenodoti καὶ κεῖνος, κεῖθι, κεῖσε, non κἀκεῖνος, κἀκεῖσε, κακεῖθι fuisse, inde confirmatur, quod illis versibus, ubi καὶ κεῖνος, καὶ κεῖσε, καὶ κεῖθι legitur, nunquam διπλῆν περιεστιγμένην, signum variae Zenodoti scripturae, appictam videmus. Aristarchi scriptura indicatur γ, 402. μ, 348. ο, 45. 94. 179. π, 648. φ, 62.

36) Schol. V: Ζηνόδοτος διὰ τοῦ ι· ὁ δὲ Ἡρωδιανὸς διὰ τοῦ ι βραχέος φησὶν εἶναι τὴν γραφήν. Illo e Didymo sumpto: Ζηνόδοτος διὰ τοῦ ι, addit Schol. Herodiani de quantitate illius ι observationem.

At Homerum in talibus aures consuluisse dixerim, atque duobus illis locis προςδέρκεται, ne versus quasi difflueret, poetam elegisse suspicor. *B*, 694 e libris ἀστήσεσθαι aut ἀστήσασθαι scripsit, Aristarchus ex aliorum auctoritate ἀνστήσεσθαι [37]). Similem scripturae varietatem alias obtinuisse recte Langius (III p. 18 sq.) animadvertit. Aristarchum enim ἀνστάντες, ἀνστήσων, ἄνστησον legisse διὰ τοῦ ν Schol. β, 12. 398. κ, 32. 176 testantur, unde, vides alios, Zenodotum, opinor, secutos, ν in his formis omisisse [38]). Quod de omnibus locis valere coniicio, quibus ἀνστήτην, ἀνστήμεναι, ἀνστήσεις, ἀνστήσας et similes formas invenimus. De praepositione ἀνά, quae in compositis ante σ cum consonante et ante μν syllabam να abiicit, vulgo vocali α in ο mutata, cf. Giesius p. 95. Pott. II p. 195 sq. Ahrens. I p. 149. Aristarchum formas a Zenodoto e libris receptas nimis severe ex Homero expulisse iudico. Od. ρ, 221, ubi alii φλίψεται, Zenodotus, si Schol. Harl. fides est, θλίψεται; sed nescio an hic Schol. rem turbaverit, ut Aristarchus Aeolicam formam φλίψεται a Zenodoto non reiectam sustulerit. Cf. Ahrens. I p. 42 sq.

Aristarchum augmentum syllabicum ἰακῶς omisisse Scholia saepius testantur, (cf. α, 162, ubi μόγησα legendum, ut Aristarchus πολλὰ μόγησα scripserit. 464. β, 205. 427. 682. 751. γ, 415. δ, 517. ε, 900. ζ, 155. 157. ι, 86. 492. λ, 773. ξ, 285. π, 207. 290. 379. σ, 549. υ, 156. 259. φ, 84. ψ, 455), quod Zenodotum ubique retinuisse verisimillimum est. In tabula Iliaca Parisiensi versus α, 54 e Zenodotea recensione hoc modo laudatur:

Τῇ δεκάτῃ δ' ἀγορὴν ἐκαλέσσατο λαὸν Ἀχιλλεύς,

ubi Aristarchus ἀγορήνδε καλέσσατο. Ante praepositionem Zenodotus augmentum habuit α, 68 (ἐκαθέζετο pro κατ' ἄρ' ἕζετο). 611 (ἔνθ' ἐκάθευδ' pro ἔνθα κάθευδ'). ο, 716 (οὐκ ἐμεθίει pro οὐχὶ μεθίει). Od. γ, 402 et ζ, 1 (ἐκάθευδε pro κάθευδε) [39]). Od. π, 478

---

37) Aristonicus: Ἡ διπλῆ περιεστιγμένη, ὅτι Ζηνόδοτος γράφει ἀναστάσασθαι (Villoisó ἀναστάσασθαι, Heynius ἀνστήσασθαι, Bekker ἀστήσεσθαι) ἔμελλεν, διὰ τοῦ (μὴ) καταπροηγουμένως λόγου (Villoiso λόγου) αἰολίζοντος, ἀλλ' οὐχὶ σπανίως δι' εὐφωνίαν.

38) Quum Schol. A ω, 518 dicat: Οὕτως Ἀρίσταρχος, κὰκ ἄνσχεο, Langius alios κὰκ ἄσχεο dedisse coniicit, Heynius (VIII p. 701) κακὰ σχέο. Spitzner: „Alii igitur vel σχέο (?) vel κὰκ ἴσχεο legerunt. Vide ad η, 110, ubi similis adfuit discrepantia." At non ille locus advocandus erat, sed ψ, 587: Ἄνσχεο, ἐν ἄλλῳ ἴσχεο, unde iam olim conieci, alios κὰκ ἴσχεο dedisse. Aristarchus docuit, ni fallor, ἴσχεο nunquam imperativi esse formam, unde η, 110, quod recte Heynius vidit (V p. 329), ἀνὰ δὲ σχέο scripsit.

39) Schol. Od. ζ, 1: Κάθευδε, Ζηνόδοτος καθεῦδεν, ubi male

Zenodotea scriptura *ἐκάθιζον* in libris servata est. Non dubito, quin *δ*, 304. *η*, 344 *ἐκάθευδε* et *θ*, 436. *λ*, 622. *υ*, 151. Od. *β*, 419. *θ*, 6, aliis locis *ἐκάθιζον* et similia scripserit. Zenodotus his locis nihil novavit, sed librorum auctoritatem secutus est. Aristarchus augmentum omisit, nescio an non ubique e libris 40). Augmentum temporale, quod Aristarchum saepe omisisse audimus (cf. Schol. *δ*, 213. 329. 367. *ζ*, 373. *η*, 420. *θ*, 55. *λ*, 457. 600. *μ*, 445. *ν*, 383 et aliis locis), Zenodotus retinuit. *M*, 34 Zenodotus *ἤμελλον* pro *ἄρ' ἔμελλον* eandemque formam augmento praeditam omnibus locis eum retinuisse iudico, ubi nunc *ἄρ' ἔμελλον*, *ἔμελλε*, *ἐμέλλετε* habemus, ut *ε*, 205. 686. *λ*, 817. *ν*, 113. *ρ*, 497. *σ*, 98. *χ*, 356. Formam *ἤμελλον* Callimachum non solum in Hesiodó, sed etiam in Homero legisse existimo, a libris propagatam. Cf. Naekii opusc. II p. 63 sq. Muetzell. p. 209. Duo augmenta habuit Zenodotus in *ξυνέηξεν* *ν*, 166 et *κατεήξαμεν* *ν*, 257 pro *ξυνέαξεν* et *κατεάξαμεν*, quem simili modo *λ*, 114. Od. *ι*, 283. *ξ*, 383 constituisse et pro *ἔαξεν* ubique (*η*, 270. *λ*, 175. *ρ*, 63. *ψ*, 392 41). Od. *γ*, 298. *ε*, 316. 385. *μ*, 422) *ἔηξεν* legisse certum videtur. Aristarchus verum reduxit. Mirum est, quod Schol. apud Cramerum Anecd. Par. III p. 422 tradit (Od. *δ*, 379): *Ζηνόδοτος εἰπέ* (lege *ἔειπε*), *κακῶς· τὴν διαφορὰν γὰρ ἠγνόσεν.* Cf. Eust. p. 1410, 61 sqq.: *Ἀγνοεῖ δέ, φησιν (Ἡρακλείδης), ἐκεῖνος (Σιδώνιος Διονύσιος) τὸ ἔργων ἐέρων* (lege *ἐέργων*) *καὶ τὸ ἔλπων ἐέλπων καὶ τὸ ἀλλά σύ πέρ μοι ἔειπε, ἀντὶ τοῦ εἰπέ· ὃ καὶ σημείωσαι ὡς καινόν· τὰ πλείω γὰρ τῶν Ὁμηρικῶν ἀντιγράφων ἀλλὰ σύ πέρ μοι εἰπὲ γράφουσιν.* Formam imperativi *ἔειπε*, quam Zenodotus inconsiderate retinuerat, correxit Aristarchus. Aliis locis augmentum temporale omisit, ut *ὄτρυνε*, non *ὤτρυνε* scripsit. Cf. Schol. A *ρ*, 215, collato eodem *ρ*, 582. Atque eadem Aristarchi scriptura fuisse videtur, quem *η*, 420 *ὀτρύνοντο* habuisse audimus. Quaenam igitur vulgatae, quam in optimis codicibus invenimus, *ὤτρυνε*, *ὤτρυνον*, *ὤτρυνα*, auctoritas sit, scire pervelim. Cf. Spitzner *θ*, 398. *A*, 598 Zenodotus cum editione Argiva, Massiliotica et Antimachea *οἰνοχόει*, ab Aristophane et Aristarcho probatum. Schol. A *δ*, 3: *Ἐῳνοχόει.*

Buttmannus: „Varia lectio accentum tantum spectat," probante Nitzschio II p. 79. Lege *Κάθευδε*, *Ζηνόδοτος ἐκάθευδε*. Schol. Od. *γ*, 402: *Γράφεται αὐτὸς δ' ἐκάθευδε*, quae Zenodotea sine dubio erat scriptura. De accentu cf. Goettling. p. 48 sq.

40) Cf. contra Buttmannum Lexil. I p. 278 sq. II p. 273 Langium I p. 6 sq. et Heffterum p. 11 sq. Adde Vossium ad hymnum in Cer. 8.

41) Zenodotus scripsit fortasse *ἵππειον δ' οἱ ἔηξε*. Cf. Heynius VIII p. 439.

κατ' ἔνια τῶν ὑπομνημάτων ἐνῳνοχόει· οἱ δέ φασιν Ζηνοδότειον εἶναι τὴν γραφήν, unde Eustathius p. 437, 23 sq.: *Ζηνόδοτος δὲ ἐνῳνοχόει γράφει διὰ προθέσεως.* Cf. eundem p. 1410, 61. *Ποδῶν ὕπο σείετο* Zenodotus, Aristophanes et Aristarchus ξ, 285, ubi alii *ὑπεσείετο.*

Ἕσσο Zenodotus, Aristophanes, Aristarchus, Didymo teste, γ, 57 (cf. Od. π, 199), ubi aliorum scriptura *εἷσο* erat [42]). Idem Zenodotus, qui hic genuinam formam ex optimis libris recepit, Od. ξ, 295 *ἐφείσατο*, ubi Rhianus *ἐφέσσατο*, Aristarchus vero recte *ἑέσσατο*, formam iam pridem in multis libris oblitteratam (cf. Buttmannus §. 108 p. 545. Pott. I p. 248), restituit.

Zenodotus aliique ι, 3 *πένθεϊ ἀπλήτῳ βεβλήαται*, at Aristarchus *βεβολήατο*, quum *βέβλημαι* de corporis vulneribus, *βεβόλημαι* de animo Homerus dicat. Cf. Lehrs. p. 76.

Pro Aristarchea forma *φθάνει* Zenodotus ι, 506 et φ, 262 *φθανέει.* Quam scripturam cum Heynio (V p. 644) et Bekkero in ephemer. Ienens. 1809 IV p. 137 praeferendam duco, quod quominus ipse faceret, Spitznerum Aristarchi auctoritas prohibuit. Bekker nunc *φθάνει* edidit.

Zenodotus β, 35 *ἀπεβήσετο* pro *ἀπεβήσατο* et ξ, 229 *ἐβήσετο* pro *ἐβήσατο.* Codex Ven. A ubique, uno loco (ε, 352) excepto, constanter legit *βήσετο, ἀπεβήσετο, κατεβήσετο*, quod e Zenodotea recensione fluxisse videtur, quem ne illam quidem exceptionem statuisse iudico. Recentiores grammatici omnes Zenodotum sequuntur. Cf. interpretes ad α, 428. Spitzneri praef. p. 16. Langius I p. 14. Memorabile est, quod Schol. A γ, 262 tradit: *Προκρίνει μὲν τὴν διὰ τοῦ ε γραφὴν βήσετο, πλὴν οὐ μετατίθησιν, ἀλλὰ διὰ τοῦ α γράφει Ἀρίσταρχος.* Cur formam a Zenodoto receptam retinere non ausus est? Optimorum codicum auctoritatem, ni fallor, deserere noluit. Cf. quae Lehrsius collegit p. 375 sq. Zenodotus igitur genuinam formam recte elegit atque ipsum Aristarchum Zenodotum in altera editione secutum esse a vero non abhorret. Similis enim ratio est formarum *ἐδύσετο* et *ἐδύσατο.* Schol. A β, 578 Aristarchum in altera editione et Zenodotum *ἐδύσετο* legisse dicit. Od. λ, 26 Zenodotum pro *χεόμην* habuisse *χεάμην* legimus. At cf. π, 267. τ, 356. *Ἔχεαν* legimus ω, 799. Zenodotum hic vulgarem formam contra optimos libros retinuisse arbitror. Alii peius *χέομεν.*

Schol. Od. α, 337 (cf. Cramer. Anecd. Par. III p. 424): *Ζηνόδοτος γράφει εἴδεις, καὶ Ἀρίσταρχος οὐ δυςχεραίνει τῇ γραφῇ· ἐν*

---

42) Didymus: *Ἕσσο διὰ τῶν δύο σ*, unde Heynius (IV p. 462) colligere non debuit, alios *ἕσο* legisse. Didymus, ut solet, non satis accurate loquitur, quod iam Spitzner vidit.

οὐδενὶ γὰρ τῶν ποιήσεων ἐχρήσατο τῷ οἶδας. De posteriore formae οἶδας usu cf. Lobeck. Phryn. p. 236. Quodsi negari nequit, recte Zenodotum εἴδεις e libris dedisse, eo certius repudianda erit forma οἶσθας, quam pro οἶσθα scripsit, vulgarem, opinor, scripturam secutus, quum illa forma plurimos libros occupasset [43]). Cf. Eustathius p. 1773, 28, qui Zenodotum loco Odysseae ο, 20 argui putat, ubi criticum Ephesium οἶσθάς γ' οἷος scripsisse dixeris.

Παρίσταο κ, 291 Zenodotus, Aristarchus et plurimae editiones, alii παρίστασο. Ἵστασο legimus λ, 314. υ, 197, ubi nihil annotatur, sed etiam his locis formam ἵσταο Zenodotum et Aristarchum recte dedisse puto. Scite Lobeckius Paralip. p. 17 animadvertit, Homerum σ eiecisse, ne duae litterae sibilantes concurrerent. Ὁρῆτο pro ὁρᾶτο scripsit α, 56. 198 (adde φ, 390. ω, 291). Aristonicus: Ἀγνοεῖ δέ, ὅτι Δωρικὸν γίνεται. Cf. Ahrens. II p. 195. 310 sq. At recte hanc formam se habere (cf. ὁρῆαι Od. ξ, 343) docuit Buttmannus I p. 515. Adde Goettlingium de accentu p. 103 sq. Aristarchus nimio Doricae formae timore ὁρᾶτο scripsit [44]). Zenodotum et Aristophanem ξ, 412 (adde δ, 108. 492. ε, 66. 73. 394. 661. θ, 270. μ, 401. ρ, 606. Od. χ, 258. 275. 286) βεβλήκειν, non βεβλήκει dedisse scimus, eandemque Aristarchi fuisse lectionem ostendit Bekker l. l. p. 122. Eadem formarum ἑστήκειν, ἠνώγειν, ᾔσκειν ratio est. Cf. Spitzner γ, 388. praef. p. 16. Buttmann. p. 419. Curtius de temporibus et modis p. 333. Schol. V μ, 11: Ἀρίσταρχος ἔπλεν σὺν τῷ ν, ἐκ τοῦ ἔπελεν συγκοπὴν ἐκδεχόμενος· Ζηνόδοτος ἔπλε, ἀποκοπὴ τοῦ ἔπλετο. Expositio harum formarum ineptum Schol. commentum videtur, nisi putas Zenodotum in γλώσσαις de forma ἔπλε disseruisse. Ν ἐφελκυστικὸν Aristarchus recte, ut ubique in fine versuum, posuerat. Cf. Mehlhorn. p. 66.

Eustathius p. 1885, 53 sqq.: Καὶ ὅ γε Ζηνόδοτος πολλάκις φησὶ (Ἡρακλείδης), παρὰ τῷ ποιητῇ οὕτω γράφει καὶ τὰ ἑνικά· δίχα μέντοι τοῦ ν, τὸ πεποίηται καὶ νενόηται πεποιέαται γράφων καὶ νενοέαται· ἡ μέντοι Ἀρισταρχειος ἔκδοσις οὐκ οἶδεν Ὅμηρον τῇδε τῇ διαλέκτῳ χρώμενον. Πεποίηται legimus ζ, 56. Od. η, 342. νενόηται nusquam. At Aristonicus π, 243: Ἡ διπλῆ περιεστιγμένη, ὅτι Ζηνόδοτος γράφει ἐπιστέαται· ἀγνοεῖ δέ, ὅτι τὰ τοιαῦτα ῥήματα πληθυντικά ἐστι· καὶ νῦν ἀνάλογον ἕξει τὸ ἐπιστέαται τῷ ἐπίσταν-

---

43) De formae οἶσθας usu cf. Stephani Thes. III p. 200 ed. Par. Choerobosc. I p. 592 Gaisf.

44) Minus recte de hac forma iudicavit Heynius IV p. 38. Buttmannum sequuntur Rostius, Langius (I p. 6) et Heffter (p. 11).

ται, ὃ οὐ συμφωνεῖ· ἔστιν οὖν ἀντὶ τοῦ ἐπίσταται καὶ μετείληπται τὸ ᾶ εἰς τὸ ῆ. At talia Zenodotus non finxit, verum in libris invenit, quod eo confirmatur, quod Iones πεποιέαται et γεγενέαται dixisse perhibentur. Cf. Eust. p. 1885, 51 sq. Pro πεποίημαι igitur Iones brevi vocali ε non producta formarunt vocali α inserta πεποιέ-α-μαι, πεποιέ-α-ται, πεποιέ-α-ντο. Simili modo vetustissima plusquamperfecti forma in εα, εας, quod tempus compositum non esse nuper contra Curtium ostendere conati sumus (cf. Hoeferi ephemerides cognitioni linguarum dicatas II p. 81 sq.), explicanda videtur. Ἐπιστέαται vero coniunctivi forma videtur, quae ab indicativo differt vocali α inserta, ante quam α radicis in ε, ut fit, transiit; quod ne mireris, cogites coniunctivum ab indicativo semper formari vocali addita. Cf. Curtius l. l. p. 245 sqq. Aristarchus formas vetustissimas a Zenodoto recte servatas oblitteravit.

Alteram dualis personam temporum historicorum in την desinentem ter in Zenodotea recensione reperimus, θ, 448 καμέτην, κ, 545 λαβέτην, λ, 782 ἠθελέτην. Aristarchus has scripturas e vetustissimis libris propagatas correxit. Zenodotus eo minus offendit, quod contrario modo nonnunquam Homerum tertiam dualis personam in temporibus historicis in τον formare vidit, quod hodie e carminibus Homericis non sublatum esse constat. Praesentis formam tertiam dualis κομείτην legit Zenodotus θ, 109 [45]), ubi imperfectum esse nequit. Aristarchus recte κομείτων restituit.

A, 42 Zenodotus τίσαιεν pro τίσειαν, quam formam reduxit Aristarchus, Dorica τίσαιεν spreta [46]). Cf. Ahrens. I p. 148 sq. II p. 335. Quid sit verius, iam nunc diiudicare non possumus.

De *adverbiorum* formis hoc tantum monendum, quod Zenodotus ο, 470 πρώην, Aristarchus πρώϊον scripserat, ubi Didymus: Ἀμφότερα γράφεσθαί φησιν ὁ Ἀρίσταρχος πρώην καὶ πρώϊον, ταὐτὸν δὲ ἐξ ἑκατέρου σημαίνεσθαι. At Aristonicus: Ἔμφασις δὲ γίνεται πλείονος χρόνου· τὸ δὲ πρώϊον ἐστὶ πρωΐας· καὶ γὰρ γέγονεν οὕτως. Πρώην legimus ε, 832. ω, 500. Cf. Etym. p. 692, 4 sqq. Aristarchus meliorum librorum auctoritatem secutus esse videtur.

In omnibus, quos hucusque recensuimus, locis duas tantum

---

45) Quod in Schol. V ad θ, 113 legitur: Ἀρίσταρχος μὲν καμείτων, Ζηνόδοτος δὲ κομείτην, ad v. 109 pertinere iam Heynius (V p. 726) vidit.

46) Schol. A: Τίσειαν. ὅτι Ζηνόδοτος τίσειεν, ubi recte Heynius (IV p. 42): „Sphalma boc esse debuit recensionis Zenodoteae: aut legerat ille τίσαιεν." Heffteri sententia (p. 11), e qua duae illae formae, τίσειαν et τίσειεν, nondum fuerint diversae, non habet, quo se tueatur.

Zenodoti coniecturas invenimus (β, 634. θ, 478). Aristarchum Zenodoteam scripturam probasse et retinuisse plus duodecim locis vidimus. Plurimis versibus Aristarchus melius, quam Zenodotus iudicavit, at non desunt loci, quibus Zenodotea praestat scriptura. Cf. α, 56. 198. β, 35. 581. 694. ι, 506. λ, 799. ξ, 229. π, 10. 243. φ, 262. ω, 512. Od. δ, 1. ε, 83. Atque in augmento tollendo nimium Aristarchum sibi permisisse dixerim. Contra Aristarchum posteriores Zenodoteas scripturas praetulerunt λ, 799. ξ, 322. Quid μ, 428, ubi recte Zenodotus ὅτεῳ retinuit, Aristarchus legerit, incertum videtur.

IV.

DE CONSTRUCTIONE GRAMMATICA.

Plura in constructione, quam in formis grammaticis novavit Zenodotus, quum saepius in structura sine idonea causa offenderet. Incipiamus a *genere nominum*. Masculinum genus pro feminino aliarum editionum duobus locis Zenodotus habuit. Σ, 477 Zenodotus *ῥαιστῆρα κρατερόν*, alii *ῥ. κρατερήν* [1]). Utrumque in libris fuisse statuo, nisi mavis alios, versus adiuvandi ergo, *κρατερὴν* emendasse. Σ, 563 Zenodotus *κάμαξι ἀργυρέοισιν*, ceteri *ἀργυρέῃσιν*. Femininum genus habemus Hes. Scut. Herc. 298. Grammatici *τοὺς κάμακας* vallum esse docent fossae impactum, *τὰς κάμακας* palos, quibus vites alligentur. Cf. Etym. p. 487, 39 sqq. Aristarchi auctoritas femininam formam ex optimis libris propagasse videtur. Tribus locis pro masculino femininum habuit, β, 697 *ἀγχιάλην τ' Ἀντρῶνα* (adde β, 640), ε, 466 *πύλῃς εὐποιητῇσι*, σ, 222 *ὄπα χαλκέην*, quae omnia Zenodotum in libris invenisse puto [2]),

---

1) Heynius (VII p. 516 sq.): „Parendum est auctoritati, etsi suspicari licet, *κρατερὸν* displicuisse ante vocalem sequentis vocis *ἑτέρηφι*. Potest quoque dubitari, si *κρατερὴν* admittitur, an distinguendum sit: *ῥαιστῆρα, κρατερὴν ἑτέρηφι δὲ γέντο πυράγρην*, etsi haec insolentior verborum esset collocatio, et epitheton magis proprie est: *validus malleus*."

2) Posteriores grammatici, inde ab Aristarcho, ni fallor, adiectiva cum adverbio composita generis communis esse voluerunt. De *ἀγχίαλος* Lobeckius Paralipp. p. 465 attulit nomen *Ἀγχιάλη*, *ἀγχιάλη Ἐπίδαυρος* in versu Andromachi, *ἀγχιάλη Πεπάρηθος* in hymn. in Apoll. 32, ubi duo codices Parisienses *ἀγχίαλος*, et locum Nonni XXXIX, 219, ubi pro *ἀγχιάλῃσι* Falkenburg. *ἀγχιάλοισι*. Π, 636 legimus *βοῶν τ' εὐποιητάων*. Alia vide apud Lobeckium l. l. p. 459 sq. 497. Quum *χαλκέος* nusquam generis sit communis, iam alios ante Zenodotum *χαλκέην* scripsisse iudico. Ν, 237 Zenodotus *συμφερτὴ δὲ βίη*; *συμφερτὸς* error librarii est.

atque non video, cur in duobus prioribus locis Zenodotea scriptura Aristarcho cedat. Aliis locis, ubi vulgo masculinum κατὰ σύνεσιν erat, Zenodotus mera coniectura, ne regula grammatica violaretur, reposuit femininum, α, 251, ubi pro οἵ post γενεαὶ μερόπων ἀνθρώπων scripsit αἵ [3]), et κ, 280 sq.: Ἐκίνηθεν δὲ φάλαγγες ἐλπόμενοι, ubi ἐλπόμεναι. Non dissimilis ratio est loci β, 626, ubi pro αἵ, quod ad νήσων pertinere non vidit, male correxit οἵ. Cf. Heynius IV p. 344. Ne Langius quidem Zenodotum defendere ausus est. De neutro duo extant exempla. *B*, 56 in versu: Θεῖός μοι ἐνύπνιον ἦλθεν Ὄνειρος (adde Od. ξ, 495), Zenodotus dedit, nescio an e coniectura, θεῖον, quum non animadverteret, ἐνύπνιον hic significare κατὰ τοὺς ὕπνους. Tacet Langius. Cf. Heynius IV p. 205. *H*, 451 et 458 Zenodotus: Ὅσον τ' ἐπικίδναται ἠώς, Aristarchus ὅσην τ' (i. e. ἐφ' ὅσην γαῖαν, χώραν), quod non receperunt posteriores. Cf. Wolfius praef. ed. nov. p. 37. At Aristarchum hic codicum optimorum fidem secutum esse dixerim, qui doctiorem servaverant scripturam [4]).

De *numero nominum* agentes primum de *singulari* pro *plurali* videamus. *M*, 79 Zenodotus et Aristophanes, non sine libris, legerunt πεῖραρ ἐφῆπται, ubi Aristarchus πείρατ' ἐφ. Spitzner aliis Homeri locis Zenodotum refutare studet, quem singularem non minus, quam nostro loco, ζ, 143. η, 102. 402. ν, 429. ψ, 350. Od. λ, 13. μ, 51. 162. 179. χ, 33. 41. ψ, 248 dedisse persuasum habeo, quamquam pluralem θ, 478. ξ, 200. 301. Od. γ, 433. [5]) δ, 563, qui loci supra laudatis dissimiles sunt, retinuit. Singularem nunc legimus ν, 359 (πολέμοιο πεῖραρ). σ, 501 (πεῖραρ ἑλέσθαι). Od. ε, 289 (πεῖραρ ὀϊζύος). Pluralem νίκης πείρατα Archilochum in Homero legisse ostendit fr. 48 Schn.: Νίκης δ' ἐν θεοῖσι πείρατα. Optimorum librorum scripturam Aristarchus recte restituit. *B*, 852 Zenodotus pro ἐξ Ἐνετῶν scripsit ἐξ Ἐνετῆς (non Ἐνέτης), nescio an e coniectura, quum in plurali nominis forma offenderet [6]).

---

3) Mire Langius (I p. 11), probante Hefftero (p. 14): „Zenodoti lectionem αἵ οἱ praetulerim, non solum ob testis (?) antiquitatem, sed etiam, quod vulgata οἵ οἱ, auribus ingrata, correctionem redolere videtur eorum, qui ob τριτάτοισι solliciti fuerint." At cf. δ. 91.

4) Ne femininum te offendat, cf. ἄλλην, μακρὰν, ἐκείνῃ, ταύτῃ, ᾗ, τῇδε, quae omnia non elliptice sunt explicanda.

5) Πείρατα τέχνης. Cf. πείρατα πάντα τέχνας in Boeckhii C. I. 428, unde in notissimo Choerili versu (fr. I, 3):

Νῦν δ' ὅτε πάντα δέδασται, ἔχουσι δὲ πείρατα τέχναι,

de quo Naekius p. 107 egit, *πείρατα τέχνης*, *quum artis fines habeant*, *quum totam artem possideant*, coniicias.

6) Cf. Strab. XII, 3 p. 819, qui quod addit: Φησὶ (Ζηνόδοτος)

Dualem pro *plurali* posuit iis locis, ubi de duobus loquitur poeta. Ἰόντε scripsit pro ἰόντες ζ, 121. ρ, 103 [7]) (adde ε, 630. ν, 604. π, 462. υ, 176. φ, 148. χ, 248. ψ, 816), μένοντε pro μένοντες λ, 348, δύω ἵππω pro δύω ἵππους θ, 290 [8]), ἀνέρε ἀρίστω, νῆε ὑπερθύμω pro ἀνέρας ἀρίστους, νῆας ὑπερθύμους μ, 127 sq. Neque dubito, quin aliis locis, ut κ, 355, dualem emendaverit, ne grammatica regula laederetur; nam in nominibus dualem bene distinxit, non in verborum formis. Quodsi Zenodotus et Aristophanes Od. α, 38 πέμψαντε cum editione Massiliotica legerunt, ἡμεῖς interpretati sunt: ἐγὼ καὶ ἄλλοι θεοί, ut ψ, 443 Scholia ἀποκηδήσαντε φερώμεθα explicant: ἐγώ τε καὶ ὑμεῖς. Cf. supra II not. 59. Similis ratio est scripturae μίμνοντ' β, 297.

Pluralem pro *singulari* Zenodotum β, 196 e libris retinuisse supra c. II vidimus. Atque pluralem legit Schol. α, 173 in illo versu. Γ, 28 Aristonicus: Ἡ διπλῆ περιεστιγμένη, ὅτι Ζηνόδοτος γράφει ἀλείτας (ἀντὶ τοῦ ἀλείτην) τὰς ἁμαρτίας ἐκλαμβάνων· κρεῖττον δὲ αὐτὸν τὸν Ἀλέξανδρον λέγεσθαι ἀλείτην. At Aristonicum Zenodoto, qui plurali usus sit, ut Od. υ, 121: Φάτο γὰρ τίσασθαι ἀλείτας, iniuriam fecisse, iam Heynius (IV p. 455) monuit. Zenodotum hunc locum ex illo correxisse vix credam, at praestat singularis ἀλείτην.

Accedamus ad *casus nominum*, atque primum de *nominativo* videamus. Γ, 51 Zenodotus κατηφείη, Aristophanes, Aristarchus, Sosigenes et omnes fere χαριέστατα κατηφείην. Recte Spitzner contra Heynium (IV p. 460 sq.) monet, versus 50 et 51 absolute poni, neque ad Alexandrum, neque ad Helenam referri, sed appositionis loco praecedenti enunciationi adiungi, ut Od. ζ, 184. At quum grammatici adhuc certent, utrum in talibus appositionibus nominativus, an accusativus postuletur [9]), me vero iudice uterque admittatur, non vi-

---

δηλοῦσθαι τὴν νῦν Ἀμισόν, non ex ipso Zenodoto hausit, sed ex iis, qui hoc modo Zenodoteam scripturam explicabant. Langius III p. 24, qui Zenodotum sequitur, non vidit, Ἐνετοὶ esse urbis nomen, ut Ἀραχωτοί, Φωριαμοί, Δουσοί, Δελφοί. Alia dabit Lobeckius Paralipp. p. 304. Atque quod addit Langius, ineptum esse dicere: Paphlagones duxit Pylaemenes ex Henetorum terra," non vidit, Henetos partem Paphlagoniae esse potuisse, viris ferocissimis fortissimisque insignem. Sed de urbe Ἐνετοὶ cogitare malim.

7) Aristarchum in altera editione ἰόντε recepisse cum Spitznero statuimus. Schol. L ε, 630: Ἐν τῇ ἑτέρᾳ (Ἀριστάρχου) ἰόντε κεῖται. Schol. A ζ, 121: Ζηνόδοτος καὶ Ἀριστοφάνης δυϊκῶς ἰόντε· ἐν δὲ τοῖς ἔμπροσθεν εἰρήκαμεν (καὶ) Ἀριστάρχου εἶναι τὴν δυϊκὴν γραφήν. Erravit Heynius V p. 204. Schol. L: Ἀρίσταρχος δυϊκῶς.

8) Zenodotum Aristophanes, ut solet, secutus est.

9) Cf. Mehlhorn. de appositione p. 11. Sommer in ephemer. stud. antiquit. 1839 p. 1012. Krüger grammat. Gr. p. 241.

deo, cur Zenodoteus nominativus accusativo cedat. Spitznero suspicanti, Zenodotum nominativum ex aliis locis (π, 498. ρ, 556) huc transtulisse aut e mera coniectura κατηφείη scripsisse, quod haec ad Alexandrum pertinere censuerit, accedere nequeo, sed utrumque libros legisse arbitror. Σ, 570 Zenodotus, mera, opinor, nec vera coniectura ductus, scripsit: *Λίνος δ' ὑπὸ καλὸν ἄειδεν*, ubi ceteri λίνον [10]). Usum nominativi pro vocativo bis in Zenodotea invenimus recensione, σ, 385. 424 (Θέτις τανύπεπλος) [11]), quod Heynius (VII p. 393) recte probasse videtur; Spitzner, ut solet, libros, quorum paucissimi Θέτις habeant, nobis inculcat. Vocativum Θέτι ω, 104 legimus. Unde Spitzner referat, Zenodotum ω, 88 Θέτις legisse, nescio.

Pro nominativo absoluto ἄμφω δ' ἑζομένω γ, 211 Zenodotus, n fallor, e coniectura *genitivum* posuit ἀμφοῖν δ' ἑζομένων [12]). Λ, 589 habuit Αἴαντος pro Αἴανθ', ὅς, quod Aristonicus ob intolerabile ἀσύνδετον reiicit. Cf. Lehrsium in ephemer. stud. antiquit. 1834 p. 146 recte contra Spitznerum (exc. VII p. XV) disserentem [13]). Num Αἴανθ' ὅς Aristarchus iam in libris invenerit, certo definiri nequit; rectissime Αἴαντος, in Zenodotea recensione relictum, sustulit. Nonnunquam Zenodotus, ubi duo dativi aut accusativi legebantur, pro altero genitivum e coniectura posuit. Α, 24 (adde 378. ο, 674.) in versu:

Ἀλλ' οὐκ Ἀτρείδῃ Ἀγαμέμνονι ἥνδανε θυμῷ,

scripsit Ἀτρείδεω Ἀγαμέμνονος, quam scripturam genuinam non esse digamma ostendit. Num Od. ξ, 337 mutaverit, nescimus. Ε, 146:

---

10) Cf. Spitzner exc. XXIX. Clemens de Homeri clipeo Achilleo p. 24 sq. De nominativo λίνος Lobeckius Paralipp. p. 350 apposuit Aesch. Choeph. 507 (500).

11) De vocativo nominativi vices gerente cf. Hermann. ad Eur. Androm. p. XV sqq.

12) De usu nominativi absoluti cf. κ, 224. Apollon. de constr. I, 10 p. 35. auctor de Homeri poesi 8 et quos laudat Müller de nominativis absolutis apud tragicos. Adde Lobeck. Rhemat. p. 330.

13) Aristonicus: Ἡ διπλῆ, ὅτι Ζηνόδοτος γράφει Αἴαντος βελέεσσι· γενικὴ μὲν οὐχ ἁρμόζει, ὥστε δέχεσθαι τοῦ Αἴαντος· εἰ δὲ κατὰ συναλοιφὴν ἐν τῷ ψιλῷ ἀντιστοίχῳ γέγραφεν, ἵν' ᾖ τὸ πλῆρες Αἴαντ' ὃς βελέεσσιν, οὐκ ἔστι τῆς καθ' Ὅμηρον Ἰάδος τὸ ψιλοῦν τὰ τοιαῦτα. Male Heynius (VI p. 221 sq.) ex his verbis apparere dicit, quod per se nobis constare possit, litteris et vocibus continuis Zenodoteum librum scriptum fuisse. Aristonicus suspicionem addit, Zenodotum fortasse continenti scriptura esse usum, ut non Αἴαντος, quod relatum invenit Aristonicus, sed Αἴανθ' ὅς voluerit. At criticos Zenodoto priores in locis difficilioribus spiritus et accentus iam posuisse et verba disiunxisse scimus, quod multo magis in primum Homeri διορθωτὴν cadit. Cf. supra c. I.

Τὸν δ' ἕτερον ξίφεϊ μεγάλῳ κληῗδα παρ' ὦμον,
scripsit τοῦ δ' ἑτέρου, ε, 155 sq.:
Φίλον δ' ἐξαίνυτο θυμόν.

ἀμφοτέρω,
ἀμφοτέρων, ξ, 208:
Εἰ κείνω γ' ἐπέεσσι παραιπεπιθοῦσα φίλον κῆρ,
κείνων, γ', ni fallor, omisso [14]), ut χ, 216 νῶϊν pro νῶϊ γ', quod probavit Aristophanes. De locis Od. σ, 347. υ, 286 olim (in ephemer. stud. antiquit. 1836 p. 857) egi, ubi Zenodotum:
Δύῃ ἄχος κραδίην Λαερτιάδεω Ὀδυσῆος,
dedisse facile colligitur. Duobus aliis locis accusativi loco genitivum cum praepositione coniunxit. Ξ, 445, ubi legitur παρ' ὄχθας Σατνιόεντος (adde γ, 187. δ, 487. ζ, 34. λ, 699. σ, 533. φ, 337. Od. ι, 132), scripsit παρ' ὄχθης, non, quod Heynius (VI p. 656) et Spitzner voluerunt, ὄχθαις aut ὄχθῃς; minime, quod in plurali haesit, locum correxit, sed genitivum e libris retinuit, quem Aristarchus recte sustulit [15]). P, 149 Didymus: Διὰ τοῦ ν, μεθ' ὅμιλον, παρὰ δὲ Ζηνοδότῳ μεθ' ὁμίλου· καὶ λόγον ἔχει ἀντὶ τοῦ ἔξω ὁμίλου. Zenodotus dedit, quod in libris non omnibus invenit; Aristarchus μεθ' ὅμιλον restituit restitutumque recte exposuit, ὅμιλον Troianorum catervas intelligens. Cf. Spitzner [16]). Genitivum παντός, quem Zenodotus π, 515 reliquerat, correxit Aristarchus, qui πάντοσ' reposuit [19]).

Dativum pro genitivo duobus locis habuit Zenodoti recensio. *B*, 616 ὅσσον ἐφ' Ὑρμίνῃ e libris dedit, ut Ὑρμίνῃ ab ἐπί pendeat; at ὅσσον ἐφ' iungendum esse quivis videt [20]). Ξ, 249 in versu:

---

14) Γ' hic genuinum non esse, digamma v. ἐπέεσσι ostendit.

15) De constructione genitivi cum παρά cf. Schaefer ad Dionys. de compos. verb. p. 119.

16) Barnesius aperto errore Zenodotum μετὰ μῶλον scripsisse refert. Heynius (VII p. 314) Didymi verbis addit: „Scilicet alterum est *in pugna*, alterum *e pugna*." Cui Spitzner opponit: Verum Zenodotum voculae μετά cum genitivo iunctae potestatem novam atque inauditam concessisse vix erit credibile. Itaque Glaucus, qui Hectorem et Troianos ignaviae accusat, Zenodoti de sententia, ut opinor, haec ait: *neque tu cum tuo agmine, i. e. Troianis, ullum alium ab hostium contumelia defendes.*" Μεθ' ὅμιλον ξ, 21 et υ, 47 reperio, ubi de motu ponitur. Μετά cum genitivo est *cum*. Cf. ν, 700. Od. κ, 300.

19) Schol. A recte emendavit Lehrsius p. 140. In Schol. L legendum: Ἀρίσταρχος τὸ πλῆρες παντόσε, Ζηνόδοτος δὲ παντός. Heynii coniectura (VII p. 230), Zenodotum πάντεσ' dedisse, admitti nequit. Spitzner sine iusta causa anceps haeret.

20) De accentu omittendo cf. praeter Langium (III p. 14 sq.), qui Zenodoteum non defendit, Lehrsium quaest. ep. p. 75 sq.

Ἤδη γάρ με καὶ ἄλλο τεῇ ἐπίνυσσεν ἐφετμή,

Zenodotus τεῇ ἐφετμῇ, ubi Heynius (VII p. 678) dativum probat. At cf. quae Humboldtius recte opposuit (Opp. V p. 31). Pro genitivo πυρκαϊῆς (ἐπενήνεον) dativum πυρκαϊῇ Zenodotus scripsit η, 428 (adde 431), quod χαριέστερον videtur Didymo [21]), qui ψ, 165 comparat. Genitivum legimus ω, 589 (λεχέων ἐπέθηκεν), dativum aliis locis, ut τ, 107. υ, 369. Od. ι, 232. 243. Utrumque in libris erat. Γ, 259 Zenodotus et Aristarchus ἑταίροις, alii ἑταίρους. Zenodotus fortasse librorum scripturam emendavit, duplice accusativo (ἑταίρους ἵππους) offensus; quod si fecit, ne dubites, recte eum fecisse. Cf. β, 442 sq. ι, 658 sq. π, 727 sq. Dativum κρατερώνυχεσ' ἵπποις scripsit ε, 329 pro κρατερώνυχας ἵππους, quum duo accusativi eum male haberent. At μέθεπε Aristonicus recte explicat κάτοπιν ἤλαυνε, verbumque, alias intransitive dictum [22]), hic transitive ponitur, *post Diomedem equos age*, unde infelicem Zenodoti coniecturam recte reiecerunt. P, 592 (adde ϑ, 212) Zenodotus κύκλῳ, Aristarchus κύκλος, quod significet κύκλος γενόμενοι (cf. υ, 166), Herodianus, Nicias et Ptolemaeus Ascalonita κυκλόσ', quam scripturam iam Aristarchus cognovisse et eo reiecisse videtur, quod non κυκλόσε, sed κυκλόφι locum habeat. Aut fallor, aut Zenodotus κύκλῳ et κυκλόσ' in libris invenerat, Aristarchus vero coniecturam tentavit.

Accusativum pro nominativo duobus locis reperimus. N, 485 in versu:

Εἰ γὰρ ὁμηλικίη γε γενοίμεθα τῷδ' ἐπὶ θυμῷ,

Zenodotus ὁμηλικίην, alii ὁμηλικίῃ. At nominativus ὁμηλικίη pro ὁμήλικες praestat. Cf. Bekker l. l. p. 141. γ, 175. ε, 326. ν, 431. υ, 465. Od. β, 138. γ, 49. [23]) 364. ζ, 23. χ, 209. Ξ, 340:

Ἔνθ' ἴομεν κείοντες, ἐπεί νύ τοι εὔαδεν εὐνή,

Zenodotus et Aristophanes εὐνήν, ad κείοντες relatum, retinuerunt. Aristarchus verum e libris restituit. De v. κείων cf. Od. ξ, 532. σ, 427. τ, 48. De accusativo genitivi loco tria extant exempla. Δ, 437 Zenodotus χρόα ἔργαθεν, Aristarchus χροὸς ἔργαθεν, ubi Zenodoteum recte praetulerunt. Cf. ε, 147. Quomodo Aristarchus suam intellexerit scripturam, nemo adhuc perspexit, adeo ut Spitzner de fide Scholiastae dubitaret. Num πάντα χροὸς coniunxit, quod opponeretur

---

21) Spitzner: „Suavius ad aures accidit Scholiastae," quo illud χαριέστερον minus recte reddit.

22) Cf. ϑ, 126. ν, 567, ubi accusativi a praepositione pendent.

23) *Ἀλλὰ νεώτερός ἐστιν, ὁμηλικίη δ' ἐμοὶ αὐτῷ,*
ubi Schol. ὁμηλικίην legit, quae sine dubio Zenodoti scriptura.

ἔγκασι φωτός? Versum, qui bis in Iliade legitur (ξ, 95. ρ, 173), scripsit Zenodotus non sine libris:

Νῦν δέ σε ὠνοσάμην πάγχυ φρένας, οἷον ἔειπες.

At genitivum σεῦ alii recte praetulerunt, quamquam hiatus non est intolerabilis, quod Heynius (VI p. 538) dicit. *O*, 639 sq.:

Ὃς Εὐρυσθῆος ἄνακτος
ἀγγελίης οἴχνεσκε βίῃ Ἡρακληείῃ,

Zenodotus ἀγγελίην nescio an e coniectura scripsit. Genitivus ἀγγελίης hodie neminem male habebit. Cf. Voss. in hymn. in Cer. 449. Spitzner ν, 252 [24]). Neque desunt exempla accusativi pro dativo positi. *Ξ*, 469 Zenodotus in versu:

Αἴας δ' αὖτ' ἐγέγωνεν ἀμύμονι Πουλυδάμαντι,

scripsit ἀμύμονα Πολυδάμαντα; at Homerus verbum γέγωνε cum dativo ponere solet. Cf. θ, 227. μ, 439. Od. θ, 305. ι, 47. *Δ*, 226:

Ἔγχεα δ' ἀλλήλων ἀλεώμεθα καὶ δι' ὁμίλου,

Zenodotus ἔγχεσι δ' ἀλλήλους, alii ἔγχεσι δ' ἀλλήλων, quod Heynius (V p. 234) praefert. Accusativum verbo ἀλεώμεθα multo accommodatiorem esse recte Spitzner iudicat. Nescio an dativus Zenodoti sit coniectura. *M*, 65 sq.:

Ἔνθ' οὔπως ἐστὶν καταβήμεναι οὐδὲ μάχεσθαι
ἱππεῦσι.

Zenodotus et Aristophanes ἱππῆας. Infinitivus cum accusativo nescio quid languidi habet; dativo equites, quod hoc loco aptissimum videtur, fortius proferuntur. Simplicem accusativum ad motum significandum nonnunquam Zenodotus admisisse videtur. *Δ*, 169 Schol. A: Φθίην δ', οὕτως σὺν τῷ δὲ αἱ Ἀριστάρχου Φθίην δ' καὶ ἡ Ζηνοδότου ὁμοίως. At Schol. Reg. et Amstel., Heynio (IV p. 63) teste: Ζηνόδοτος χωρὶς τοῦ δέ. Schol. in Crameri Anecd. Par. III p. 275: Πάντες σὺν τῷ δέ, Φθίηνδε· Ζηνόδοτος δὲ χωρὶς τοῦ δέ. In Schol. A excidisse videntur verba: Τινὲς δὲ χωρὶς τοῦ δέ. Spitznero, qui de fide Schol. A non dubitat, accedere nequeo. In tabula Iliaca Parisiensi versus α, 54 e Zenodotea recensione hoc modo effertur.

Τῇ δεκάτῃ δ' ἀγορὴν ἐκαλέσσατο δῖος Ἀχιλλεύς,

ubi minime cum Bergkio l. l. p. 482 ἀγορήνδ' scripserim, sed veram Zenodoti scripturam agnosco. *Ψ*, 679:

---

24) Spitznerum eo tantum errare statuo, quod illam explicationem, e qua (ὁ) ἀγγελίης saepe in Homericis carminibus significet ἄγγελος, ab Apione excogitatam esse arbitratur, quam ipsius Aristarchi esse διπλῆ omnibus illis locis appicta ostendit, ad hanc Aristarchi animadversionem spectans. Cf. praeter hunc locum γ, 206. δ, 384 (ubi διπλῆ περιεστιγμένη cum διπλῆ confunditur). λ, 140. ν, 522.

Ὃς ποτε Θήβασδ' ἦλθε δεδουπότος Οἰδιπόδαο,

ubi, quod alios legisse videmus [25]), Θήβας Zenodoti esse videtur.

Vocativum Ἀργεῖοι καὶ Τρῶες Zenodotus, ni fallor, e coniectura habuit γ, 99 pro accusativo. At recte Aristonicus monet: Ἔστι δὲ τὸ διακρινθῆναι (v. 98) διχῶς χωρισθῆναι· ὁ δὲ Ζηνόδοτος συνήθως ἡμῖν τέταχεν.

Transeamus ad *adiectiva*. Pro genitivo ἀρνῶν adiectivum ἀρνέων scripsit γ, 273 [26]), nescio an e coniectura, quum in duobus genitivis haereret. *M*, 160 sq. Zenodotus κόρυθες βαλλόμεναι, Aristarchus κόρυθες βαλλομένων. Cf. μ, 151 sq. 289. 339. At μ, 36: Κανάχιζε δὲ δούρατα πύργων βαλλόμεν'. π, 105: Πήληξ βαλλομένη καναχὴν ἔχε. Negari nequit genitivo, Troianos ipsos designante, rem clarius describi, quamquam βαλλόμεναι non prorsus spernendum. *E*, 898 Zenodotus ἐνέρτατος pro ἐνέρτερος et ο, 225 ἐνέρταται [27]) pro ἐνέρτεροι. At hic superlativo locum non esse iam Aristonicus monet. Od. λ, 364 sq. Zenodotus:

Ἠπεροπῆά τ' ἔμεν καὶ ἐπίκλοπον, οἷά τε πολλούς
βόσκει γαῖα μέλαινα πολυσπερέας ἀνθρώπους.

Aristarchus πολλά [28]), quod praestare videtur. Cf. Od. ε, 422. θ, 160. ι, 128. λ, 536.

Videamus de *pronominum* usu. *K*, 127 Zenodotus μὶν pro σφίν, ubi pluralis vices gerat, quod quum Homeri usus spernat, Aristarchus recte σφὶν restituit [29]). Genitivum οὗ pro οἱ scripsit λ, 458: Αἷμα δέ οἱ σπασθέντος ἀπέσσυτο [30]). Eadem ratione in verbis: Πρόσθε δέ οἱ δόρυ τ' ἔσχεν, ρ, 7 (adde ε, 300) οὗ habuit. At Ho-

---

25) Schol. A: Οὕτως Θήβασδε, εἰς Θήβας, unde alios Θήβας legisse patet, quam scripturam Eustathius et codices Vindobonenses servant.

26) Male Aristonicus in Schol. A ἀρνέων genitivum substantivi ἄρνες habet. Rectius Schol. B L: Τινὲς ἀρνέων, ἵν' ᾖ ὡς ἱππείων ὁπλέων (λ, 536). Manifesto errore Etym. M. p. 507 sqq. et Gudian. p. 318, 1 sqq. (cf. Crameri Anecd. Ox. I p. 239. IV p. 329) Zenodotum ἀρνῶν ἐκ κεφαλαίων dedisse referunt, iis, quae de hoc loco tradita invenerunt, male intellectis, quod iam Heynius (IV p. 508 sq.) monuit.

27) Sic rectius Schol. L, quam Schol. A, qui νέρταται.

28) Hoc colligo e Scholio corrupto apud Cramerum Anecd. Par. III p. 473: Οἷά τε πολλούς εἰκάζομεν· οὕτως Ζηνόδοτος· ὁ δὲ Ἀρίσταρχος πολλούς, ubi πολλά corrigo. Εἰκάζομεν interpretatio praecedentis ἐΐσκομεν videtur.

29) Spitzner contra Zenodotum monet, hic dativo opus esse, sed criticum Ephesium μὶν cum ἠγερέεσθαι coniunxisse arbitror.

30) Recte Spitzner Heynii (VI p. 201) sententiam reiicit, e qua Zenodotus οὗ intellexerit τοῦ ἔγχους.

merus πρόσθε nunquam tali modo cum genitivo pronominis coniunxit. Haesit Zenodotus in dativo, qui dicitur commodi. Cf. ε, 315. Πρόσθε absolute ponitur, ut δ, 113. Pronominis possessivi usum pro genitivo pronominis personalis invenimus γ, 206, ubi pro σεῦ ἀγγελίης scripsit σῆς ἀγγελίης, ex usu notissimo possessivi, ut τ, 321 σῇ ποθῇ. Od. λ, 201, ubi Valckenarius ad Ammonium p. 59 ex veteribus editionibus σοῦ [31]). Zenodotum hic e coniectura σῆς scripsisse puto, ut γ, 273 ἀρνέων. Contrariam varietatem habemus ξ, 118 (πατρὸς ἐμεῖο pro πατρὸς ἐμοῖο). ω, 486 (πατρὸς σεῖο pro πατρός σοῖο). Od. ζ, 256 (πατρὸς ἐμεῦ pro πατρὸς ἐμοῦ). Cf. Apollon. de constr. II, 22 p. 166. de pron. p. 397 (137). Ammon. v. σοῖο [32]). Od. ζ, 289 (adde θ, 241) Zenodotum pro ἐμέθεν scripsisse ἐμεῖο Schol. Harl. refert, ubi Porso: „Debebat ἐμέο." At Zenodotus fortasse legerat: ὧδ' ἄρ' ἐμεῖο ξυνὲς ἔπος, positionem consonantis ξ non curans. Cf. β, 26. 63. ω, 133. Ἑοῖο pro ἑῆος [33]) habuit Zenodotus α, 393. ο, 138. τ, 342. ω, 550, ubi Aristonicus recte monet: τοῦτο ἐν τῷ περί τινος λόγῳ τίθεται, νῦν δὲ πρὸς πρόσωπόν ἐστι. Cf. Schol. ω, 528. Ἑοῖο de tertia persona invenimus β, 662. ν, 522. ξ, 9. 11. 266. σ, 71. 138. τ, 399. ψ, 360. 402. Od. ξ, 177 (tribus locis, ξ, 9. σ, 71. 138, alii ἑῆος), ἑῆος praeter Il. hos locos ω, 422. Od. ξ, 505. ο, 405. Formam ἑῆος versus respuit β, 662. ν, 522. Od. ξ, 177. Equidem Zenodotum in allocutione ubique ἑοῖο pro ἑῆος male emendasse iudico [34]). Οὗ πατρὸς Zenodotus λ, 142 pro τοῦ πατρός, quod Aristarchus, qui pronominum formas atque significationes accuratius distinxit (cf. Wolf. Prolegg. p. CCXLVII sq.), recte reiecit, quamquam Heynius (VI

---

31) Cf. Pflugk. ad Eur. Androm. 62. Nihili est, quod Spitzner T. III p. 30 sq. contra Zenodoteam monet scripturam.

32) Eandem varietatem aliis locis obtinuisse certum videtur, ut Od. ζ, 290. Πατρὸς ἐμοῦ legitur Od. γ, 83. ζ, 293. 299. ν, 173. ο, 459, παιδὸς ἐμοῦ Il. ω, 224.

33) De spiritu cf. Lehrsius in ephemer. stud. antiquit. 1834 p. 141 sq. quaest. ep. p. 66 sqq., cui frustra obloquitur Spitzner praef. p. 20.

34) Cf. Buttmanni Lexil. I p. 86 sqq. Inde, quod Apollonius et alii ἑός de altera persona utebantur, nihil ad defendendas Zenodoteas scripturas efficitur, quum hic usus ex aliis locis Homericis fluxerit. Cf. Wolfii Prolegg. p. CCXLVIII sq. Langius (I p. 12 sq.), non prudenter Zenodoti patronum agens, „impudens profecto homo esset Achilles," inquit, „si cum matre sermocinans (α, 393) *nobilem filium* ipse se appellaret; neque ω, 550 ab Achille *nobilem filium Priami* Hectorem dici credibile est, quippe quem idem Achilles paullo ante contumeliose tractaverit." Tu confer, quae II not. 68 contra Aristarchum monuimus.

p. 148) et Vossius (in hymn. in Cer. 153) repugnant. *O*, 139 Zenodotus et Aristophanes legerunt *τοῦδε*; Aristarchus ex usu Homerico *τοῦγε* recepisse videtur. *Σ*, 385 et 424 Zenodotus:

Τίπτε, Θέτις τανύπεπλος, ἱκάνεις ἡμετερόνδε;

Ceteri *ἡμέτερον δῶ*, ut *η*, 363. Od. *α*, 176. *β*, 262. *δ*, 139, quibus locis Zenodotum *ἡμετερόνδε* dedisse coniicio. Od. *ο*, 513 sq. legimus *ἡμετερόνδε κελοίμην ἔρχεσθ'*, Od. *θ*, 39 *ἡμετερόνδ' ἐλθόντες*, Od. *β*, 55 et *ρ*, 534 *εἰς ἡμέτερον πωλεύμενοι*, Od. *η*, 301 *ἦγεν ἐς ἡμέτερον*, Od. *ο*, 88 *νεῖσθαι ἐφ' ἡμέτερα*. At cf. *σ*, 406 *ἢ νῦν ἡμέτερον δόμον ἵκει*. Od. *υ*, 191 sq. *εἰλήλουθεν ἡμέτερον πρὸς δῶμα*. Utrumque in libris invenisse Zenodotum suspicor; plenius fortiusque sonantem exitum versus recte praetulisse videtur Aristarchus. *Ὅσση* Zenodotus *ξ*, 400 pro *τόσση* recte retinuit, quod Aristophanes et Aristarchus probarunt. *I*, 447 *τοῖον* pro *οἷον* coniecit, quum adverbium *νέον* substantivum esse putaret, quod iam Aristonicus monet. *Ξ*, 398 *τόσσος* pro *τόσσον* scripsit, e versu 396 male huc translatum. *Αὐτὸς* pro adverbio *αὔτως* Zenodotus et Aristophanes *σ*, 198 legerunt, quod *χωρὶς ὅπλων* intellexerunt. Didymus: *Καὶ λόγον ἔχει χαρίεντα καὶ οὐκ ἄλογός ἐστιν ἡ γραφή*. Cf. Crameri Anecd. Par. III p. 287. Recte eodem sensu *αὔτως* dici posse Spitzner observat. Zenodotum *αὐτὸς* ultima syllaba producta mera coniectura in Homerum intulisse vix statuo, verum librorum scripturam non correxit.

De *articulo* paucis agamus. Zenodotum *β*, 1 et *κ*, 1 pro *ἄλλοι* dedisse *ὦλλοι* testantur Scholia, quod non minus in nonnullos alios locos cadere videtur [35]). Quem hanc formam in Homerum invexisse a vero abhorret; invenit in libris *ὦλλοι*, ut ipsum Aristarchum *κ*, 539 *ὤριστον* legisse scimus. Alia craseos cum articulo factae exempla Homerica vide apud Spitznerum de versu heroico p. 177, Ahrensium de crasi et aphaeresi p. 22 et Langium II p. 2. Aristarchus recte his locis, non sine librorum auctoritate, *ἄλλοι* restituisse videtur. Cf. quae contra Langium disputavit Faerber l. l. p. 621 sqq. Adde Giesium p. 394 sq. Od. *δ*, 70 (adde *α*, 157. *ρ*, 592) Zenodotus *πευθοίαθ' οἱ ἄλλοι*, Aristarchus *πευθοίατο ἄλλοι*, ubi Zenodotea scriptura et ob versum et ob oppositionem *aliorum* praeferenda videtur. Cf. Il. *β*, 665. *ζ*, 41. 402. *ξ*, 368. De iis lo-

35) Cf. Apollon. de constr. I, 2 p. 5: *Πόθεν ἐστοχάσατο Ζηνόδοτος τὸ ὦ λ λ ο ι κατὰ συναλοιφὴν τοῦ ἄρθρου γράφειν, εἰ μὴ ἐκ τῆς δεούσης συντάξεως κινούμενος; καὶ πόθεν Ἀρίσταρχος οὐκ ἔλεγε μὲν πλεονάζειν τὸ ἄρθρον, περιέγραφε δὲ ὡς ἐλλείποντος συνήθως τοῖς ἄρθροις*; I, 38 p. 77: *Ἀλλὰ φαίνεται, ὅτι τὸν Ἀρίσταρχον ἐκίνει τὸ ἔθιμον τοῦ ποιητοῦ, ὃς συνήθως μὲν ἐλλείπει τοῖς ἄρθροις.*

cis, quibus Zenodotus ὁ Ἠλεῦς, βίῃ τῇ Ἡρακλείῃ, βίης τῆς Ἡρακλείης dedit, iam supra vidimus.

Pronomen ὅ, e κοιναῖς editionibus traditum, Zenodotus γ, 18 omisit, quod probarunt Aristophanes, Callistratus, Aristarchus et Ixio, quamquam pronomen ex Homerico usu (comparant π, 466. Od. ι, 372) addi posse non negant Scholia.

Ad *verba* progredientibus primum *de genere verborum* agendum est. *A*, 83 Zenodotus retinuit φράσον, Aristarchus verius scripsit φράσαι [36]). Ephesius criticus significationem *indica* aptiorem nostro loco habuit, aut, quod multo verisimilius, differentiam significationis activi et medii, ab Aristarcho bene perspectam (cf. Lehrsius p. 93 sq.), non curavit. Cf. Apollon. v. φραδέος. Heynius IV p. 41 sq. Activum ἴδῃς pro ἴδῃ, quod Aristarcho ὁμηρικώτερον visum est, Zenodotus α, 203 et ν, 449 (adde γ, 163. δ, 205. ο, 32, ubi Ven. et libri plerique ἴδῃς. Od. λ, 94. ο, 76, ubi Wolfius ἴδῃς. 432) scripsit. Cf. Epimer. Homer. apud Cramerum I p. 209: Ἡ μὲν Ζηνοδότου β' ἀορίστου, ἡ δὲ Ἀριστάρχου μέσου ἀορίστου α'·

Οὔπω γὰρ τοίους ἴδον ἀνέρας, οὐδὲ ἴδωμαι (α, 262)·

καὶ τὸ δεύτερον ἴδῃ· καὶ ἡ μὲν Ζενοδότου Ἰακή, ἡ δὲ Ἀριστάρχου κοινή· οὐδέποτε οὕτω κοινῶ(ς) χρῆται, ἀλλ' ἐπεκράτησεν ἡ Ἀριστάρχου. Aristarchus ἴδῃ praetulit, quod coniunctivum aoristi medialis apud Homerum praevalere vidit, quod iam versus α, 262 ostendit, ubi indicativus activi cum coniunctivo medii componitur. Quod quam recte iudicaverit, exempla in nota collecta ostendent [37]).

---

36) Aristonicus: Ζηνόδοτος γράφει φράσον· μᾶλλον δὲ τὸ φράσαι ἁρμόζει. Mire Heffter (p. 12) Aristarchum φράσαι scripsisse dicit, quod Homerus medii forma uti soleat, addens: „At si solet, num propterea semper ita dixisse putandus est?"

37) Ἴδω s. ἴδωμι σ, 63 (Ven. ἴδοιμι). ω, 555. Od. κ, 387. π, 32. Ἴδωμαι α, 262. 587. ζ, 365. θ, 376. σ, 190. φ, 61. Od. ζ, 126. ν, 215. ψ, 83. Ἴδωμ' χ, 450. In extremo versu, quo loco ἴδωμι et ἴδωμαι versus admittit, semper ἴδωμαι legimus. Ἴδηαι γ, 130. ε, 221. ϑ, 105. ν, 229. ρ, 652. σ, 135. τ, 144. Od. ζ, 311. ρ, 448 (cf. Vossius in hymn. in Cer. 116. Gloss. p. 67). σ, 269. ψ, 5. Ἴδῃ (persona tertia) δ, 98. 195. ω, 337. Ἴδηται β, 237. ξ, 416. ρ, 93. 100. σ, 467. τ, 151. Od. δ, 412. τ, 567. φ, 159. 228. Ἐςίδηται Od. ρ, 9. Ἰδωμεν metri causa frequentius (κ, 97. Od. φ, 112. 336), quam ἰδώμεθα (Od. κ, 44), at vide mihi alteram pluralis personam, ubi versus utramque formam admittit. Ἴδητε δ, 249. Od. κ, 426 (utroque loco ε eliditur). Ἴδησθε ο, 147. Od. δ, 414, 421. ϑ, 307. Tertiae pluralis personae unum tantum exemplum habemus, ἴδωσι τ, 174, ubi ἴδωνται versus vetat. Vides Homerum in coniunctivo aoristi medialem formam activae praeferre, quod bene intellexit Aristarchus. Iam nunc mihi audi Langii doctrinam (I p. 10): „Ni fallor, Aristarchus non omnino activum medio post-

Medii pro activo positi haec habe exempla. Od. μ, 297 Zenodotus βιάζεσθ' οἶον, alii βιάζετε μοῦνον. Schol.: Οὐ νοήσας, ὅτι ποιητικῶς ἐσχημάτισται. At activum βιάζειν seriorum est. Od. λ, 249 τέξεαι [38]) pro τέξεις scripsit, futurum activi reiiciens. Cf. Il. τ, 99. Hes. Theog. 469. 898.

De *numero verborum* plura sunt monenda. *B*, 36 pro ἔμελλον Zenodotus scripsit ἔμελλεν, eademque varietas Od. β, 156 obtinuit. Pluralem ab Aristarcho esse inductum, Langius (II p. 8) verbis Schol. θ, 137 (cf. λ, 128): Ἀρίσταρχος φύγον, ἄλλοι δὲ φύγεν, et ν, 28: Ἀρίσταρχος ἠγνοίησαν, ἄλλοι δὲ ἠγνοίησεν, demonstrari contendit addens posteriore loco plurali ἠγνοίησαν et singularem ἄταλλε et digamma v. ἄναξ adversari [39]). At his omnibus locis et singularem et pluralem libros habuisse non est, quod dubites; Aristarchus ex usu Homerico, quamquam non minus, quam Langius, Homerum saepe cum substantivi neutro pluralis singularem verbi coniungere cognoverat, pluralem, Zenodotus e vulgari more singularem praetulit. Cf. Faerber l. l. p. 618. *E*, 205 Ven. et Vindobon. codd. et Eustathius ἔμελλεν. *O*, 714 Schol. A: Πέσον, οὕτως διὰ τοῦ ō, πέσον; πέσεν codices nonnulli. Quibus locis ἔμελλεν et πέσεν Zenodoti erant.

Υ, 138 Didymus: Ἀρίσταρχος προκρίνει τὴν διὰ τοῦ ω̄ γραφήν· γράφεσθαι δέ φησι καὶ διὰ τοῦ η̄, ἄρχησι. Aristonicus: Ἡ διπλῆ, ὅτι Ζηνόδοτος γράφει ἄρχησι· ὁ δὲ Ὅμηρος τὸ κατ' ἀμφοτέρων τῶν ὀνομάτων τιθέμενον ῥῆμα εἴωθέ ποτε, τὸ ἕτερον προτάξας ὄνομα, μεταξὺ τάσσειν. Utrumque in libris invenisse Zenodotum arbitror; exquisitiorem lectionem Aristarchus recte praetulit [40]).

Ob *dualem* cum *plurali* confusum Zenodotus non semel vitu-

---

habuit, sed hanc alteram activi personam. At haec opinio quanti aestimari potest, quum ei, nullis internis argumentis nixae, obstet antiquius Zenodoti testimonium?" Quid vero Zenodoti *testatur* scriptura, qui sine dubio utramque formam in libris invenit?

38) E Porsonis emendatione pro τέξει, qui idem priore loco βιάζεσθ' restituit pro βίασθ'.

39) Heynius (VI p. 376): „Antiquius fuit οὐδ' ἠγνοίησε ἄνακτα (cum digamma). Apparet itaque hoc quoque loco Aristarchum digamma prorsus ignorasse."

40) A Zenodoti partibus stat Buttmannus, qui (Scholia in Odysseam p. 353): „Hic etiam subtilius Zenodoti ingenium cognoscas, qui praetulit ἄρχησι, Aristarcho illud schema, quod in structura per καὶ locum recte servat, pinguius ad alteram etiam per ἤ trahente." At Buttmannus non vidit, v. 138 pluralem sequi et hunc pluralis usum in ipsa pedestri oratione etiam in nominibus, quae ἤ disiungit, notissimum esse. Cf. Matthiae. §. 304 annot. 4. Krüger II p. 274.

peratur. Sic θ, 503 (adde ι, 66) *ἐφοπλίζεσθον* pro *ἐφοπλισόμεσθα*, ν, 627 *οἴχεσθον ἄγοντες* pro *οἴχεσθ' ἀνάγοντες* [41]), σ, 287 *κεκόρησθον* pro *κεκόρησθε*, ψ, 753 *πειρήσεσθον* pro *πειρήσεσθε*, Od. θ, 251 *παίσατον* pro *παίσατε* scripsit. Non licentia, sed negligentia Zenodoti, qui in nominibus bene dualis formam distinxit, accusanda videtur, qui dualem, in multis, opinor, libris inventum, non correxerit. Neque aliter iudico de locis γ, 459, ubi *ἀποτίνετον* pro *ἀποτινέμεν*, et ο, 347, ubi *ἐπισσεύεσθον* pro *ἐπισσεύεσθαι* dedit. Ipse dualem male in Homerum invexit ζ, 112 [42]).

De *personarum* usu duo loci in censum veniunt. Od. β, 41 (cf. Crameri Anecd. Par. III p. 398) Zenodotus pro *ἤγειρα* scripsit, vulgarem secutus grammaticam, *ἤγειρεν*, fortasse e libris. Aristarchus, ni fallor, primam personam, hic fortiorem et significantiorem, recte restituit, quamquam cum Nitzschio (I p. 72) ideo non dixerim, Zenodotum Homerum satis male intellexisse. Cf., ut unum locum adferam, ρ, 249 sq. Π, 697 *ἕλες* pro *ἕλεν*, ubi Aristonicus: *Ἀγνοεῖ δέ, ὅτι ἀπέστρεψε τὸν λόγον ἐκ τοῦ πρὸς αὐτὸν ἐπὶ τὸν περὶ αὐτοῦ, καὶ πολλάκις ἀποστροφὰς ποιεῖται.* Utrum Zenodotus *ἕλες* e libris retinuerit, quae Heynii (VII p. 256) erat sententia, an ipse, versu 692 sq. falsus, hanc scripturam in Homerum invexerit, satis certo diiudicari nequit.

Differentiae *temporum* e Zenodotea recensione referuntur haece. *Ἥσται* Zenodotus Od. λ, 191, ubi Aristarchus *ἧστο*, uterque, ni fallor, libros secutus. Ο, 179 *πολεμίζων* pro futuro *πολεμίξων* [43]),

---

41) Aristonicus: *Καὶ τὸ δυϊκὸν συγχεῖται ἐπὶ πολλῶν τασσόμενον, καὶ ἠγνόηκε, ὅτι ἀναγωγὴν καλεῖ τὴν ἐκ Πελοποννήσου εἰς Τροίαν πλοῦν.* At Zenodotum, qui ζ, 292 non mutaverit, haec non ignorasse recte reponit Heynius (VI p. 478).

42) Si Aristonicus γ, 279 tradit: *Ἡ διπλῆ περιεστιγμένη πρὸς Ζηνόδοτον, ὅτι ἐκ τοῦ δυϊκῶς γράφεσθαι τὸ τίνυσθον ἐλέγχεται, ὅτι ἐπὶ Περσεφόνης καὶ Πλούτωνός ἐστιν ὁ λόγος, οὐκ ἐπὶ τῶν νεκρῶν*, hic *διπλῆν περιεστιγμένην* cum vulgari *διπλῇ* confusam esse patet, quum illa Aristarchus in iis tantum versibus uteretur, quibus a Zenodoto recessit. Aristonicus *διπλῆν περιεστιγμένην*, quam male appictam vidit, suo more interpretatus est. Heynius IV p. 511 haeret. Schol. A μ, 127: *Ζηνόδοτος καὶ Ἀριστοφάνης δυϊκῶς ἅπαντα ἀνέρε, ἀρίστω, υἷε ὑπερθύμω, κιέτην* (v. 138), ubi *κιέτην* male adiectum videtur; nam Zenodotum ita caecutiisse in versibus illis interpretandis, ut *κιέτην* pro *ἔκιον* tulerit, vix mihi persuadeo.

43) Schol. A recte: *Πτολεμίζων, Ζηνόδοτος διὰ τοῦ ζ.* At Schol. V: *Πολεμίξων δὲ διὰ τοῦ ξ, Ἀρίσταρχος δὲ διὰ τοῦ σ̄*, quae priori Schol. V notae ita annectenda: *Καὶ κεῖνος ἐκ πλήρους, ὃ καὶ Ζηνόδοτος γράφει, πολεμίξων δὲ διὰ τοῦ ξ, Ζηνόδοτος δὲ διὰ τοῦ ζ.* Non satis recte Spitzner in loco restituendo versatus est

quam eandem varietatem aliis locis (κ, 451. φ, 463. ω, 667) in libris invenimus. De ἐφοπλίζεσθον pro ἐφοπλισόμεσθα θ, 503 iam vidimus. Od. κ, 41 Zenodotus ἐκτελέοντες, ubi alii, Aristarcho fortasse auctore, ἐκτελέσαντες. Ἠερέθοντο pro ἠερέθονται scripsit β, 448. Quod Schol A dicit, imperfectum deorum potentiae aptum non esse, bene refutat Langius III p. 5 sq. Addimus notissimum exemplum, ε, 331, γιγνώσκων, ὅτ' ἄναλκις ἔην θεός. Spitzner dicere non debuit, inusitatam praesentis formam Zenodoto displicuisse, quem librorum scripturam retinuisse puto; Aristarchum vero ex aliis libris praesens, quod descriptioni aptius videtur, restituit. Ceterum similem varietatem libri φ, 12 et γ, 231 praebent, ubi imperfectum videtur Zenodoti esse. Pro αἰνίζομαι ν, 374 dedit αἰνίσσομαι, quam futuri formam Zenodotum existimasse persuasum habeo [44]). Alii αἰνίξομαι. Aoristum ἐξενάριξεν pro ἐξενάριζεν habuit ε, 842 et λ, 368 [45]). Aristarchi imperfectum recte Wolfius et Spitzner probant. *E*, 132 Zenodotus οὐτάσαι, Aristarchus οὐτάμεν, nisi imperativum οὔτασσαι dederat, ab Aristarcho spretum, quod media forma non legitur. Denique π, 161 retinuit futurum λάψοντες, ubi alii λάπτοντες, Aristarchus λάψαντες. Recte Aristonicus contra Zenodotum, qui hunc locum negligentius tractaverat: monet: Ἔσονται δὲ ἤδη πεπωκότες, καὶ ἐκλέλυται ἡ ἔμφασις· οἱ μὲν γὰρ αἵματος ἐμπεφορημένοι καὶ διὰ δίψαν ὁρμῶντες ἐπὶ τὴν κρήνην σώζουσι τὸ παράστημα· ἐπλάνησε δὲ τὸν Ζηνόδοτον τὸ ἑξῆς.

Transeamus ad usum *modorum*. *Indicativum* πορφύρει pro *coniunctivo* πορφύρῃ Zenodoti recensio habuit ξ, 16. Negari quidem nequit, indicativum post ὡς δ' ὅτε locum habere (cf. β, 210. γ, 33 sq. δ, 131. κ, 361. ρ, 264), at coniunctivus frequentior est, atque indicativus sequenti προκυλίνδεται (v. 18), quod non ab ὅτε pendet, sed libere adiungitur, originem debere videtur. Cf. Heynius V p. 696. VI p. 521 [46]).

Indicativum pro *participio* dedit λ, 413, ubi pro πῆμα τιθέντες scripsit πῆμα δὲ θέσσαν aut δ' ἔθηκαν [47]), quae mera videtur con-

---

44) Cf. formas ξεινίσσομεν, ἀεικίσσωσι, ἐτειχίσσαντο. De praesenti αἰνίσσομαι ob significationem cogitare non potuit. Ceterum de αἰνίζω cf. Lobeck. Rhemat. p. 228.

45) Priore loco Schol. A: Τινὲς γράφουσιν ἐξενάριξεν. Διπλῆν περιεστιγμένην Aristarchus utrique versui appinxerat, sed ε, 842 nunc male διπλῆ legitur. Ἐξενάριξε legimus δ, 488. ε, 151. 703. ζ, 20. 30. 36. 417. et aliis locis.

46) Similis varietas obtinet post ὅτε et ὥστε ε, 501. ζ, 507. ο, 410. ρ, 264 (ubi Aristophanes et, ni fallor, Zenodotus βεβρύχῃ).

47) Aristonicus: Ἡ διπλῆ δέ, ὅτι Ζηνόδοτος γράφει μετὰ σφίσι,

iectura ad locum difficilem sublevandum excogitata. *Coniunctivum* pro *optativo* retinuit λ, 838, ἔῃ pro ἔοι legens [48]. De coniunctivo cf. σ, 188. Zenodoti scripturas γ, 459 et ο, 347 iam commemoravimus. Pro ὀτρύνεσθαι scripsit Od. η, 222 ὀτρύνεσθε, quod recte Aristarchus reiecit. At Aristonicus hic et γ, 459 Zenodoto iniuriam fecit, infinitivi usum pro imperativo eum ignorasse contendens. Nam, ut alios locos mittam, ubi Zenodotus infinitivum tali modo positum non mutavit, ipse σ, 142 eum servavit, ubi Aristarchus [49], quem posteriores sequuntur, ἀγορεύσατ' pro ἀγορεύσασθ' (cf. β, 10. ι, 369. ο, 159), et Od. ν, 213, ubi τίσασθαι, non τίσαιτο legit [50]. *N*, 315 ἐσσύμενον πολεμίζειν retinuit pro ἐσσύμενον πολέμοιο. Cf. λ, 717 ἐσσυμένους πολεμίζειν. Od. δ, 416 ἐσσύμενόν περ ἀλύξαι. *N*, 787 commata sunt delenda, quum πολεμίζειν et ad οὐκ ἔστι et ad ἐσσύμενον referatur. Ἐσσύμενος cum genitivo substantivi invenies ω, 404, ἐσσυμένους πολέμοιο, et Od. δ, 733, ἐσσυμένους περ ὁδοῖο. Spitzneri sententia, Zenodotum non tam ex libris, quam ex aliis Homeri dictis infinitivum, quo omnem ambigendi causam tolleret, ad nostrum locum transtulisse, non video, quomodo stare possit, quum nihil impediat, quominus ἐσσυμένους πολεμίζειν coniungatur [51].

Participii pro *indicativo* positi duo habemus exempla. *B*, 187 σὺν τῷ βὰς scripsit pro σὺν τῷ ἔβη et ξ, 169 ἐπιθεῖσα pro ἐπέθηκε. Quas meras fuisse Zenodoti coniecturas, ut sequentia melius adiungerentur, admodum verisimile est [52].

πῆμα δὲ ἔλσαν, ubi ἔλσαν librarii error est, quum versus ab hoc ipso vocabulo incipiat.

48) Schol. A: Ἔοι, Ζηνόδοτος διὰ τοῦ ῃ (Villoiso ῡ), ἔην, ubi ἔῃ legendum esse suspicor.

49) Quid Aristarchum moverit, intelliges ex Schol. A ad versum 143. At cf. quae infra ad α, 100 monebimus. De Zenodotea scriptura Schol. A: Ὑποφαίνει τὸ Ὁμηρικὸν ἔθος.

50) Giesius p. 289 recte monet, Wolfium Heynii coniecturam σφείας τίσασθ' recipere non debuisse, sed quod τίσαιτο Zenodoti coniecturam habet, e digamma ignorato ortam, non probo, quum Zenodotus, qui πέμψαντε ἔΰσκοπον (Od. α, 38), ἀλλ' αὐτὸς ἐπὶ τάφρον (σ, 198) dedit, de versu non nimis sollicitus fuerit.

51) Aristonicus: Ἡ διπλῆ, ὅτι Ζηνόδοτος ἀγνοήσας τὸ σημαινόμενον (ἐσσύμενον πολέμοιο ἀντὶ τοῦ ὡρμημένον εἰς τὸν πόλεμον) πεποίηκε καὶ ἐσσύμενον πολεμίζειν. At rectissime Heynius (VI p. 426) monet: „Atqui hoc ignorare nequiit Zenodotus! Sed reppererat ille alteram lectionem in suis codicibus. Proclive sane genus hominum in reprehensiones sunt grammatici! Nec est absurda lectio πολεμίζειν, quae saepe variat cum altera."

52) Aristonicus altero loco: Ὁ δὲ Ὅμηρος ἄλλας ἀρχὰς λαμβά-

Iam vero de *adverbiorum* videamus usu. Adverbia loci Zenodotum confudisse Scholia pluries observant. *Κεῖθι* pro *κεῖσε* male retinuit λ, 528 et μ, 368. Ψ, 461 Zenodotus et Aristophanes pro *κεῖσε* legerunt *κεῖθι*, quod *ἀναλογώτερον* esse Schol. A dicit. Schol. V *κεῖσε* explicat *εἰς ἐκεῖνον τὸν τόπον πορευόμενοι*, comparans *τηλόσε* pro *τηλόθι* (δ, 144), *Κύπρονδε* pro *ἐν Κύπρῳ* (λ, 21). Aristarchus recte *κεῖσε* restituit, quod intellexit *ad istum locum*, *ad metam* (cf. ψ, 402) [53]). Neque desunt loci, quibus *κεῖσε* pro *κεῖθι* Zenodotus dedit; scripsit enim μ, 348 *καὶ κεῖσε* (cf. supra c. III) pro *καὶ κεῖθι* et μ, 359 *κεῖσε* pro *ὧδε*, ubi Aristonicus recte monet, *κεῖσε*, quod sit *εἰς ἐκεῖνον τὸν τόπον*, hic locum non habere [54]). Cf. Schol. μ, 348. 368. Zenodotum *ὧδε* μ, 346 de loco intelligentem notavit Aristarchus. Cf. Lehrsius p. 84 sqq. *N*, 107, ubi vulgo *νῦν δ' ἕκαθεν*, Zenodotus et Aristophanes *νῦν δὲ ἑκάς*. Versus repetitus ex ε, 791, ubi optimi codices *νῦν δὲ ἑκάς*. Zenodotus genuinam scripturam retinuit, quam ipsum digamma defendere iam Heynius (VI p. 389) recte monuit. *M*, 75 et ο, 277 *τῶς* et *τείως* pro *ὣς* et *εἵως* Zenodotus male retinuit. *Τῶς* pro *οὕτως* parum commode dici Heynius (VI p. 289) observat, quum *ἂν* sequatur. Schol. V contra Zenodotum monet, *τείως* esse *ἀνταποδοτικόν*; at ipse Aristarchus simili modo *τόφρα* in apodosi habuit (ο, 232). *Εἵως* esse *μέχρι τινὸς* grammatici observant. Cf. Schol. μ, 141. ν, 143. ο, 277. *Ἀντίον* Zenodotus ζ, 54. λ, 94. 219. 552. μ, 44. ο, 694. τ, 70 legit, ubi Aristarchus ex usu Homerico non sine libris *ἀντίος* restituit [55]).

νει, ἵνα μὴ ἀσαφὴς ἡ περίοδος γένηται, ἤτοι ὑστεροπερίοδος. At cf. Od. χ, 201 sq.

53) Heynius (VIII p. 449): *Κεῖσέ γε* forte doctius *illuc*, usque ad, huc usque, adhuc." Spitzner: „Idomeneus Eumeli currum *eo usque* principem tenuisse locum, iam vero alium aurigam et alios equos antevertisse significat."

54) In verbis Aristonici: *Ἔστι δὲ ἀντὶ τοῦ οὕτως· δὲ εἰ εἰς ἐκεῖνον τὸν τόπον πόλεμός ἐστιν, ἀλλ' ἐν ἐκείνῳ*, post *οὕτως* verba *οὐκ ἔστι* (Bekker *οὐ δεῖ*) excidisse videntur.

55) Scholia mire dissentiunt. *Z*, 54: *Ὁ μὲν Ζηνόδοτος διὰ τοῦ ν γράφει ἀντίον, ὁ δὲ Ἀρίσταρχος διὰ τοῦ σ, ἀντίος, ὃ καὶ ἄμεινον. Λ*, 94: *Ζηνόδοτος ἀντίον καὶ Ἀριστοφάνης. Ο*, 694: *Ἀρίσταρχος ἀντίος διὰ τοῦ σ.* Confusae sunt scripturae λ, 219: *Ζηνόδοτος καὶ Ἀριστοφάνης ἀντίος* (lege *ἀντίον*), *Ἀρίσταρχος ἀντίον διὰ τοῦ ν* (lege *ἀντίος διὰ τοῦ σ*). Pro *Ἀρίσταρχος* Zenodoti nomen reponendum videtur λ, 552. τ, 70. Scholium μ, 44: *Γράφεται ἀντίον· οὕτω γὰρ Ἀρίσταρχος*, male se habere vides, neque dubito, quin legendum sit: *Οὕτως Ἀρίσταρχος· γράφεται ἀντίον.* Multo corruptius Schol. V ad eundem locum. *Ἀντίος* ubique Aristarchi fuisse lectionem Spitzner λ, 219 recte statuit.

Aristarchi scriptura praevaluit, sed Zenodotea nonnunquam in codicibus legitur. Ἀντίον iis tantum locis cum ἐλθεῖν iunctum invenitur, ubi adverbium desideratur, in Iliade η, 160. ρ, 67. 69. χ, 195, ἀντίος, ut locos laudatos mittam, in tribus viginti Iliadis versibus. Ω, 725 Zenodotus νέον ὤλεο habuit pro νέος ὤλεο, quod Andromachae lamentationem (*nuper* Hectorem esse mortuum) minus decet. Π, 156 pro πάντας ἀνὰ κλισίας male retinuit πάντῃ ἀνὰ κλισίας, quum de Myrmidonibus, quos omnes ad arma vocaverit Achilles, poeta loquatur. Suspicari nolim, Zenodotum, voc. πάντας non intellecto, sine libris scripsisse πάντῃ.

Accedamus ad *praepositionum* usum. Α, 424 Zenodotum μετὰ δαῖτα legisse tabula Iliaca Parisiensis ostendit. Cf. Bergkius l. l. p. 482. 500 [56]). Aristophanes et Aristarchus cum multis veteribus editionibus, Massiliotica, Sinopica, Cypria et Antimachea, κατὰ δαῖτα, sed vix dubito, quin aliae, ut Chia, Cretica, Argiva, μετὰ δαῖτα dederint. Eadem varietas obtinet α, 484, ubi Aristarchus κατὰ στρατόν, alii μετὰ στρατόν. De usu praepositionis μετὰ cf. Lehrs. quaest. ep. p. 88; de κατὰ Aristarchus apud Schol. A locum Sophocleum attulit. Suspiceris iam in vetustissimis editionibus, ut duplex μετὰ vitaretur, nonnullos κατὰ emendasse, quamquam res admodum dubia videtur. Spitzner et Vossius (Gloss. p. 199) μετὰ praeferunt, at cf. Lehrsium in ephemer. stud. antiquit. 1834. p. 143. Ξ, 229 Zenodotus, Aristophanes et Aristarchus [57]) ἐς πόντον, Ptolemaeus ἐπὶ πόντον, qui ἐς πόντον dixit καταδύσιν significare. Negari quidem nequit ἐς πόντον de immergendo in mare dici Od. ε, 352. μ, 353, et ἐπὶ πόντον βαίνεσθαι sive ἰέναι usitatum esse (cf. β, 665. Od. γ, 263. 286. δ, 381. 390. 482. η, 79), at ἐς πόντον tuentur loci Od. δ, 358 sq. ὅθεν τ' ἀπὸ νῆας ἐΐσας ἐς πόντον βάλλουσιν. Od. ε, 349 βαλέειν εἰς οἴνοπα πόντον. Od. κ, 131 ἐς πόντον ἐπηρεφέας φύγε πέτρας. Ξ, 505 Zenodotus et Aristophanes ἐν νηυσὶ νεώμεθα pro σὺν νηυσὶ νεώμεθα, quam scripturam eos vel aliorum si-

---

56) Zenodoteum probasse Callistratum, Ixionem et Sidonium Bergkius p. 505 ex extremis Schol. A verbis docuit, recte μετὰ post ἐξηγήσεις inserto. Idem in eodem Scholio bene scripsit: Ὅτι τινὲς γράφουσι μετὰ [δαῖτα, ὡς τὸ μετὰ] δαίμονας ἄλλους. Sed fallitur, quod μεταποιοῦσι pro ποιοῦσι suspicatur atque inde colligit, Aristarchum significare Zenodotum μετὰ e coniectura scripsisse. Cf. supra c. II not. 69.

57) Inde, quod Schol. A scripturam ἐς πόντον ad Zenodotum et Aristophanem, Schol. V ad Aristarchum refert, non efficitur, quod Spitzner voluit, in alterutro Scholio errorem esse commissum. Fortasse Schol. A ex Aristonico hausit, Schol. V Didymum sequitur.

militudine motos vel ὅ iterato offensos recepisse statuit Spitzner. Utrumque Homericae est consuetudinis, et ἐν νηυσὶ νέεσθαι (γ, 159. 283. λ, 14) et σὺν νηυσὶ νέεσθαι (β, 236. π, 205), at usitatius videtur ἐν νηυσί, ut σὺν νηυσὶν iis tantum locis dicatur, quibus ἐν νηυσὶ versus vetat, ut Zenodoteam scripturam e bonis libris profectam Aristarcheae praeferendam esse ducam. *N*, 2 Zenodotus et Aristophanes περὶ τῇσι, Aristarchus ex usu Homerico (cf. α, 26. 89. 300. 305, alios locos) παρὰ τῇσι. *N*, 245 (adde χ, 32) Zenodotus et Aristophanes:

Ὣς τοῦ χαλκὸς ἔλαμπεν ἐνὶ στήθεσσι θέοντος,

contra Homericum usum, qui περί, ἀμφὶ aut ἐπὶ postulat. Recte ceteri ἔλαμπε περὶ στήθεσσιν [58].

Huc referendus videtur locus Od. κ, 351, ubi Zenodotus οὔτε ἅλαδε [59], Aristarchus οὔτ' εἰς ἅλαδε. De producta ultima v. οὔτε syllaba cf. Spitzner de versu heroico p. 37 sq. Atque Zenodoteum praeferendum videtur. Cf. ε, 598. μ, 19.

Denique de *coniunctionum* usu videamus. *A*, 101 in verbis βῆ ῥ' Ἶσον omisit ῥ', quod recte se habere videtur, quum Ἶσος digamma habeat. De aliorum lectione Βήρισον cf. Heynium (VI p. 141 sq.) et Spitznerum. *Ξ*, 299 Zenodotus et Aristophanes τῶν ἐπιβαίης, ceteri τῶν κ' ἐπιβαίης, quod praestat. *Ξ*, 276 Zenodotus et Aristophanes ἧς αὐτὸς ἐέλδομαι, alii ἧς τ'. Cf. Schol. A apud Villoisonem [60]. *Σ*, 364 Zenodotus formam Homero frequentatam ἐγὼν dedit pro ἔγωγ'. Quod ξ, 427 retinuerat τῶν τ' ἄλλων, recte

58) Quod Heynius (V, 315) et Spitzner tradunt, Zenodotum *Θ*, 562 pro πὰρ δὲ ἑκάστῳ legisse ἐν δὲ ἑκάστῳ, tam mirum est, ut omnem fidem excedat. Atque vide mihi Scholium Aristonici, quo illi nituntur: Ἡ διπλῆ, ὅτι Ζηνόδοτος γράφει μύρια· ἐπιφέρει δὲ ἐν δὲ ἑκάστῳ εἵατο πεντήκοντα σέλα, ὥστε γίνεσθαι μυριάδας πεντήκοντα. Aristonicus, ut Zenodoteam scripturam μύρια refutet, sequentia Homeri verba adfert; subiectum enim verbi ἐπιφέρει non est, quod illi statuisse videntur, Ζηνόδοτος, sed ex notissimo Scholiorum usu Ὅμηρος sive ποιητής, ut ἐν minime varia Zenodoti scriptura sit, sed apertus librarii error.

59) In Schol.: οὔτ' εἰς ἅλαδε. οὔτε γράφει Ζηνόδοτος· Ἀρίσταρχος δὲ οὔ (τ') εἰς ἅλαδε· περισσὴ δέ ἐστιν ἡ εἰς, certissime restituo οὔτε ἅλαδε· οὕτω γράφει Ζηνόδοτος. Infeliciter coniecit Nitzschius (III p. 137): Οὐδὲ γράφει Ζηνόδοτος, ut Zenodotus v. 350 sq. omiserit. Nam Schol. semper Ζηνόδοτος οὐδὲ γράφει sive ἔγραφεν, nunquam οὐδὲ Ζηνόδοτος γράφει dicunt, ambiguitatis evitandae causa, neque Schol., si de duobus versibus omissis dixerat, continuo addere poterat: Ἀρίσταρχος δὲ οὔτ' εἰς ἅλαδε.

60) Quid Aristarchus legerit, incertum videtur; nam e librorum scriptura non satis recte colligit Spitzner, Aristarchum τ' addidisse, quum non ubique Aristarchi scriptura postea praevaluerit.

correxit Aristarchus τῶν δ' ἄλλων. *B*, 258 Zenodotea scriptura εἰ κ' ἔτι apud posteros obtinuit, Aristarchus vero εἰ δ' ἔτι [61]) scripserat, quod Heynius probat, qui quum non solum v. 254—256, sed etiam v. 257 spurios habeat, δέ, propter interpolationes molestum, eiectum esse putat. Sed quid tum de Aristarchea fiet scriptura, qui, quamquam v. 257 agnovit, tamen δὲ non omisit? Δὲ vel in initio orationis post primum vocabulum [62]) saepe legitur, ut criticos Alexandrinos offendere non possit. Post versum, quem hic v. 257 habemus, saepe sequitur εἴ κεν s. αἴ κεν. Cf. θ, 287. Od. β, 188. ρ, 230. σ, 83. τ, 488. φ, 538, unde Zenodoteam scripturam praefero, quamquam Aristarchum εἰ δ' ἔτι in bonis libris invenisse non nego. De εἴ κε cum indicativo futuri cf. locum simillimum ε, 212 sqq. Heynium IV p. 175. V p. 175 sq. Baeumlein. de modis linguae Graecae p. 154 sqq. *B*, 225 pro δ' αὖτε scripsit δὴ αὖτε [63]), de qua synizesi cf. Spitznerum de versu heroico p. 167. 181 sq. et Hartungium l. l. Coniunctionem φή, quae ὡς significet, Zenodotum non finxisse, sed in libris invenisse (β, 144. ξ, 499) iam monuimus I, 564 Zenodotus κλαί' ὅτε, Aristarchus κλαῖεν, ὅ, ubi Zenodoteam scripturam praeferendam esse, quum temporis significatio, quo mater ploraverit, aptior sit, editores viderunt. *B*, 727 pro ἀλλὰ Zenodotus scripsit τούςδε, cuius scripturae argumentum ab Aristonico falso excogitatum esse supra dictum est, Num Zenodotus e similitudine aliorum locorum a τῷ sive τοῖς δὲ incipientium (β, 508. 516. 534. 547 et per totum catalogum) τοὺς δὲ emendaverit, certo diiudicari nequit. *Z*, 34 et ν, 172 pro ναῖε δὲ scripsit ὃς ναίε, quae nescio an infelix ipsius Zenodoti sit emendatio [64]).

Aristarchi iudicium plurimis locis Zenodoteo esse praeferendum vidimus. Ter Aristarchus et Zenodotus eandem servant scripturam (γ, 18. ξ, 229. 400), sexies Zenodotea Aristarcheae praestat (β, 258. ι, 564. λ, 437. ρ, 592. Od. κ, 351) et duobus locis, quibus Aristarcheam certo non novimus (ι, 791. Od. μ, 297), potior videtur; praevaluit β, 258. De locis β, 697 et ι, 466 diiudicari nequit. Triginta fere locos coniecturis Zenodotus infeliciter tentavit. Num γ, 159 e coniectura restituerit, dubitamus.

---

61) Sic iam Heynius (IV p. 243) recte legit pro εἰ δέ τι.

62) Cf. α, 131. 540 (at cf. Hartung. de particulis I p. 180). φ, 481.

63) In Schol. V pro διὰ τοῦ ην legendum esse διὰ τοῦ η iam supra vidimus.

64) Schol. priore loco ὃς ναῖε, quod Heynius ad ν, 172 (VI p. 403) correxit, Spitzner reliquit. Rem tetigit Bernhardius hist. litt. graec. II p. 110.

V.

DE VERBIS SYNONYMIS.

Varietas scripturae in synonymis permutatis non e coniecturis criticorum, sed e libris et traditione, quae similia inconsulto confudit, fluxisse videtur.

B, 119 Zenodotus:

Λώβη γὰρ τάδε γ' ἐστὶ καὶ ἐσσομένοισι πυθέσθαι,

ubi vulgo αἰσχρὸν γὰρ τόδε. Cf. Schol. β, 111. Versus Zenodoteus sine varietate scripturae legitur Od. ω, 433. Cf. η, 97: Ἦ μὲν δὴ λώβη τάδε γ' ἔσσεται αἰνόθεν αἰνῶς. Minus huc pertinent loci σ, 180. Od. σ, 224. De usu v. αἰσχρὸν cf. β, 298: Αἰσχρόν τοι δηρόν τε μένειν κενεόν τε νέεσθαι. Utramque scripturam Zenodotus in libris invenit. Aristarchus αἰσχρὸν recte praetulit, quum videret, cum λώβη ἐστὶ nusquam infinitivum cum accusativo, sed enunciationes coniunctione εἰ sive αἰ inductas iungi. Quod Langium II p. 11 fugit, αἰσχρὸν interpretamentum v. λώβη esse statuentem.

Δ, 139 Zenodotus:

Ἀκρότατον δ' ἄρα χαλκὸς ἐπέγραψε χρόα καλόν,

ubi Aristarchus ἄρ' ὀϊστὸς [1]). Aristonicus contra Zenodotum monet: Ἐπιλέλησται δέ, ὅτι ἐν τοῖς ἐπάνω (v. 123) σιδηρᾶν τὴν ἀκίδα τοῦ βέλους εἶπεν εἶναι. Χαλκὸς iam ante Zenodotum ex aliis locis, ut γ, 294. δ, 528. ε, 74. 538. ν, 507. 553, male huc translatum esse statuere malim, quamquam suspiceris, Zenodotum e coniectura ὀϊστός, quod iam v. 134 legebatur, sustulisse.

E, 128 Zenodotus:

Ὄφρ' εὖ γιγνώσκῃς ἠμὲν ἠδ' ἄνθρωπον.

---

1) Aristonicus tradit, Zenodotum pro ὀϊστὸς dedisse χαλκός, unde sequitur, eum ἄρα plene protulisse. Didymus: Ἐν δέ τισι χαλκὸς γράφεται· οὐκ ἀρέσκει δὲ Ἀριστάρχῳ.

Ceteri ἠδὲ καὶ ἄνδρα. Aristonicus: Ἰδίως δὲ εἴρηκεν ἄνδρα διὰ τὸ καὶ ἄνδρας πολεμεῖν. De Zenodoti in καὶ haerentis coniectura vix cogitaverim.

N, 71 Zenodotus et Aristophanes ἴχματα legerunt pro ἴχνια aut ἴθματα. Nescio an Aristarchus male ἴχματα, quod Aeolicae dialecti esse videretur pro ἴθματα, sustulerit. Ἴχ-μα eiusdem atque ἴχ-νος radicis est, neque recte Aeolica dicitur forma. Cf. Lobeckii Paralipp. p. 395. Suspicari possis, Zenodotum et Aristophanem pro ἴθματα ε, 778 habuisse ἴχματα. Quomodo ἴχνια ν, 71, dummodo vulgarem huius vocabuli significationem retineas, bene explicetur, me non intelligere confiteor. Cf. ψ, 764. Od. β, 406. γ, 30. ι, 193. η, 38.

Ξ, 35 sq. Zenodotus, Aristophanes et in altera editione Aristarchus:

Καὶ πλῆσαν ἁπάσης
ἠϊόνος στόμα πολλόν, ὅσον-συνεέργαθον ἄκραι.

Quod Aristarchus postea scripsit, στόμα μακρόν, obtinuit. Nescimus, quid Aristarchum permoverit, ut μακρὸν reponeret, quum πολὺς non minus, quam μακρὸς Homero longitudinem designet (cf. δ, 244. ψ, 520 sq.), nisi forte μακρόν, cuius haec propria sit significatio, hic aptius fortiusque esse existimavit.

Σ, 498 sq. Zenodotus et plurimae editiones (αἱ πλεῖσται):

Δύο δ' ἄνδρες ἐνείκεον εἵνεκα ποινῆς
ἀνδρὸς ἀποκταμένου,

ubi vulgo ἀποφθιμένου. Zenodotum, ut causam litis clarius indicaret, ἀποκταμένου dedisse Spitzner coniicit. Equidem utrumque in libris fuisse iudico. Aristarchus, aliis locis inductus, ut χ, 288. Od. γ, 196, verbum generale praetulit, quod hoc loco minus aptum mihi videtur.

Φ, 95 Zenodotus:

Μή με κτεῖν', ἐπεὶ οὐκ ἰογάστριος Ἕκτορός εἰμι.

Ceteri οὐχ ὁμογάστριος. Zenodotum hic ἰογάστριος ex ω, 496 (ἰῆς ἐκ νηδύος) scripsisse, mihi non probabile videtur. Utramque formam hic et ω, 47, ubi cf. Schol., in nonnullis libris fuisse censeo. Recte vero Aristonicus ἰογάστριος reiicit: Ἴα δέ ἐστιν ἡ μία· καὶ οὐ τίθησιν Ὅμηρος τὸ μία ἐπὶ τοῦ ὁμοῦ, οὐδὲ κατὰ σύνθετον ἐκφέρει.

Od. δ, 162 ἔλδετο multo fortius et aptius, quam Zenodoteum οἴετο (cf. Crameri Anecd. Par. III p. 439). Summa enim Menelaum conveniendi cupido Telemachum incesserat.

Od. ρ, 111: Zenodotus:

Ἐνδυκέως ἐφίλει, ὡσεί τε πατὴρ ὃν παῖδα [2]).

2) Quod in Schol. legitur, ἑὸν παῖδα, a Buttmanno relictum, primus correxi.

Ceteri ἑὸν υἷα s. υἱόν. Ὃν παῖδα, quod eodem prorsus modo, sed non in versus fine, ι, 481 et Od. π, 17 legitur, nescio an praeferendum et ab iis sublatum sit, qui de metro nimis fuerunt solliciti. Alexandrinos criticos utramque scripturam in libris legisse arbitror.

Ν, 447 Zenodotus αὔτως (Aristarchus οὕτως) et σ, 584. Od. μ, 284 οὕτως pro αὔτως. Altero Iliadis loco Aristonicus Zenodotum male vituperat, ignorantem, ὅτι τὸ αὔτως ἐστὶ κενῶς καὶ πρὸς οὐδέν; peius addit, διὰ τὸ εἴδωλα εἶναι. Οὕτως Zenodotus intellexit, *sic*, *ut poterant*, ex usu in vulgus noto.

Ν, 551 Zenodotus et Aristophanes παρασταδόν, quod adverbium ο, 22. Od. κ, 173. 547 legitur, celeri περισταδόν. Utrumque in libris fuisse iudico, sed nescio an παρασταδὸν genuinum sit, iam ante Alexandrinos facillima coniectura in multis libris mutatum [3]).

Ξ, 310 Zenodotus et Aristophanes pro μετέπειτα retinuerunt μετόπισθε. Cuius scripturae causam Spitzner hanc excogitavit, quod μετέπειτα plerumque opponeretur πρώτῳ. „Nolim autem," addit, tam arctis finibus circumscribere poetae usum, qui quidem parce utitur illo adverbio (cf. Od. κ, 519. λ, 27. 640. ξ, 403), at eo delectantur Alexandrini, velut Apollonius Rhodius" [4]). Μετόπισθε, Homero frequentatum, Zenodotus praetulit, Aristarchus μετέπειτα, fortasse quod μετόπισθε de iis tantum dicatur, quae fiant alia actione finita. Cf. α, 82.

Plurimis locis hic Aristarchi iudicium Zenodoto erit praeferendum, at nonnullis recte dubitari potest. Zenodoti coniecturas hic minime habemus.

---

3) Iam Herodotus, Thucydides, Euripides, Theocritus et Apollonius adverbio περισταδὸν usi sunt. Cf. Spitzner.

4) Quid vero hoc ad rem facit, ubi de vera Homeri scriptura agitur?

VI.

DE VARIETATE FORMARUM GRAMMATICARUM SENSUM IMMUTANTE.

Exordiamur a *genere nominum*. *H*, 32 Zenodotus *ὑμῖν ἀθανάτοισι*. Aristophanes, quum hic de Iunone tantum et Minerva Apollo cogitaret, emendavit *ὑμῖν ἀμφοτέρῃσι*, quod Schol. A *οὐκ ἀπιθάνως* scribi putat. At Aristarchus verum *ὑμῖν ἀθανάτῃσι* e libris, opinor, recte restituit.

I, 128 et 271 Zenodotus:

Δώσω δ᾽ ἑπτὰ γυναῖκας ἀμύμονα ἔργ᾽ εἰδυίας.

Aristarchus *ἀμύμονας* [1]), quod digamma vetare iam Heynius (V p. 551) monuit. Adde quae Spitzner recte ad Zenodoteam scripturam tuendam adfert. Eadem ratio est locorum *τ*, 245 (ubi Schol. B *Κρεῖσσον τῶν ἔργων ἐστὶ τὸ ἐπίθετον*) et Od. *ω*, 278. Adde Hes. Theog. 264.

K, 317 Zenodotus inepte:

Αὐτὰρ ὁ μοῦνος ἔην μετὰ πέντε κασιγνήτοισιν.

Aristophanes aut Aristarchus recte *κασιγνήτῃσι* restituit. Prudenter Aristonicus: *Παραιρεῖται δὲ τὸ πιθανὸν τοῦ ποιητοῦ· οὐ γὰρ μετὰ ἀρσένων αὐτὸν τεθραμμένον παρίστησιν, οἷς ἐξισούμενος ἂν εἰς ἀνδρείαν ἐτράπη· τό τε παρακείμενον μάχεται· πῶς γὰρ ἔτι μόνος ἦν, εἰ πέντε ἦσαν;*

M, 423 Zenodotus:

Ὥτ᾽ ὀλίγῃ ἐνὶ χώρῃ ἐρίζητον περὶ ἴσης,

ubi vulgo *ὀλίγῳ ἐνὶ χώρῳ*. At *ρ*, 394 omnes sine varietate scripturae *ὀλίγῃ ἐνὶ χώρῃ*. Cur *ὁ χῶρος* agri limitibus constituendis magis quadret, quod Spitzner dicit, me non intelligere fateor. Cf. *ψ*,

---

1) In Schol. V Aristarchi et Zenodoti nomina confusa sunt. Cf. Schol. A et quae monuimus de hac confusione c. I.

520 sq. Non magis probo, quod idem statuit, Zenodotum illud περὶ ἴσης ad corrigendum impulisse. Utrumque legebatur in libris, atque Aristarchus masculinum fortasse recepit, ne similes terminationes femininae (ἀρούρης, ὀλίγῃ, χώρῃ, ἴσης) concurrerent.

Accedimus ad *numerum nominum*.

N, 423 Zenodotus:

Νῆας ἐπὶ γλαφυρὰς φερέτην βαρέα στενάχοντα,

ubi Aristarchus στενάχοντε, quod στενάχοντα ridiculum sit, quum mortuus ingemiscere nequeat. At hic minime de mortuo agi iamdudum locis similibus (cf. *θ*, 334. *ν*, 538. *ξ*, 432) comprobatum est. Hinc Wolfius (praef. ed. noviss. p. LIV) et Spitzner iure Aristarcheam, ni fallor, coniecturam reiecerunt.

N, 198 Zenodotus suo Marte scripsit:

Ὥστε δύ' αἶγε λέοντε κυνῶν ὕπο καρχαροδόντων,

singularem αἶγα in dualem mutans, ne duo leones unam eandemque agnam invaderent. At cf. Aeschyli fragmentum (313), a Schol. allatum.

M, 342 sq. *ο*, 301 Zenodotus et Aristophanes [2]):

Αἶψα δ' ἐπ' Αἴαντε προΐει κήρυκα Θοώτην·
Ἔρχεο, δῖε Θοῶτα, θέων Αἴαντε κάλεσσον. —
Οἱ μὲν ἄρ' ἀμφ' Αἴαντε καὶ Ἰδομενῆα ἄνακτα.

„Singularis (Αἴαντα), cui Ven. Vindobon. et alii plures adsunt," Spitzner inquit *ο*, 301, „haud dubie fuit Aristarchi [3]), qui bene sensit, mentione Aiacis utriusque facta, plerumque subiici δύω vel simile quid." At tu cf. *δ*, 273. 280. *η*, 164. *θ*, 262. *μ*, 353 sq. *ν*, 46. *ρ*, 531. Quum praeco *μ*, 354, ubi nulla varia extat scriptura, utrumque Aiacem alloquatur atque praecones Homerici mandata accurate reddere soleant, bene colligitur, Menesthea *μ*, 343 de utroque Aiace esse locutum et Homerum Αἴαντε dedisse, quod ipso v. 344 probatur. Minime enim Menestheus, quae v. 343 dixerat, retractat (quod Spitzner contendit), sed hoc maxime Menestheo in votis esse dicit; quod si fieri non posset, alter saltem auxilio veniat [4]). Si vero v. 343 Αἴαντε unice verum est, de scriptura v.

---

2) Aristophanem cum Zenodoto Αἴαντε dedisse disertis verbis de uno tantum loco (*ο*, 301) refertur.

3) Singularem Aristarchi fuisse iam Heynius (VII p. 56) statuit, quod satis probabile, sed non certum videtur.

4) Male singularis defenditur in Schol. B: Φίλος γὰρ αὐτοῦ, ὡς Σαλαμίνιος ἦν ὁ Τελαμώνιος (at poeta Τελαμώνιον non addit)· εἶτα δὲ ἐπάγει ἀμφοτέρω γὰρ μᾶλλον· ἐστὶ δὲ ἠθικὰ ταῦτα καὶ ἐγγὺς ἀληθείας.

342 dubitari nequit [5]. Tertio loco, *ο*, 361, dualis postulatur, quum inter eos, qui *ο*, 301 sqq. nominantur, Aiacem Oilei fuisse, ut alia omittam, loci *ν*, 46–126. *ξ*, 511–522 demonstrent. Hinc Zenodoti dualem cum Vossio et Bothio verissimum esse censeo.

Α, 159, ubi legimus:

Τιμὴν ἀρνύμενοι Μενελάῳ σοί τε, κυνῶπα,

prave emendavit *ἀρνύμενος*, quum *τιμὴν ἄρνυσθαι* *honorem nomenque comparare* intelligeret. Recte Aristonicus: *Ἠγνόηκε δέ, ὅτι ἡ τιμὴ νῦν ἀντὶ τῆς τιμωρίας κεῖται· καὶ τὸ ἀρνύμενος οὐκ ἔστι λαμβάνων, ἀλλ' ἀντὶ τοῦ εἰςπραττόμενος παρὰ Τρώων.* Cf. *γ*, 286. 290. *ε*, 552 sq. Quum Achilles hoc urgeat, quod Graeci Menelai tantum et Agamemnonis causa bellum susceperint, pluralem vides hic postulari. Quomodo Hefftero (p. 13) singularis magis ad rem facere videatur, non exputo, neque cum eodem Zenodoti patrono singularem huius critici aetate obtinuisse, sed meram arbitror esse coniecturam.

De *casibus nominum* haec monenda sunt. *Ν*, 191 sq. Zenodotus:

Ἀλλ' οὔπη χρὼς εἴσατο, πᾶς δ' ἄρα χαλκῷ
σμερδαλέῳ κεκάλυφθ'.

Alexio genitivi formam *χροός*, Tyrannio nominativum *χρόος* Aristarchum legisse dixit. Genitivum *χροὸς* Herodianus praetulit. Nominativi forma *χρόος* nihili est, quum *χρὼς* non e *χρόος* contractum, sed nominativus thematis *χρωτ* sit, neque casus *χροός*, *χροΐ*, *χρόα* talem nominativum admittant [6]. Genitivus, qui hic significaret *διὰ χροός*, non magis probandus, quum praepositio deesse non posset. Hinc cum Heynio (VI p. 403) Zenodoteam scripturam unice veram esse persuasum habeo.

Ο, 624 sqq.:

Ἐν δ' ἔπεσ', ὡς ὅτε κῦμα θοῇ ἐνὶ νηῒ πέσῃσιν
λάβρον ὑπὸ νεφέων ἀνεμοτρεφές, ἡ δέ τε πᾶσα
ἄχνῃ ὑπεκρύφθη,

ubi Zenodotum nominativum *ἄχνη* legisse Aristonicus tradit, quod quomodo intellexerit, vix dicas. Aut fallor, aut Zenodotus scripsit *ἄχνη ὑπεκρύφθη*, e coniectura non probanda.

Α, 567 Zenodotus:

Ἆσσον ἰόντε, ὅτ' ἄν τοι ἀάπτους χεῖρας ἐφείω [7]),

5) Iam e v. 335 *ἐς δ' ἐνόησ' Αἴαντε δύω* satis certo colligitur, in sequentibus versibus de utroque cogitari Aiace.

6) Tum *εἴσατο* significaret *ἐφάνη*, sed obstat huic interpretationi, quod Heynius non neglexit, digamma.

7) Hanc Zenodoti scripturam iam supra collegimus ex Aristonici nota: "*Ὅτι Ζηνόδοτος γράφει ἆσσον ἰόντε.* Mire Heffter (p. 16): Ergo nondum apostropho (Zenodotus) usus est."

ubi celeri ἄσσον ἰόνθ', ὅτε κέν τοι. Nominativus dualis, a Zenodoto e mera coniectura invectus, cum Eustathio eo explicari nequit, quod Homerus deos deasque duali comprehenderit, quae ipsius Zenodoti formas dualis nominum bene distinguentis interpretatio fuisse videtur, multo minus illa formarum confusio statuenda, quam olim Buttmanno placuisse (Lexil. I p. 3) constat. Accusativus ἰόνθ' recte se habet. Cf. Heynius IV p. 148 sq.

O, 458 sqq.:

> Τεῦκρος ἄλλον οἰστὸν ἐφ' Ἕκτορι χαλκοκορυστῇ
> αἴνυτο καί κεν ἔπαυσε μάχην ἐπὶ νηυσὶν Ἀχαιῶν,
> εἴ μιν ἀριστεύοντα βαλὼν ἐξαίνυτο θυμόν.

Zenodotus male μάχης, quod aliis locis (ο, 15. 250. ρ, 81) legitur. At Homerus dicere non potest, Hectorem, a Teucro occisum, non pugnaturum esse, sed Hectoris mortem finem impositurum fore pugnae apud naves Graecorum a Troianis factae. Tautologiam, quae in Zenodotea scriptura obtinet, perspexit Guil. Humboldtius, qui, quamquam μάχης recte praetulerat, paullo post accusativum μάχην amplexus est. Cf. eius opera V p. 32. 48 sq. Heynius rem non intellexit (VII p. 77). Μάχην, iam ab Aristophane restitutum, recte tuentur Wolfius (praef. ed. noviss. p. LXXVII), Vossius, Spitzner.

E, 416 Zenodotus:

> Ἦ ῥα καὶ ἀμφοτέρῃσιν ἀπ' ἰχῶρ χερσὶν ὀμόργνυ.

Rectius Aristarchus χειρός, quod ipsa verba ἄλθετο χείρ sequentis versus aperte demonstrant. Neque poeta, ut lucidam rei imaginem proponeret, omittere potuit, unde sanguis fluxerit. Cf. v. 338. De ἀμφοτέρῃσι cf. Od. κ, 264. σ, 28.

B, 53 Zenodotus et αἱ κοιναί:

> Βουλὴν δὲ πρῶτον μεγαθύμων ἷζε (sive ἵζε) γερόντων.

Aristophanes, quem Aristarchus et plurimi secuti sunt, βουλή, at βουλὴν praevaluit. Utrumque Zenodotum in codicibus invenisse suspicor. Aristophanem non tam transitivus usus verbi ἵζειν, qui praeter hunc locum ω, 553 invenitur, quam defectus subiecti e v. 50 intelligendi movisse videtur, ut nominativum praeferret. Interpolatorem, qui Lachmanno (comment. I de Iliade, in commentationibus Academ. Berol. anni 1837, p. 161 sq.) iudice v. 53—86 inseruit, βουλὴν scripsisse arbitror, quod praeferunt Vossius, Freytagius et Langius (II p. 9), qui dicere non debuit, Aristarchum locos, in quibus transitiva vis verbi ἵζειν fuerit, commutasse.

B, 741 et φ, 2 [8]) (adde ξ, 434. ω, 693) Zenodotus:

---

8) Schol. ad h. l. laudat versum β, 741: memoriae lapsu:

Ὃν ἀθάνατον τέκετο Ζεύς.

Ceteri ἀθάνατος. Aristonicus priore loco: ὅπερ ψεῦδος; nam Pirithous minime Iovis erat filius. Iovem immortalem dicit poeta, quo stirpem filii magis inlustret, neque mirum videtur, quod aliis locis epithetum ἀθάνατος Iovi non tribuitur. Ipsa Zenodoti constructio tam dura videtur, ut Homerum talem nunquam admisisse spondeam. Zenodotus librorum non omnium errorem propagasse videtur. Ipse Langius Zenodoteum non defendit.

P, 153 Zenodotus e coniectura:

Νῦν δ' οὔ οἱ ἀλαλκέμεναι, κύον, ἔτλης,

ut Glaucus Hectorem canem clamet. Quod absurdum esse vere monet Aristonicus [9]). Zenodotum ἀλαλκέμεναι κύνας offendit, quod hic potius de Sarpedone hostibus eripiendo Glaucus loqui deberet et Hector a cadavere proiecto canes arcere non posset. Cf. ν, 475. χ, 348. ψ, 185.

Λ, 129 (adde Od. λ, 510) Zenodotus πόλιν Τροίην, Aristarchus et Herodianus πόλιν Τροΐην. Cf. Schol. Od. ε, 39. λ, 510 [10]). Troia Homero frequenter Τρώων sive Πριάμοιο (Πριάμου) πόλις, Ἰλίου πτολίεθρον, semel Τροίης πτολίεθρον, frequentissime vero Ἴλιος et Τροίη audit, neque video, cur voc. πόλις addito Τροίη substantivum esse desinat, praesertim quum adiectivum Τρώϊος non extet. Cf. ι, 530 πόλιν Καλυδῶνα. Quibus argumentis ductus non possum, quin Aristarcheam scripturam, nuper Nitzschio (III p. 290) probatam, reiiciam. Ceterum Aristonicus hic et v. 164 male de urbe aliqua Troiana, non de ipsa Troia cogitat. Cf. Spohn. de agro Troiano p. 10 sq.

Transeamus ad *pronomina*. *Λ*, 104 Zenodotus ὅν, ceteri recte ὥ. Aristonicus: Ἔστι γὰρ περὶ δυεῖν ὁ λόγος, διὸ καὶ ἐπιφέρει· καὶ γάρ σφε πάρος παρὰ νηυσίν (v. 111). Cf. Schol. v. 106. 111. Σφὲ quidem Zenodotus e tragicorum potissimum usu singularem habere potuit, at obstat τοῖιν v. 110. Ephesius criticus librorum errorem non correxit.

Σ, 581 Zenodotus e coniectura scripsit:

Τοὺς δὲ κύνες μετεκίαθον ἠδ' αἰζηοί,

ceteri τόν, quod sensus postulat [11]). Μετεκίαθον de canibus et pa-

---

Υἱὸς Σπερχειοῖο, ὃν ἀθάνατος τέκετο Ζεύς,
quam ne variam habeas scripturam, cf. Heynium VIII p. 114.

9) Spitzner: „Cani audaces potius et impudentes, quam timidi comparantur: deinde illi (Zenodoteae) suspicioni intercedit comma post pedem quintum inferendum."

10) Spitzneri errores redarguit Lehrsius in ephemer. stud. antiquit. 1834 p. 140.

11) Heynio (VII p. 558) τούς unice verum videtur. „Non tau-

storibus ad bovem a leonibus raptum properantibus intelligendum, qui quum prope abessent, leones iam tauri sanguinem biberunt, pastores vero canes ad leones invadendos invitarunt. E Zenodotea scriptura primum τούς, tum continuo sequens τὼ de leonibus dictum esset, quod oratio minus apte iuncta, et numeri mutatio vetare videntur. Zenodotus eo erravit, quod μετακίαθον male de persequendo intellexit.

Addimus alia exempla formarum pronominum confusarum. Od. ξ, 229 sqq. Zenodotus:

> *Πρὶν μὲν γὰρ Τροίης ἐπιβήμεναι υἷας Ἀχαιῶν,*
> *εἰνάκις ἀνδράσιν ἦρξα καὶ ὠκυπόροισι νέεσσιν*
> *ἄνδρας ἐς ἀλλοδάπους· καί σφιν μάλα τύγχανε πολλά.*

Ceteri μοί. Sequens τῶν ἐξαιρεύμην μενοεικέα Zenodotum impulisse videtur, ut prave emendaret σφίν, quod ad ἄνδρας referret. In illis expeditionibus, inquit Ulixes, semper mihi abunde erat, quibus finitis partem eorum, quae in illis comparaveram, mihi sumpsi, cetera sociis relinquens. Cf. λ, 684.

Od. η, 41 sq. Zenodotus coniecit:

> *Ἥ σφισιν ἀχλὺν*
> *θεσπεσίην κατέχευεν,*

ubi ceteri ἥ ῥά οἱ. Schol.: *Οὐκ εὖ· ἐν γὰρ τοῖς ἑξῆς (v. 143) φησίν· καὶ τότε δή ῥ' αὐτοῖο πάλιν χύτο θέσφατος ἀήρ.* Cf. Schol. η, 15. 140. Quae vere contra Zenodotum essent dicta, si legeretur περίχευεν, sed σφὶν hic dativus commodi, qui dicitur, accipi posset. Verum Aristarchi scripturam genuinam esse ostendit φίλα φρονέουσ' ἐνὶ θυμῷ, quod praecedens μοὶ postulat. Zenodotum Phaeacum commemoratio v. 39 sqq. fefellit.

Z, 511 (adde ο, 268) Zenodotus male emendavit:

> *Ῥίμφ' ἑὰ γοῦνα φέρει μετά τ' ἤθεα καὶ νόμον ἵππων,*

ubi recte legebatur ῥίμφα ἑ. Zenodotus, quum non intelligeret, quod saepe Aristonicus monet (cf. Schol. ζ, 511. 514. ο, 268. 405. ρ, 700. σ, 148), φέρειν de pedibus dici, quumque in nominativo absoluto (cf. supra c. IV not. 12) haereret, ὁ subiectum verbi φέρει esse statuens, non potuit, quin accusativum ἕ removeret. Posidonius ῥίμφα ἑ dedit, ut Chrysippus ο, 241 ἀμφίε.

H, 152 sq. Zenodotus:

> *Ἀλλ' ἐμὲ θυμὸς ἀνῆκε πολυτλήμων πολεμίζειν*
> *θάρσει ἐμῷ.*

---

rum, sed *leones* persequuntur canes et pastores; et iterum sequitur: *οἱ δὲ νομῆες αὔτως ἐνδίεσαν ταχέας κύνας ὀτρύνοντες.*" Spitzner singularem magis poeticum esse dicit.

Ceteri θάρσεϊ ῷ [12]). Aristonicus: Ἀδιανόητον δὲ γίνεται, ἡ ψυχή με ἀνέπεισε τῷ θάρσει τῷ ἐμῷ. Cf. Apollon. de constr. II, 21 p. 155 sq. de pron. p. 320 (60) sq. Θάρσος hic eadem ponitur ratione, qua alias μένος. Zenodoteum coniecturam e loco male intellecto ortam sapit. Cf. ζ, 126.

Γ, 243 sq. Zenodotus:

> Ὣς φάτο· τοὺς δ' ἤδη κάτεχεν [13]) φυσίζοος αἶα
> ἐν Λακεδαίμονι αὖθι ἑῇ ἐν πατρίδι γαίῃ.

Aristarchus φίλῃ. Aristonicus: Εἴτε δὲ ἐπὶ τῶν Διοσκούρων ἔσται τὸ ἑῇ, ἑνικὸν οὐχ ἁρμόσει· εἴτε ἐπὶ τῆς Ἑλένης, ἔκθεσμόν ἐστιν οὕτω λέγειν, τοὺς δ' ἤδη κάτεχεν φυσίζοος αἶα ἐν τῇ ἑαυτῆς πατρίδι. At alteram explicationem defendit Apollonius de constr. II p. 157, allato loco χ, 404, et ἑῇ, quod in plurimis legatur editionibus, aptius habet. Aristarchus ἑῇ in φίλῃ minus recte emendasse videtur. Ceterum φίλῃ ἐνὶ πατρίδι γαίῃ legimus in loco a Spitznero neglecto Od. ω, 266.

Λ, 260 pro ἡμῖν Zenodotus, nescio an e mera coniectura, scripsit ὑμῖν, quod Nestor Achillem et Agamemnonem alloqueretur, ut alteram verbi personam π, 697 reposuit. Aristonicus: Ἐφύβριστος δὲ ὁ λόγος· διὰ δὲ τοῦ ἡμῖν καὶ ἑαυτὸν συγκαταριθμεῖ καὶ πάντας τοὺς καθ' αὐτόν [13a]).

Ρ, 368 sq. Zenodotus legit:

> Ἠέρι γὰρ κατέχοντο μάχης ἐπὶ τόσσον ἄριστοι
> ἕστασαν ἀμφὶ Μενοιτιάδῃ κατατεθνηῶτι.

Aristophanes μάχῃ ἔνι θ' ὅσσον [14]). Quod vulgo legitur, μάχης ἔπι θ' ὅσσοι, Aristarchi coniectura videtur. Locus corruptus, quem Zenodotus e librorum fide scripsit, alii coniecturis tentarunt, hoc modo restituendus mihi videtur, ut μάχης ὅσσον τ' ἐπ' legatur [15]) commate aut post κατέχοντο, aut, quod minus probabile, post

---

12) Quum possessivum digamma habeat, poeta aut θάρσεϊ ἐῷ aut θάρσεϊ ᾧ scripsit. Cf. Heynius IV p. 184 sqq. VI p. 191.

13) De accentu cf. Goettling. p. 47.

13a) Zenodoteum praetulerunt Wolfius, Heynius, Vossius, Langius, Heffter. Spitzner contra Aristonicum monet: „Verum si sequentia accuratius inspexeris, paene eo adducere, ut cum Zenodoto sentias. Nam poeta neminem mortalium hosce heroas praestantia et fortitudine aequiparare profitetur." Quod argumentum non video, quo pertineat.

14) Schol. V, qui ipse legit μάχης ἔπι θ' ὅσσον, Aristophanem μάχῃ ἐνὶ habuisse dicit.

15) Nunc video hanc coniecturam iam Lachmannum in altera de Iliade commentatione (in comment. Academ. Berol. anni 1841) p. 31 occupasse. De accentu in ἐπ' non ponendo cf. Lehrs, quaest. ep. p. 75.

μάχης posito, ut *μάχης* sit genitivus loci, ut v. 372 sq: *Νέφος οὐ φαίνετο πάσης γαίης οὔτ' ὀρέων*. De *ὅσσον τ' ἔπι* cf. *β*, 616. *ο*, 358. *φ*, 251. Od. *ν*, 114.

De *verborum* formis agentibus primum se offert locus *π*, 507, ubi nunc legitur:

Ἱεμένους φοβέεσθαι, ἐπεὶ λίπεν ἅρματ' ἀνάκτων.

Aristonicus: *Ὅτι Ζηνόδοτος γράφει ἐπεὶ λίπον, ἀγνοῶν, ὅτι τὸ λίπεν νῦν οὐκ ἔστιν ἑνικόν, ἀλλὰ ἀνάλογον τῷ ἐλείφθησαν τὰ ἅρματα, ὥςπερ κόσμηθεν (γ, 1) καὶ ποιμένος ἀφραδίῃσι διέτμαγεν (π, 354) ἀντὶ τοῦ διετμάγησαν· εἴωθε γὰρ τοῖς οὐδετέροις πληθυντικοῖς πληθυντικὰ ῥήματα συντάσσειν, ὡς σπάρτα λέλυνται (β, 135).* Atque *ἐπεὶ λίπον ἅρματ' ἀνάκτων* recte se habere non posse certissimum videtur, quum non videamus, quomodo equi iuncti currus reliquerint [16]. Quid vero, si plena Zenodoti scriptura Aristonico incognita fuit, quod aliis locis evenisse supra vidimus? Suspiceris Zenodotum legisse *ἐπεὶ λίπον ἅρμα ἄνακτες*, quae Iortini fuit coniectura. Certe *ἅρματ' ἀνάκτων* non genuinum esse digamma neglectum demonstrat. Cf. Heynius VII p. 228 sq.

De *numero* permutato haec habemus exempla. *Π*, 746 sqq. Zenodotus:

Εἰ δή που καὶ πόντῳ ἐν ἰχθυόεντι γένοιτο,
πολλοὺς ἂν κορέσειεν ἀνὴρ ὅδε τήθεα διφῶν
νηὸς ἀποθρώσκων, εἰ καὶ δυςπέμφελοι εἶεν.

Ceteri *δυςπέμφελος εἴη*. Aristonicus: *Ζηνόδοτος γράφει εἰ καὶ δυςπέμφελοι εἶεν, ὥστε ἐπὶ τῶν ἀνδρῶν εἶναι, οἷον εἰ καὶ δυςάρεστοι εἶεν οἱ συνεσθίοντες, ὡς καὶ Ἡσίοδος* (Oper. 720) *πολυξείνου δαιτὸς δυςπέμφελος εἶναι· βέλτιον δὲ ἐπὶ τῆς θαλάσσης, εἰ καὶ δυςχείμερος εἴη καὶ τραχεῖα· τὴν γὰρ τοῦ κολυμβητοῦ ἐντρέχειαν ἀντιπαρατίθησι τῷ ἀπὸ τοῦ δίφρου κεκυβιστηκότι· καὶ Ἡσίοδος δὲ ἐπὶ τῆς θαλάσσης τέταχε* (Theog. 440. Cf. Oper. 616). Adde Eustath. p. 1084, 40 sqq. Pluralis ipsius Zenodoti commentum videtur.

Ψ, 306 sq. Zenodotus:

Ἀντίλοχ', ἤτοι μέν σε νέον περ ἐόντ' ἐφίλησαν
Ζεύς τε Ποσειδάων τε καὶ ἱπποσύνας ἐδίδαξαν,

ubi Aristonicus: *Ἀρίσταρχος δὲ ἑνικῶς, ἐδίδαξεν, ἐπὶ τοῦ Ποσειδῶνος· ἵππειος γάρ. — Τὸ μὲν φιλεῖν ἐπ' ἀμφοτέρων δεκτέον, τὸ δὲ τῆς ἱππικῆς ἐπὶ μόνου Ποσειδῶνος· συλληπτικῶς δὲ εἴρηται, ὡς ἐπὶ τοῦ Κύπρις τε καὶ ἀργυρότοξος Ἀπόλλων ἄφρονα τοῦ-*

---

16) Cf. Aug. Guil. Schlegelium in censura Homeri Vossiani in scriptis criticis I p. 84 sq. (nunc in operibus a Boeckingio editis X. p. 124).

τον ἀνέντες (ε, 760 sq.). Vere Heynius (VIII p. 417): „Manifestum fit Aristarcheam lectionem, seu verius correctionem, redolere grammaticam subtilitatem; alteram esse sollemnis usus in vita, qui nec poetam dedecet; ad Neptunum proprie spectare τὴν ἱπποσύνης διδαχήν, nemo poterat ignorare." Atque oratio, si singularem recipis, est contorta, quum unum tantum subiectorum Ζεύς τε Ποσειδάων τε intelligatur.

De *personis* verbi incipiamus a β, 12, ubi Somnio mandat Iuppiter, quid dicat. Zenodotus:

Νῦν γάρ κεν ἕλοι πόλιν εὐρυάγυιαν [16a]),

ubi alii ἕλοις, quod e versibus 29 et 66 male huc translatum videtur. Versu 11 Iuppiter ἕ dicit, non σέ, neque ullam videmus causam, cur hic ad directam, quam dicunt, orationem transeat, quamquam Heynio iudice (IV p. 199) etiam ἕλοις bene se haberet.

Γ, 73 sq. Zenodotus:

Οἱ δ' ἄλλοι φιλότητα καὶ ὅρκια πιστὰ ταμόντες
ναίοιμεν Τροίην ἐριβώλακα.

Celeri ναίοιτε. Aristonicus: Γελοῖος δὲ ἐστιν ἑαυτὸν καταριθμῶν τοῖς ὕστερον οἰκήσουσι τὴν Τροίαν, ἀδηλότητος οὔσης, εἰ νικήσει. Schol. B: Διὰ τὸ νεμεσητὸν οὐκ εἶπε ναίοιμεν. Cf. Aristonicus γ, 257. Heyniuc (IV p. 466): „Non video, quidni Paris bene de se ominari potuerit." At Paris hic condiciones pacis proponit, in quibus de successu minime augurari debuit, atque οἱ ἄλλοι et τοὶ (v. 74) Paridi et Menelao opponuntur. Altera persona male e γ, 257 huc translata.

Od. γ, 216 sq. Zenodotus:

Τίς δ' οἶδ' εἴ κέ ποτέ σφι βίας ἀποτίσεται ἐλθὼν
ἢ σύγε μοῦνος ἐών, ἢ καὶ σύμπαντες Ἀχαιοί.

Ceteri ἀποτίσεται et ὅγε. Speciosa quidem Zenodoti, ni fallor, coniectura, sed re accuratius pensitata non probanda. Ἐλθὼν in fine prioris versus non nisi de Ulixis tamdiu absentis reditu intelligitur. Cf. Od. λ, 118. π, 255. ρ, 540. Quod tota Nestoris oratio (huius enim verba sunt) comprobat, qui primum ex Telemacho quaerit, quaenam Ithacensis populi sit voluntas, quumque Telemachus questus esset (v. 208 sq.), deos neque patri, neque sibi ipsi procorum ultionem concessisse, spem patris ex inopinato in procorum perniciem redituri excitat; Minervae enim benevolentiam pa-

---

16a) De Zenodotea scriptura dubitare videtur Heynius, quum addat: „Si Scholion bene se habet." At quamquam per se verisimilius est, Zenodotum ter tertiam personam dedisse, tamen de integritate Scholii dubitari nequit, nisi forte ipsum Aristonicum, Scholii auctorem, errasse statuis.

trem semper adiuvisse, quae si filium eadem sustentet gratia, ipsi de procorum caede non esse desperandum. Cf. Nitzschium I p. 172 [17]).

Denique huc refero locum *α*, 299 sq., ubi Zenodotus e coniectura:

Χερσὶ μὲν οὔτοι ἔγωγε μαχήσομαι εἵνεκα κούρης,
οὔτε σοί, οὔτε τῳ ἄλλῳ, ἐπεὶ ῥ' ἐθέλεις ἀφελέσθαι

scripsit pro *ἐπεί μ' ἀφέλεσθέ γε δόντες*. Vix puto, scripturam *ἐπεὶ ῥ' ἐθέλεις ἀφελέσθαι*, quamquam ieiunior est et languidior, ad versum emendandum provocare potuisse; verum multo facilius altera *ἐπεί μ' ἀφέλεσθέ γε δόντες*, quod Achilles non Agamemnonem, sed omnes Graecorum principes accusaret, offendit Zenodotum, haud intelligentem, hoc Achilli irato et principibus, qui tantam iniuriam ipsi inlatam ferre non debeant, pusillanimitatem obiicienti (cf. v. 231 sq.) aptissimum esse [18]).

Accedamus ad *tempora*. *Φ*, 335 sqq., ubi Iuno Vulcanum alloquitur, Zenodotus:

Αὐτὰρ ἐγὼ Ζεφύροιο καὶ ἀργεστᾶο Νότοιο
εἴσομαι ἐξ ἁλόθεν χαλεπὴν ὄρσασα θύελλην,
ἥ κεν ἀπὸ Τρώων κεφαλὰς καὶ τεύχεα κήαι,
φλέγμα κακὸν φορέουσα.

Recte errorem a Zenodoto relictum sustulit Aristophanes, probante Aristarcho, *ὄρσουσα* scribens. Zenodotum usus participii aoristi in actione futura non offendit, aut *εἴσομαι ἐξ ἁλόθεν* coniunxit, *veniam e mari, Zephyri et Noti tempestate commota* [19]).

Δ, 161 Zenodotus, ubi vulgo legitur:

Ἔκ τε καὶ ὀψὲ τελεῖ σύν τε μεγάλῳ ἀπέτισαν,

emendavit *τελέσει* et *τίσουσιν*. Quid vero ante *τελεῖ* legerit, non

---

17) Zenodoti dubitationem de *σφὶν* vide supra c. II.

18) Heffter p. 18: „Mihi quidem Zenodotea lectio magis placet, quum ob vetustatem maiorem (?), tum ob sententiam. Quae Scholiastes dicit alteram defendens (*ἔργῳ δὲ κοινωνεῖ εἰς ἅπαντας· τὴν αἰτίαν τῆς ἀφαιρέσεως ἀγνοῶν*) non sunt apta ad persuadendum, sed grammaticum aliquem subtiliorem ad corrigendam antiquiorem lectionem facile possunt adduxisse." Aristonici verba ab Heffter o allata Lehrsius in ephemer. stud. antiquit. 1834 p. 141 emendat: *Ὀργῇ δὲ κοινωνεῖ εἰς ἅπαντας τὸν αἴτιον τῆς ἀφαιρέσεως ἀγνοῶν*, ubi *ὀργῇ* feliciter inventum est. Mecum scribe totam Aristonici notam hoc modo: *Ὅτι Ζηνόδοτος γράφει ἐπεὶ ῥ' ἐθέλεις ἀφελέσθαι, ἀγνοῶν, ὅτι ὀργῇ κοινωνεῖ εἰς ἅπαντας τὴν αἰτίαν τῆς ἀφαιρέσεως.*

19) Immerito Aristonicus e lectione *ὄρσασα* conicit, Zenodotum *εἴσομαι* intellexisse *γνώσομαι* et pro *ἥ* scripsisse *ἤ*, quamquam Heynius et Spitzner non dubitant.

refertur. Suspiceris Zenodoti versum incepisse ὀψὲ δὲ καὶ aut δή [20]). Τελεῖ non praesens, quod Zenodotus censuit, sed futurum est, et aoristi ἀπέτισαν usus in actione futura hodie nemini ignotus. Cf. Matthiae § 506, 2.

A, 204 Zenodotus pro Aristarcheo τὸ δὲ καὶ τελέεσθαι (alii τετελέσθαι) ὀΐω scripsit τὸ δὲ καὶ τετελεσμένον ἔσται et α, 212 τὸ δὲ καὶ τετελέσθαι ὀΐω pro τὸ δὲ καὶ τετελεσμένον ἔσται. Cf. Lehrs. p. 379 [21]). Versum, qui nunc α, 212 legitur:

Ὧδε γὰρ ἐξερέω, τὸ δὲ καὶ τετελεσμένον ἔσται,

habes θ, 401. ψ, 672. Od. ρ, 229. σ, 82. τ, 487. φ, 337, paucis mutatis ψ, 410. Od. π, 441 (καὶ μὴν pro τὸ δὲ καί) et θ, 454 (κεν ἦεν pro καὶ ἔσται); quod Zenodotus voluit v. 204:

Ἀλλ' ἔκ τοι ἐρέω, τὸ δὲ καὶ τετελεσμένον ἔσται,

non nisi β, 257. Od. β, 187, nusquam vero, quod v. 212 posuit:

Ὧδε γὰρ ἐξερέω, τὸ δὲ καὶ τετελέσθαι ὀΐω,

neque quod nunc v. 204 legimus, alias invenimus. Schol. B L α, 212: Εἰ μὲν ἄνθρωπός ἐστιν, ὀΐω φησίν, εἰ δὲ θεός, διαβεβαιοῦται. Schol. A α, 204: Τοῦτο δὲ τῇ Ἀθηνᾷ ἁρμόζει μᾶλλον διαβεβαιοῦν. Langius: „Achilli ergo non convenit? At β, 257 Ulixes iisdem verbis utitur!" At deam, quae Achilli futura vaticinatur, illud ὀΐω non decet. Zenodotus in τετελεσμένον ἔσται, quod certam deae persuasionem non indicare sibi persuasit, haerens utroque loco emendationem tentavit. Quum alii v. 204, Zenodotus v. 212 perfectum τετελέσθαι habeat, nescio an τελέεσθαι Aristarchi sit coniectura, quod Heynius (IV, p. 72) non negat, nata e locis similibus Od. α, 201. γ, 226. ο, 173. χ, 125 [22]).

De *modis* monemus Zenodotum θ, 207 ἔνθα κάθοιτ' ἀκαχήμενος pro ἔνθ' ἀκάχοιτο καθήμενος et Θ, 526 pro εὔχομαι ἐλπόμενος dedisse ἔλπομαι εὐχόμενος [23]). Aristarchi posterioris loci scripturam

---

20) Heynius (IV p. 588) Aristonicum, qui Zenodotum τελέσει scripsisse dicit, erroris insimulat, quum dicere debuisset, Zenodotum τελεῖ pro futuro accepisse. Rectius Spitzner: „Zenodotum ἔκ τε καὶ αὖ, sive ἄψ, sive simile quiddam dedisse opinor."

21) Nescio quo fato aberravit Langius (I p. 10), Spitznerum castigans: „Quod Spitzner adserit, Zenodotum v. 212 τετελέσθαι ὀΐω, legisse error est." At Aristonicus disertis verbis hanc Zenodoti fuisse scripturam perhibet. Caedimus inque vicem praebemus crura sagittis!

22) Recte Langius: „Τελέεσθαι ὀΐω, *confectum iri existimo*, paullulum friget, nec satis adfectui huius loci accommodatum videtur. Fiducia maiore et graviore adfirmatione opus est, quae perfecto infinitivi haud inepte redditur." Minerva actionem quasi iam perfectam animo concipit.

23) Aristonicus posteriore loco Zenodoteam scripturam reiicit,

genuinam non esse, digamma neglectum docere iam Heynius (V p. 206) monuit. Aristarchus *εὔχομαι ἐλπόμενος*, ut Aristonicus, intellexisse videtur: *Καυχῶμαι ἐλπιδοποιούμενος ὑπὸ τοῦ Διὸς καὶ τῶν ἄλλων θεῶν*, non cum Spitznero: „Preces fundo Iovi et aliis dis spe inductus fore, ut Argivos e patria expellam." Aristarchus, quum verbum *εὔχεσθαι* hic *gloriari* significare putaret, eo primariam contineri notionem censuit, unde e coniectura aut e nonnullis libris ordine inverso scripsit *εὔχομαι ἐλπόμενος*. *Δεῖ εὔχεσθαι, ἀρᾶσθαι, ἐπεύχεσθαι, λείβειν, σπένδειν* et similia Homero usitatissima sunt [24]). Neque minus altero loco Zenodotea scriptura videtur praeferenda, quum minime verbo *ἀκαχεῖσθαι* primaria insit notio, sed Iuno acerbe Iovem inridens dicat: „Si nos, qui Graecis favemus, ad Troianos repellendos animum inducimus, sedebit ille, qui nunc superbia elatus in Ida sedet, cor pungens solus in Ida." Quum *αὐτοῦ ἔνθα* ad verbum finitum pertineat, neque *οἶος ἐν Ἴδῃ* a notione sedendi separari queat, Aristarchea scriptura ascita intolerabilis evaderet structura: „Ibi ingemiscat, sedens solus in Ida." *Ἐν Ἴδῃ* nescio qua acerba inrisione ad *αὐτοῦ ἔνθ'* explicandum additur. Heynius (V p. 452), re non accurate pensitata, utramque scripturam eodem redire dicit.

Progrediamur ad *adverbia*. *B*, 111 (adde *ι*, 18) Zenodotus:

Ζεύς με μέγα Κρονίδης ἄτῃ ἐνέδησε βαρείῃ,

Aristarchus *μέγας* [25]). Adverbium hic praeferendum esse Spitzner

---

at ipse *ξ*, 45 et Schol. V *θ*, 498 e nostro versu *ἔλπομαι εὐχόμενος* adferunt, quod unus cod. Vindob. legit.

24) Cf. *ν*, 818:

Ἀρήσῃ Διῒ πατρὶ καὶ ἄλλοις ἀθανάτοισιν.

Adde *η*, 194. 200. *λ*, 736. 761. *π*, 253. *ρ*, 498. *ω*, 287. Od. *ν*, 51. *ο*, 352. *υ*, 97, similia *ε*, 174. *ζ*, 259. 266. 475. Od. *δ*, 472. *θ*, 432.

25) Aristonicus *β*, 111: *ὅτι Ζηνόδοτος γράφει Ζεύς με μέγας Κρονίδης*, *ι*, 18: *Ἡ διπλῆ, ὅτι μέγα δεῖ γράφειν ἀντὶ τοῦ μεγάλως*. At Aristarcheos male scholae principi scripturam *μέγας* tribuisse et inde *διπλῆν περιεστιγμένην* prave exposuisse docuit Didymus. Nam non solum Aristarchum in libris, quos ipse ediderat, sed etiam Ammonium et Dionysodorum discipulos *μέγας* legisse animadvertit. Atque Callistratum Aristophaneum *μέγας* in nostro loco laudare, ut simile sit illi *ἐπεὶ μέγας ὠδύσαο Ζεύς* (*σ*, 292). Denique Ptolemaeum Epitheten, qui Zenodoteas scripturas exposuit (cf. c. I), Zenodotum *μέγας* legisse minime tradere. Hinc efficitur, ut Zenodotus *μέγα*, Aristarchus, qui hos versus *διπλῇ περιεστιγμένῃ* notaverat, *μέγας* legerit, posteriores vero Aristarchei, qui ipsi praeferebant *μέγα*, Zenodoti et Aristarchi scripturas confuderint. Cf. Lehrs. p. 21 sqq. Spitznerum ex Aristonici verbis, qui Zenodotum locum *συντέμνειν* dicit versibus 111—118 omissis, colligere non debuit, illum hunc versum non legisse. Cf. infra c. XI.

ostendit. Aristarchum *μέγα* offendisse videtur quod sequente *βαρείῃ* sit *ταυτολόγον*, atque nescio an in *μέγα* cum *ἐνέδησε* iuncto haeserit.

Σ, 502 Zenodotus et Aristophanes:

Λαοὶ δ' ἀμφοτέρωθεν ἐπήπυον ἀμφὶς ἀρωγοί.

Massiliotica editio *ἀμφοτέρωθεν ἐποίπνυον* [26]), Aristarchus *ἀμφοτέροισιν*, nescio an e coniectura; utrique enim parti populum acclamasse. Sed idem Zenodoteae scripturae sensus videtur. Populus in utraque parte astans acclamavit, scilicet haec pars illi, illa alteri [27]).

Aristarchum his, quos recensuimus, locis saepissime melius Zenodoto iudicasse vidimus, sed Zenodoti scriptura nonnunquam (*α*, 259. *β*, 53. 111. *γ*, 244. *θ*, 207. 526. *ι*, 128. 271. *ν*, 191. 423. *ψ*, 307) Aristarcheae praeferenda. *B*, 12. *μ*, 342 sq. 423. *ο*, 301, ubi Zenodotus verum dedit, Aristarchi scripturam non cognovimus satis certo. Dubitationi obnoxii sunt loci *π*, 507. *σ*, 502. Librorum fidem secutus est *ρ*, 368, ubi Aristarchus emendasse videtur. Pravas coniecturas Zenodotus invexit *α*, 159. 204. 212. 300. 567. *δ*, 161. *ζ*, 511. *η*, 153. *ν*, 198. *ο*, 626. *π*, 748. *ρ*, 153. *σ*, 581. Od. *γ*, 216 sq. *η*, 41. *ξ*, 231.

---

26) Sic Spitzner recte *ἐπίπνυον*, quod Heynium (VII p. 731) fefellit, videtur emendasse.

27) Inde, quod Schol. B *ἀμφοτέρωθεν ὡς βοηθοί*, Spitzner male coniicit, Zenodoteum e glossemate prognatum esse.

VII.

DE VARIETATE SINGULORUM VOCABULORUM SENSUM IMMUTANTE.

A *nominibus propriis* initium faciamus [1]. *Α*, 400 Zenodotus:

Ἥρη τ' ἠδὲ Ποσειδάων καὶ Φοῖβος Ἀπόλλων,

ubi vulgo et ab Aristarcho, cuius διπλῆν περιεστιγμένην Aristonicus explicat, legebatur Παλλὰς Ἀθήνη. Contra Zenodotum monet Aristonicus: Ἀφαιρεῖται δὲ τὸ πιθανόν· ἐπίτηδες γὰρ τοὺς τοῖς Ἕλλησι βοηθοῦντας θεοὺς ἠχθρευκέναι Διΐ φησιν, ἵνα μᾶλλον ἀκούοιτο Θέτις. Zenodoteam scripturam tuentur Schol. V φ, 444, Schol. Pind. Ol. VIII, 41 et Schol. Lyc. 34. 399. Utrumque fortasse in libris legebatur; certe, cur Zenodotus nomen Παλλὰς Ἀθήνη in libris inventum coniectura removerit, causam non video. Aristarchum vero, ut Παλλὰς Ἀθήνη scriberet, id permovisse videtur, quod cum Iunone et Neptuno deus Troianis amicus nominari non debeat [2]. Nostra aetate Naegelsbachius (de theologia Homerica p. 100. 104 sq.) Φοῖβος Ἀπόλλων eo reiecit, quod Iuno, Neptunus et Minerva Iovis hostes essent, Apollinis vero numen Iovi concors. Quid vero fiet de Apollinis et Neptuni servitio (φ, 442 sq.) poenae causa a Iove iis inrogatae suscepto? Atque fac scriptura Παλλὰς Ἀθήνη unice sit vera, nihilominus Apollinem Iovi adversantem habemus; nam Achilles dicit, ὁππότε μιν ξυνδῆσαι Ὀλύμπιοι ἤθελον ἄλλοι, ut sola Thetis ei opem ferret. Poeta vero ex omnibus dis v. 400 potentiores

1) *Α*, 27 Zenodotum pro Ἴρισσιν dedisse Ἐρίδεσσιν Aristonicus testatur, quod adeo omnem excedit fidem, ut pro Ἐρίδεσσιν Ἴρεσσιν, quam formam Apollonius Sophista et Hesychius ex hoc loco memorant, restituendum esse persuasum habeam.

2) Simili modo offensioni fuit locus π, 97 et, ut Sophoclis exemplum adferam, Ai. 179 sq.

quosdam nominat [3]), quorum Apollinis commemoratio eo aptior, si alias concors Iovi numen apparet. Minervam quidem nominare poterat, at quum haec ubique in Iliade Iunonis socia sit, contra Iovem agens, bene facit, quod alium deum potentissimum a Iovis partibus stantem Iunoni et Neptuno adsociavit. Hinc Zenodoteum recte praetulerunt Wolfius (cf. eius praelectiones ad h. l.), Lobeckius (Aglaoph. p. 287), Geppertius (de origine carminum Homericorum I p. 64. 100), Langius et Heffter.

Π, 150, Zenodotus:

Τοὺς ἔτεκε Ζεφύρῳ ἀνέμῳ Ἅρπυια πόδαργος,

ut *Ἅρπυια* nomen, *πόδαργος* adiectivum sit. At cf. *τ*, 400 *τέκνα Ποδάργης*, ubi Zenodotus fortasse *Ποδάργου*. Nomen *Πόδαργος* habes *θ*, 185. *ψ*, 295. Zenodotus librorum errorem non correxit [4]).

Od. *δ*, 366 pro *Εἰδοθέη* scripsit *Εὐρυνόμη*, quod iam ante Zenodotum ex Iliade (*σ*, 398 sq. 405) male huc translatum videtur. Aeschylus, qui in fabula satyrica Proteus inscripta et e libro Odysseae quarto desumpta formam *Εἰδοθέα* (Schol. Od. *δ*, 366) aut *Εἰδώ* (Etym. Gud. v. *κερδώ*. Aesch. fragm. 312) habuit, et Euripides (cf. Hel. 11) in hoc versu *Εἰδοθέη* legerunt. Cf. Dionys. Perieg. 259.

E, 542. 549. pro *Ὀρσίλοχος* dedit *Ὀρτίλοχος*, quam formam Strabo et Pausanias receperunt, *ε*, 546 sq. vero *Ὀρσίλοχος*. Od. *γ*, 489. *ο*, 187. *φ*, 16 Harleianus codex constanter formam cum *τ* servat [5]), quod e Zenodotea recensione fluxisse videtur. Zenodotum hic librorum fidem secutum esse puto, quos alii emendaverant [6]). Haud multum absum, ut in Iliade *Ὀρσίλοχον*, in Odyssea *Ὀρτίλοχος* in optimis libris obtinuisse statuam.

Θ, 128 et 312 (cf. supra c. I) *Ἐρασιπτόλεμον* scripsit, ubi ceteri *Ἀρχεπτόλεμον*. Utrumque sine dubio in libris legebatur. Neque haec, neque illa forma ullo alio Iliadis et Odysseae loco legitur.

N, 643 Zenodotus, Eustathio (p. 953, 4 sq.) teste, *Κυλαιμένεος*

---

3) Quod recte intellexit, qui vere et ingeniose, ut solet, de hac fabula explicanda egit, Welcker (de Aeschylea trilogia Prom. p. 150 sq.).

4) Cf. praeter Aristonici notam Apollon. v. *Ἅρπυιαι*: *ὁ μὲν Τιμαγένης ἐν ταῖς παραφράσεσιν ἔδειξεν, ὅτι κύριον ὄνομα Ἅρπυια, τὸ δὲ ποδάργη ἐπίθετον, πλανηθείς· τοὐναντίον γὰρ φαίνεται.*

5) Schol. Od. *γ*, 489: *Ἐντεῦθεν Ζηνόδοτος ἐν Ἰλιάδι ἔγραφε Κρήθων τ᾽ Ὀρτίλοχός τε.* Schol. *ε*, 542: *Ὁ πρόγονος διὰ τοῦ τ̄, ὁ παῖς διὰ τοῦ σ̄· καὶ ἐν Ὀδυσσείᾳ οὖν διὰ τοῦ τ̄*, ubi, quod admodum miror, nemo adhuc vidit, legendum esse: *Ὁ πρόγονος διὰ τοῦ σ̄, ὁ παῖς διὰ τοῦ τ̄*, quo omnis tollitur difficultas. Schol. *ε*, 543 et Od. *φ*, 16 *Ὀρτιλόχου* legunt.

6) Cf. de varia nominis forma Giesium p. 287 sq., qui recte monet, iam ante Alexandrinos hanc varietatem in libris obtinuisse. Nihil profecit Spitzner.

pro Πυλαιμένεος, ni fallor, e coniectura, quod βασιλεὺς Πυλαιμένης, qui de filii morte lacrimasse dicitur (ν, 658 sq.), iam prius occisus s(ε, 576 sqq.). Plurimi, ut hanc repugnantiam tollerent, duos Pymenes distinguebant, quamquam ille ἀρχὸς Παφλαγόνων dicitur, ille βασιλεὺς et itidem est Paphlago. Cf. Wolfii Prolegg. p. CXXIII sq.

Non negligendum, quod Eustathius p. 289, 39 tradit, Zenodotu pro Βελλεροφόντης (ζ, 155. 162. 164. 190. 196. 216. 220) dedisse Ἐλλεροφόντης, non sine libris, opinor. Illud β incipiens e digamma ortum videtur, nam Βέλλερος proprie est *lucens* (cf. βέλη et Giesium p. 283 sq.), similis Ἄργῳ, unde Ἀργειφόντης, de quo cf. Welcker de trilog. p. 129 sq.

B, 502 Zenodotus pro Θίσβην habuit Μίσσην, quam urbem Laconicam fuisse β, 582 legimus. Cf. Strab. IX, 2 p. 630 B. De Zenodoti coniectura, cuius argumentum non reperio, cogitare nolim.

B, 507 pro Ἄρνην, ubi alii, fortasse metri causa, Τάρνην, quum nulla huius nominis urbs Boeotiae sit nota, infeliciter coniecit Ἄσκρην [7]). Cf. Schol. ad h. l. et η, 9. Strab. IX, 2 p. 633 C. Recte Aristonicus: Οὐ δύναται δὲ πολυστάφυλος ἡ Ἄσκρη λέγεσθαι· ἀξιοπιστότερος γάρ ἐστιν Ἡσίοδος λέγων, Ἄσκρῃ χεῖμα κακῇ, θέρει ἀργαλέῃ (Oper. 638), ὥστε οὐδὲ πολύκαρπος λέγοιτ' ἄν.

B, 571 Zenodotus libros secutus pro Ἀραιθυρέην dedit Παραιθυρέην, ubi non inepte Heynius (IV p. 324) suspicatur, formam Παραιθυρέη eo esse ortam, quod nomen Ἀραιθυρέη digamma fuerit instructum [8]).

E, 708 et η, 221 [9]) Zenodotus pro Ὕλη scripsit Ὕδη. Aristonicus: Ἔστι δὲ τῆς Λυδίας ἡ Ὕδη, ὁ δὲ ἀνὴρ Βοιωτὸς καὶ κώμη Βοιωτίας ἡ Ὕλη. Ὕδης vocali correpta υ, 385 (alii Ὕλης) legitur, quem versum in Euripidea editione post β, 865 esse insertum scimus. Alii post β, 783 legerunt:

7) Quod Heynius (IV p. 292. 300), quem Langius (III p. 9) sequitur, adfirmavit, constare ex ipso Thucydide sexaginta annis post Troiae excidium Arnen Boeotiae conditam fuisse, merum esse commentum, atque praeter hunc locum Arnen Boeoticam non commemorari, recte monuit Faerber l. l. p. 625 sqq., qui p. 627 sqq. Langii miram Zenodoteae coniecturae, quae illi vetustissima videtur scriptura, defensionem adfatim refutavit.

8) De digamma v. ἀραιός cf. Heynius V p. 88. VII p. 501 sq. Spitzner de versu heroico p. 115.

9) De varia scriptura posterioris loci Scholia nihil referunt, sed Strabo IX, 2 p. 625 tradit, *nonnullos* Ὕδη scripsisse (cf. Eust. p. 678, 13), quod ad Zenodotum pertinere videtur. Neque β, 500 Zenodotum Ὕλην reliquisse suspicor. Num scripsit:

Οἵ τε Ὕδην εἶχον Ἐλεῶνά τε καὶ Πετεῶνα?

Χώρῳ ἐνὶ δρυόεντι Ὕδης ἐν πίονι δήμῳ.

Zenodotum, de metro non sollicitum, formam Ὕλη coniectura ubique sustulisse iudico.

Θ, 304 Zenodotus, Aristophanes et Aristarchus Αἰσύμνηθεν, alii Αἰσύμηθεν, alii αἰσύμηθεν (ἀπὸ βασιλικοῦ γένους). Αἰσύμηθεν fortasse iidem, qui β, 671 Νιρεὺς Αἰσύμηθεν legerunt [10].

Od. α, 93. 285 Zenodotus, teste Schol. Od. γ, 313:

Πέμψω δ' ἐς Κρήτην τε καὶ ἐς Πύλον ἠμαθόεντα. —
Κεῖθεν δὲ Κρήτηνδε παρ' Ἰδομενῆα ἄνακτα.

Ceteri Σπάρτην et Σπάρτηνδε παρὰ ξανθὸν Μενέλαον. Schol. Od. γ, 313: Οὗτος ὁ τόπος ἀνέπεισε Ζηνόδοτον ἐν τοῖς περὶ τῆς ἀποδημίας Τηλεμάχου διόλου τὴν Κρήτην ἔναντι τῆς Σπάρτης ποιεῖν· οἴεται γὰρ ἐκ τούτων τῶν λόγων κατὰ τὸ σιωπώμενον ἀκηκοέναι τὸν Νέστορα παρὰ τοῦ Τηλεμάχου, ὅτι καὶ ἀλλαχόσε περὶ τοῦ πατρὸς πευσόμενος παρεσκεύαστο πλεῖν [11]. At quis credat versum γ, 313:

Καὶ σύ, φίλος, μὴ δηθὰ δόμων ἄπο τῆλ' ἀλάλησο,

Zenodotum impulisse, ut Cretae mentionem inferret? Quamquam olim Nitzschius (I p. 205) non dubitasse videtur. Zenodotus, novarum rerum cupidus, scripturam nonnullorum librorum (de Cretica editione cogites) recepit, quam apertam interpolationem iam Aristophanes aut Aristarchus sustulit.

Od. γ, 307 Zenodotus ἂψ ἀπὸ Φωκήων, Aristarchus ἂψ ἀπ' Ἀθηνάων. De Zenodoti coniectura cum Nitzschio (I p. 204) cogitare nolim. Scripturam quorundam librorum secutus esse videtur, quam genuinam esse loci formam a Pisistrato oblitteratam non satis certo statuas.

Restant loci, quibus nomina propria et appellativa inter se commutantur.

Α, 69 Zenodotus e coniectura scripsit:

Μάντις Θεστορίδης, οἰωνοπόλων ὄχ' ἄριστος,

ubi ceteri recte Κάλχας Θεστορίδης; nam vatis nomen hoc loco,

---

10) Didymus: Αἰσύμηθεν. Ἀρίσταρχος Αἰσύμνηθεν, καὶ ἡ Ζηνοδότου καὶ ἡ Ἀριστοφάνους. Quod recte intellexit Heynius (IV p. 469), nisi quod Villoisonis Αἰσυμηθεν in lemmate Scholii eum in errorem induxit. Male Spitzner locum tentavit: Αἰσύμηθεν Ἀρίσταρχος· Αἰσύμνηθεν καὶ ἡ Ζηνοδότου καὶ ἡ Ἀριστοφάνους. Καὶ ante ἡ Ζηνοδότου ostendit Zenodoti eandem, atque Aristarchi, fuisse scripturam. Cf. Schol. ξ, 285 atque, ut Scholiorum usum probe intelligas, Schol. α, 97. 298. 584. 589. In Schol. V pro Αἰσύνηθεν legendum esse Αἰσύμνηθεν iam supra monuimus.

11) Cf. Schol. Od. β, 359. δ, 702. Eust. p. 1470, 7 sqq. Post α, 93 in marginibus codicum Harlei. et Q ascripti sunt versus e Zenodotea scriptura α, 285 sq.

ubi primum ille nominatur, omitti nequit, atque nomen iam prius commemorari ostendit allocutio v. 86, quod, recte a Faerbero l. l. p. 617 monitum, Langium et Heffterum non vidisse miror. Zenodotus in v. οἰωνοπόλων haesit, quod quum non nisi de auguribus diceretur, notionem generalem *vatis* deesse non posse sibi persuasit. At οἰωνοπόλος hic latiore sensu accipiendum est, quod contra Naegelsbachium (de theologia Homerica p. 151) aliosque moneo. Cf. ζ, 76. ν, 70. ρ, 218. Calchas Apollinis vates erat, qui deorum voluntatem non solum e prodigiis et ostentis, sed etiam ex ipsa inspiratione dei novit. Atque inepte Calchas hic, ubi minime ex avium volatu Apollinis voluntas erat annuncianda, auguriorum audiret peritissimus [12]). Μάντις e versu 62 translatum.

Α, 91 Zenodotus, Aristophanes, Aristarchus, Sosigenes:

Ὅς νῦν πολλὸν ἄριστος Ἀχαιῶν εὔχεται εἶναι.

Alii ἐνὶ στρατῷ, quod recte defendit Vossius (Sched. crit. I p. 173). Agamemno hic totius expeditionis contra Troiam susceptae dux designari debebat, quod illo ἄριστος ἐνὶ στρατῷ *potentissimus in Graecorum exercitu* optime fieri negari nequit. Cf. ξ, 371: Ἀσπίδες ὅσσαι ἄρισται ἐνὶ στρατῷ ἠδὲ μέγισται. ο, 296: Αὐτοὶ δ' ὅσσοι ἄριστοι ἐνὶ στρατῷ εὐχόμεθ' εἶναι. *Β*, 82 in optimis quidem libris ἄριστος Ἀχαιῶν legitur, at ex aliis libris, qui Aristarchi auctoritatem non secuti sunt, ἐνὶ στρατῷ restituendum [13]). Ἄριστος Ἀχαιῶν Homerus non nisi de viro fortissimo dicit (cf. ε, 103. η, 50. ν, 313), quod hic locum non habet. Zenodotus Ἀχαιῶν praetulit, nisi forte ipsius coniectura est, quod in *concione* Graecorum Achilles loqueretur, ubi commemoratio exercitus bellicaeque fortitudinis (sic enim ἄριστος ἐνὶ στρατῷ intellexisse videtur) minus apta esset.

Ι, 405 Zenodotus, voc. ἀφήτορος v. 404 male intellecto, quod de cardine dici putabat, infeliciter pro Φοίβου Ἀπόλλωνος tentavit νηοῦ Ἀπόλλωνος. Cf. supra c. I. Heynius V p. 616. Welcker in Museo Rhenano a Naekio et Welckero edito II p. 478 sq.

Ξ, 40 Zenodotus e coniectura male nata pro Ἀχαιῶν scripsit ἑταίρων (cf. c. I nota 42); poetam enim de principibus, non de

---

12) Aristonici notam: Οὐ δύναται δὲ τῷ γένει τὸ εἶδος ἅμα συγκατατίθεσθαι, nimis operose refutare studet Langius I p. 7. Cf. Faerber p. 615 sq. At quomodo hac observatione refutata contendere poterat: „Nulla *igitur* idonea causa adest, cur Zenodoti auctoritatem (?) repudiemus?"

13) Heynius (IV p. 43): „Forte alterum, ἐνὶ στρατῷ, petitum ex β, 82, ubi magis convenit, quum Ἀχαιῶν (v. 80) praecessisset." At si illic ἐνὶ στρατῷ, quod Heynius recepit, recte se habet, de nostro loco, quum Homerus in talibus formulis sibi constet, iure dubitare nequis.

omnibus Graecis hic loqui. At Ἀχαιοὶ aut υἷες Ἀχαιῶν non semel de Graecorum principibus legimus. Cf. α, 15. 237. 276. κ, 565.

Od. σ, 190 pro δῖα θεάων emendavit δῖ' Ἀφροδίτη [14]), quod commentum eo videtur ortum, quod non Minerva, sed Venus pulchritudinem hominibus tribuat. At cf. Od. ζ, 229 sqq. π, 174. Zenodotea emendatio Homeri morem pervertit, quem hic, quae ipsa Minerva fecit, non quae fieri iussit, describere patet.

Transeamus ad *nomina appellativa*. Γ, 100 Zenodotus prave correxit:

Εἵνεκ' ἐμῆς ἔριδος καὶ Ἀλεξάνδρου ἕνεκ' ἄ τ η ς,

et locis similibus (ζ, 356, ubi alii ἀρχῆς. ω, 28), et difficultate versus explicandi inductus. At ἀρχῆς, quod in libris Zenodotus invenit, bene indicat, non ipsum, qui loquitur, Menelaum, sed Parin litis auctorem esse [15]).

Δ, 137 Zenodotus et Aristophanes [16]):

Μίτρης θ', ἣν ἐφόρει ἔ λ υ μ α χροός, ἔρκος ἀκόντων.

Ἔρυμα, ab Aristarcho, ni fallor restitutum, et sequens ἔρυτο defendit, et sensus, qui *involucrum corporis* spernit. cf. Hes. oper. 534. Accedit, quod penultima v. ἔλυμα producitur (Buttmann. Lexil. II p. 164). Zenodoti, ni fallor, emendationem verbum ἔρυτο provocasse videtur, quum in repetito ἔρυμα — ἔρυτο haereret. Cf. Heynius IV p. 581 sq.

Ε, 161 sq. Zenodotus:

Ὡς δὲ λέων ἐν βουσὶ θορὼν ἐξ αὐχένα ἄξῃ
β ο υ κ ό λ ο υ ἠὲ βοός, ξύλοχον κάτα βοσκομενάων.

Inepta emendatio βουκόλου pro πόρτιος eo nata, quod v. 161 de βουσὶ tantum agatur, unde hic πόρτις et βοῦς interposito ἠὲ distingui non possint. Aristonicus: Παραλλήλως δὲ τὸ εἶδος τῷ γένει τέταχεν. Similem dubitationem vide c. X σ, 528.

Θ, 349 Zenodotus recte e libris scripsit:

Γ ο ρ γ ό ν ο ς ὄ μ μ α τ' ἔχων ἠὲ βροτολοιγοῦ Ἄρηος.

---

14) Schol. Zenodoti scripturam male ad v. 197 refert, nisi editoris Scholiorum culpa est. At tum non minus v. 190 δῖ' Ἀφροδίτη reponendum erat, quum alioquin δῖα θεάων v. 190 non nisi de Minerva intelligi possit. V. 197 Zenodotus δῖα θεάων retinere potuit.

15) Vere Aristonicus: *Διὰ μέντοι τοῦ ἕ ν ε κ' ἀ ρ χ ῆ ς ἐνδείκνυται, ὅτι προκατῆρξεν*; at non satis recte dicit: *Ἔσται δὲ ἀπολογούμενος Μενέλαος, ὅτι ἄτῃ περιέπεσεν ὁ Ἀλέξανδρος.* Heynius (IV p. 469) censet, vix definiendum esse, utra scriptura ab Homero profecta sit.

16) In Crameri Anecd. Par. III p. 9 (cf. p. 282) errore vulgari pro Ἀριστοφάνης legitur Ἀριστοτέλης.

Aristarchus, locis π, 752 et φ, 252 inductus, correxit Γοργοῦς οἴματ'. At recte iam veteres Γοργὼ βλοσυρῶπις (λ, 36) compararunt, quum in Gorgone, Heynii (V p. 475) utor verbis, non impetus inruentis, sed oculorum truculentia notabilis esset. De forma Γοργόνος cf. c. III.

I, 45 Zenodotus e coniectura dedit:

Ταῦτα δὲ πάντα
ἴσασ' Ἀργείων ἡγήτορες ἠδὲ μέδοντες.

Libri et Aristarchus ἡμὲν νέοι ἠδὲ γέροντες, quod Zenodotum offendit, quum Agamemno principes esset allocutus (v. 17) et Nestor (v. 58 sq.) Diomedi diceret, πεπνυμένα βάζεις Ἀργείων βασιλῆας. At quisque videt, Diomedem, ut Agamemnonis redarguat reprehensionem, melius ad omnes Graecos Troiam oppugnantes, quam ad reges tantum provocare et principes [17].

I, 88 Zenodotus τίθεντο δὲ δαῖτα θάλειαν, Aristarchus τ. δὲ δόρπα ἕκαστος, digamma servato (cf. Heynius V p. 541), vulgo τ. δὲ δόρπον ἕκαστος. Zenodotus locum emendavit, fortasse eo offensus, quod hic sibi quisque coenam instruat, loco η, 475 abusus. Schol. A contra Zenodotum monet: Ἄτοπον θαλιάζειν τοὺς πένθει ἀτλήτῳ τὴν ψυχὴν βεβλημένους; sed vereor, ne Schol. δαῖτα θάλειαν (Od. γ, 420. θ, 76. 99) male intellexerit.

Α, 86 Zenodotus δόρπον pro δεῖπνον (probante Vossio ad hymn. in Cer. p. 47) et λ, 730 δεῖπνον pro δόρπον dedit, falsas scripturas e posteriore usu ortas servans. Homericum horum vocabulorum usum bene distinxit Aristarchus. Cf. Lehrs. p. 132 sqq. Nitzsch. I p. 28 sq. De δόρπῳ vide Od. δ, 786. μ, 439 sqq. ν, 31 sqq. V. 86 sqq. matutinum significari tempus e π, 777 sqq. patet, quo loco de eodem pugnae die poeta agit. Aristonicus ad v. 86: Οὐ λέγει δὲ (Ὅμηρος) δεῖπνον τὴν ἑσπερινὴν τροφὴν νῦν, ἀλλὰ δεῖπνον καλεῖ, ὃ ἡμεῖς ἄριστον, καθ' ἣν ὥραν καὶ ὁ δρύτομος ἀριστοποιεῖται. Atque ad v. 730: Δόρπον δὲ λέγει τὴν ἑσπερινὴν τροφήν· εὐθέως γὰρ κατακοιμῶνται.

Α, 132 pro ἐν Ἀντιμάχοιο δόμοις Zenodotus ἐν Ἀντιμάχου πατρός [18]. Quodsi ζ, 44 sqq. confers, quo loco nostra, iis tantum,

---

17) Aristonicus: Βέλτιον καθολικώτερον γεγράφθαι· καταλείπεται γὰρ ἐν πᾶσιν ἡ δόξα τἀνδρός. Spitzner: „Apparet de iniuria sibi inlata Diomedem eo iustius conqueri posse, si totum exercitum, ut factum erat, eam audivisse dicat," unde patet ipsum Spitznerum verba ταῦτα δὲ πάντα male intellexisse, quae non significant *meam bellicam virtutem te reprehendisse omnes sciunt* (quid tum illud πάντα?), sed *quomodo haec comparata sint, omnibus notum.*

18) Non erat, cur Spitzner Zenodotum Ἀντιμάχοιο dedisse diceret, quum πατρὸς rarius priore syllaba correpta efferatur. Huc maxime facit ζ, 47. Scripsit Schol. teste Ἀντιμάχου.

quae necessarie mutanda erant, mutatis, leguntur, facile Zenodoteum praeferas. Atque statim in initio orationis Antimachum patrem nominari debere arbitror; inepte post ἐν Ἀντιμάχοιο δόμοις v. 134 inferretur πατρός.

Λ, 222 Zenodotus:

Ὃς τράφη ἐν Θρῄκῃ ἐριβώλακι μητέρι θηρῶν,

celeri μήλων. Μητέρα μήλων habes β, 696. ι, 479 (posteriore loco cum ἐριβώλακα), μητέρα θηρῶν de Ida ξ, 283. ο, 151. Zenodotus, de feritate Thraciae cogitans, μητέρι θηρῶν praetulit, nisi hanc ipsius fuisse Zenodoti coniecturam statuis. At recte Schol. A: Τῇ δ' ἐριβώλακι συνᾴδει καὶ τὸ πολυθρέμματον, οὐ τὸ ἔνθηρον.

Λ, 439 et 451 Zenodotus:

Γνῶ δ' Ὀδυσεύς, ὅ οἱ οὔτι βέλος κατακαίριον ἦλθεν. —

Φθῆ σε βέλος θανάτοιο κιχήμενον, οὐδ' ὑπάλυξας.

Utroque loco Aristarchus et plurimae editiones τέλος. Num Zenodotus βέλος in libris invenerit, diiudicare nolim; fortasse v. 439 libros, v. 451 coniecturam secutus est. Βάλλειν et βέλος Homerum non de hasta cominus incussa dicere recte Aristarchus docuit (cf. Lehrs. p. 61 sqq.), unde βέλος hic locum non habet [19]).

Μ, 152 sq. Zenodotus:

Μάλα γὰρ κρατερῶς ἐμάχοντο

λάεσσιν καθύπερθε πεποιθότες ἠδὲ βίηφιν,

celeri λαοῖσιν, quod praestat. Duo Lapithae ante portas cum Troianis pugnabant et sua fortitudine et populo in muro stante (λαοῖσιν καθύπερθε) fidentes; illud vero λαοῖσιν καθύπερθε ex usu Homerico versus 153 sqq. explicant. Quo οἳ v. 154, si λάεσσιν legis, recte referatur, non video. Aut fallor, aut ipsius Zenodoti, qui, versu 154 deceptus, locum non intellexit, habemus emendationem.

Ν, 237 Zenodotus et Aristophanes:

Συμφερτὴ δὲ βίη πέλει ἀνδρῶν καὶ μάλα λυγρῶν [20]).

Aristarchus συμφερτὴ δ' ἀρετή. Zenodoteum praestare videtur, quod ἀρετή fortitudo est, quae nunquam e multis imbecillis coniunctis oritur; βίη vero vis est, qua quid efficitur, quae revera e viribus singulorum imbecillium virorum colligi potest. Neptunus dicit, etiam ignavos coniunctis viribus aliquid posse perficere, ubi ἀρετή

---

19) Spitzner de τέλος κατακαίριον: „Quod explicant: sensit Ulixes plagam loco minus opportuno substitisse; alii de vitae fine sive morte cogitant. Neutrum satis aptum habet Heynius (VI p. 198 sq.), cui adsentior." Τέλος κατακαίριον est *letifer finis*, ut τέλος θανάτοιο et similia. Cf. Nitzsch. III p. 2 sq.

20) Συμφερτὸς in Schol. A male legitur pro συμφερτή, unde Lobeckii dubitatio (Paralipp. p. 488) concidit. Cf. c. I. not. 45.

non aptum mihi videtur, quod fortitudinem singulorum designat [20a]).

Ξ, 259 Zenodotus et Aristophanes Noctem dixerunt *μήτειραν*, Aristarchus rectius *δμήτειραν θεῶν*. De forma cf. praeter Spitznerum Lobeckium Paralipp. p. 214. Utrum Zenodotus, Hesiodeae genealogiae memor, *μήτειρα* finxerit, an, quod verisimilius est, e libris retinuerit, certo diiudicari nequit.

Ξ, 485 (adde *σ*, 100. 213) recte Zenodotus *ἀρῆς ἀλκτῆρα* retinuit. De *ἀρή*, quod *perniciem*, *malum* designat, cf. *μ*, 334. *π*, 512. *ω*, 489. Od. *β*, 49. *ρ*, 538. *χ*, 208. Hes. Theog. 657. Scut. 29. 128. Aristarchus, qui in *ἀρῆς* male intellecto haesit, nescio an e coniectura *ἄρεω* (alii *ἄρεως*), quod hic et *σ*, 213 libros occupavit, at *σ*, 100 *ἀρῆς* remansit. Cf. Schol. et Eust. ad h. l. Spitzner III p. 130 sqq.

O, 86 Zenodotus:

Πάντες ἀνήϊξαν καὶ δ ε ι κ α ν ό ω ν τ᾽ ἐ π έ ε σ σ ι ν,

quam scripturam ut redargueret et *δεικανόωντο δέπασσιν* legendum esse demonstraret, Aristarchus provocavit ad *ο*, 88. Atque Aristarchi scripturam unice veram esse et versus sequentes ostendunt, quibus legitur: *ἡ δ᾽ ἄλλους μὲν ἔασε, Θέμιστι δὲ καλλιπαρῄω δέκτο δέπας*, et loci *δ*, 3 sq. *ι*, 670 sqq. *Δεικανόωντ᾽ ἐπέεσσιν* in libris a Zenodoto inventum, ex aliis locis, Od. *σ*, 111. *ω*, 410 [21]), huc translatum est. Spitzneri suspicionem, e qua rarior forma *δέπασσι* ad locum emendandum contulerit, non probo.

O, 356 (de Apolline) Zenodotus:

Ῥεῖ᾽ ὄχθας καπέτοιο βαθείης χ ε ρ σ ὶ ν ἐρείπων.

At recte Aristonicus *ποσσὶν* defendit: *Εὐλογώτερον δὲ μὴ κατακύπτειν τὸν θεόν, ἀλλὰ τοῖς ποσὶ συγχεῖν. Χερσίν*, quod e versu 364 huc venerat, Aristophanes aut Aristarchus sustulit.

O, 439 sq. in Aiacis oratione Zenodotus:

Μαστορίδης, ὃν νῶϊ Κυθηρόθεν ἔνδον ἐόντα
ἶσα φίλοισι τ έ κ ε σ σ ι ν ἐτίομεν ἐν μεγάροισιν.

Aristarchus et ceteri *τοκεῦσιν*. Aristonicus: *Οὐχ ἁρμόζει δὲ τοὺς περὶ τὸν Αἴαντα νέους ὄντας λέγειν τ έ κ ε σ σ ι ν· πρὶν γὰρ παιδοποιήσουσιν, ἐστρατεύσαντο*. Addendum erat argumentum, hucusque ne-

---

20a) Versum veteribus multas creasse difficultates testantur Scholia. Nuperrime de hoc loco egerunt Lucas in programmate gymnasii Bonnensis anni 1839 p. 21 et L. de Ian in ephemer. stud. antiquit. 1841 p. 690, qui recte explicat: „Es gibt eine vereinigte, durch Vereinigung erzeugte Kraft auch der Schwachen."

21) His locis, quum *ἔπος* digamma sit instructum, *δεικανόωντο ἔπεσσιν* genuinam esse scripturam, vix est, quod moneam.

glectum, multo gravius; ἐτίομεν enim de parentibus, non de liberis bene dicitur, quibus φιλεῖν unice aptum est. Homerus Lycophronem, Mastoris filium, natu multo maiorem, quam Aiacem et Teucrum, cogitasse facile vides.

P, 595 (de Iove) Zenodotus:

Ἀστράψας δὲ μάλα μεγάλ' ἔκτυπε, γῆν δ' ἐτίναξεν.

Vereor, ne Zenodotus, quum τήν, quod ad αἰγίδα v. 593 spectat, non intelligeret, e mera coniectura γῆν scripserit, quamquam non Iuppiter, sed Ποσειδάων ἐνοσίχθων terram movet. Cf. υ, 56 sqq. Iuppiter vero aegide mota terret homines [22]). Cf. δ, 167 ο, 229 sq., quibus locis adde β, 450. ε, 738 sqq. ο, 308 sqq.

De loco σ, 154 (adde ν, 330), ubi comparationis natura parum perspecta pro φλογὶ εἴκελος ἀλκήν dedit συῒ εἴκ. ἀ., cf. infra c. IX.

Σ, 247 et τ, 14 pro Zenodoteo ἔχεν φόβος Aristarchus ἕλεν φόβος recte e praecepto suo: Φόβος ἡ μετὰ δέους φυγή (cf. Lehrs. p. 89 sq. 163 sq.), reposuit. Ἔχε τρόμος habemus ζ, 137. κ, 25, ἕλε τρόμος χ, 136. Adde γ, 34. ε. 862. η, 215.

Od. β, 42 (adde v. 30) legimus:

Οὔτε τιν' ἀγγελίην στρατοῦ ἔκλυον ἐρχομένοιο.

Schol.: Γελοίως γράφει Ζηνόδοτος ἠΐονα ἀπὸ τοῦ ἀΐειν, ὅ ἐστιν ἀκούειν. Quis credat Zenodotum pro ἀγγελίην nullo nomine suspectum e mera bariolatione ἠΐονα significatione inaudita in Homerum invexisse? Legit ἠΐονα certe in libris nonnullis, atque, ni fallor, haec lectio, quae vulgari ἀγγελίην cedere iussa est, genuina. Similes sunt loci π, 13. Od. α, 408. Ἠιών ab ἀΐω descendit, vocali α in η mutata. Cf. ἀλάομαι et ἠλάσκω, ἀχέω et ἠχή, ἠχέω, et de suffixo ὀλολυγών. Nisi forte ἠϊών ab ἵημι (cf. ἤϊος, ἠΐα) deducis.

Od. δ, 159 Zenodotus:

Ὧδ' ἐλθὼν τὸ πρῶτον ἐπιστομίας ἀναφαίνειν,

celeri ἐπεσβολίας (cf. Il. β, 275). Schol. Ἐπεσβολίαι δὲ γελοῖαι· ὅθεν Ζηνόδοτος μεταποιεῖ ἐπιστομίας ἀναφαίνειν [23]). Utrumque in libris legebatur, at ἐπιστομίας, ἅπαξ λεγόμενον, certe a Zenodoto non fictum, praeferendum esse iudico.

---

22) De ventis a Iove motis cum Aristonico cogitare noli. In Aristonici nota haec fere verba ante ταύτην exciderunt: ἀγνοῶν, ὅτι τὴν αἰγίδα Ζεὺς ἐτίναξε sive τὴν αἰγίδα λέγει.

23) Schol.: Ἐπεσβολίας. οὖν νῦν τὰς ἐπῶν εἰςβολὰς (male Nitzschius I p. 247 ἐπεσβολάς) καὶ ἀρχάς φησιν. Ἐπεσβόλος ab ἔπος et βάλλειν, non ab εἰςβάλλειν) idem fere est, atque σπερμολόγος. Pisistratus dicit, Telemachum non e more iuvenum (cf. Il. ψ, 589) garrula arrogantique loquacitate Menelai aures obtundere.

Od. κ, 239 sq. (de Ulixis sociis) Zenodotus:

Οἱ δὲ συῶν μὲν ἔχον κεφαλὰς φωνήν τε τρίχας τε
καὶ πόδας, αὐτὰρ νοῦς ἦν ἔμπεδος, ὡς τὸ πάρος περ.

Recte ceteri *δέμας*, quod totum corporis habitum quasi comprehendit, quum *πόδας* manibus et ipso corpore omissis inepte adderetur. Num *πόδας* Zenodoti sit coniectura, dubito.

Duos addimus locos, quibus pro adiectivis substantiva Zenodoti praebuit recensio.

Α, 5 Zenodotus *δαῖτα* pro *πᾶσι*. Athenaeus I, 21, sine dubio ex Aristarchi praecepto (cf. Lehrs. p. 95 sq.), contra Zenodotum monet: *Τὴν τῶν γυπῶν καὶ τῶν ἄλλων οἰωνῶν τροφὴν οὕτω καλῶν μόνου ἀνθρώπου χωροῦντος τὸ ἴσον ἐκ τῆς προσθεν βίας· διὸ καὶ μόνου τούτου ἡ τροφὴ δαίς* [24]. Cf. Eust. et Suid. v. *δαίς*. Sophoclem in Homeri loco *πᾶσι*, non *δαῖτα*, legisse, ita ut *ἑλώρια* et ad canes et ad *οἰωνοὺς* referret, ostendere mihi videtur locus Ai. 830: *Ῥιφθῶ κυσὶν πρόβλητος οἰωνοῖς θ' ἕλωρ*, ubi *ῥιφθῶ πρόβλητος* arcte coniungendum. Atque haec scriptura optime se habet; nam *πᾶσι* descriptive, ut ita dicam, additur, *praeda iacebant canibus et alitibus, quotcunque venerunt*, quod vidit Faerber l. l. p. 612, qui *πάντας ἀρίστους* γ, 19. η, 150 comparat. Adde infra σ, 400. Ceterum bene animadvertas, *πᾶσι*, cum emphasi postpositum, non solum ad *οἰωνοῖσι*, sed etiam ad *κύνεσσιν* pertinere [25]. Zenodotum, ut locum emendaret, movit *ἑλώρια*, quod quum *ἑλκύσματα* intelligeret (cf. Apollon. Hesych. Etym. v.), alitibus, qui cadavera comederent, non aptum habuit. At *ἑλώρια praedam* significat, atque canes non minus, quam alites cadaveribus *satiari* ex Homero notissimum est. Cf. θ, 379. λ, 454. 818. ν, 831. ρ, 241. χ, 42. 339. ω, 411. Atque fac *ἑλώρια* significet *ἑλκύσματα*, adest, qui *πᾶσι*

---

24) De loco ω, 43 cf. Faerberum l. l. p. 612 sq.

25) Bentleius pro *πᾶσι* voluit *κύρμα*, aut versum tollendum esse putavit. Heynius (IV p. 9): „Sane *πᾶσι* otiosum esse videri potest, nec verum hoc est *omnes* alites cadavera attigisse; omittitur quoque *πᾶσι* in similibus locis. Cf. θ, 379. ν, 831. χ, 354. Fuere qui *πᾶσι* cum seqq. coniungerent: *πᾶσι Διὸς δ' ἐτελείετο βουλή*. Dicendum erit: aut *πᾶσι* esse pro *παντοίοις*, aut corpora proiecta fuisse alitibus quibusvis, ut praeda esse possent. Nam saepe ex ceteris adiectis definitur et circumscribitur notio. Sic mox 15 *ἐλίσσετο πάντας Ἀχαιούς* scil. qui aderant ad navem Agamemnonis." Langius (I p. 4), cuius vestigia legit Heffter (p. 10), ut interpretationem *παντοίοις* refutet (alteram non attingit), *πᾶσι* supervacaneum additamentum dicit, quod in omnibus locis similibus, quos cumulat, non legatur. Magnam vim inesse illi *πᾶσιν*, quod *communem* canum et alitum praedam cadavera esse iudicat, non vidit.

defendat, locus *χ*, 335 sq.: *Σὲ μὲν κύνες ἠδ' οἰωνοὶ ἑλκήσουσ' αἰκῶς*. Vides igitur, quam male hic se habeant paria membra orationis, Hefftero auctore, multum exornationis praebentia.

Δ, 281 sq. Zenodotus emendavit

Πυκιναὶ κίνυντο φάλαγγες
ἡρώων, σάκεσίν τε καὶ ἔγχεσι πεφρικυῖαι.

Ceteri recte *κυάνεαι* Aristonicus: *Γέγονε δὲ ἀντιπαράθεσις τοῦ μέλανος νέφους πρὸς τὸ κυάνεαι· τοῦτο δὲ οἷον πυκναί· αἱ γὰρ ἀραιαὶ νεφέλαι διαυγεῖς.* Adiectivo *κυάνεαι* ad comparationem v. 275 sqq. aptissime respicitur. Eodem modo *κυάνεον Τρώων νέφος* legimus *π*, 661, et *κυάνεος* constans nubium *ἐπίθετον*. Cf. Remaclius de comparationibus Homericis partic. III p. 31 sq. Zenodotum et adiectivi *κυάνεος* significatio et coniunctio duorum adiectivorum, quorum alterum ad *τοῖαι* (v. 280) refertur, ad locum e versibus similibus (*ε*, 746 sq. *θ*, 390 sq. *ι*, 524 sq. *υ*, 326) emendandum impulisse videtur.

Restant loci, quibus non solum substantiva, sed etiam, quae ad ea referuntur, mutata reperimus.

E, 53 Zenodotus:

Ἀλλ' οὔ οἱ τότε γε χραῖσμεν θανάτοιο πέλωρα,

ubi ceteri *χραῖσμ' Ἄρτεμις ἰοχέαιρα*. Zenodotum *Ἄρτεμις ἰοχέαιρα* post *Ἄρτεμις αὐτή* offendit, unde *θανάτοιο πέλωρα* e *θανάτοιο τέλος* infelicissime finxit [27]).

N, 610 sq. Zenodotus:

Ἀτρείδης δὲ ἐρυσσάμενος χείρεσσι μάχαιραν
ἆλτ' ἐπὶ Πεισάνδρῳ.

Recte ceteri *ξίφος ἀργυρόηλον*, quod contra Zenodotum defendit Aristonicus: *Ἀγνοεῖ δέ, ὅτι Ὅμηρος τὴν παραξιφίδα μάχαιραν καλεῖ, τὸ δὲ πολεμιστήριον ξίφος.* Cf. Lehrs. p. 98 et locos Homericos *α*, 190. *γ*, 361. *ξ*, 496. *υ*, 284. *φ*, 116. 173. Od. *ι*, 300. *κ*, 126. 294. 321. 535. *λ*, 28. 48. *Χείρεσσι μάχαιραν* male huc translatum est e *γ*, 271. *τ*, 252.

O, 134 Zenodotus:

Αὐτὰρ τοῖς ἄλλοισι θεοῖς μέγα πῆμα φυτεῦσαι,

ubi iam Aristophanes reposuit *κακὸν μέγα πᾶσι*. *Τοῖς ἄλλοισι θεοῖς* *α*, 597. *θ*, 437. *φ*, 385, *θεοῖς τοῖς ἄλλοις* *ε*, 130 sq. 819 sq. *Φυτεύειν πῆμα* Od. *δ*, 668, frequentius *κακὸν* sive *κακὰ φυτεύειν*.

---

27) Contra Aristonici notam: *Ἀδιανόητον δὲ γίνεται τὸ λεγόμενον (θανάτοιο πέλωρα)*, monet Heynius (V p. 12): „Haberet quidem sensum, sed usum non habet *θανάτου πέλωρον*, *mortis monstrum*. Alio modo Gorgon est *δεινὸν πέλωρον* Od. *λ*, 633."

Fortasse Zenodotum offendit τοῖς ἄλλοισι nude positum, quamquam de dis tantum cogitare Iunonem patet. Πᾶσι necessarie adiectum videtur, ut sententia eo gravius proferatur. Hinc Zenodoteum, fortasse e coniectura profectum, cum Heynio (VII p. 30) amplecti nolim. Cf. Spitzner.

Od. γ, 368 Zenodotus pro τεὸν ἵκετο δῶμα dedit e coniectura, ni fallor, τὰ σὰ γούναθ' ἱκάνει, inductus loco Od. γ, 92: Τούνεκα νῦν τὰ σὰ γούναθ' ἱκάνομαι. At cf. Od. γ, 355. θ, 32. π, 78. τ, 351.

Od. μ, 290 pro θεῶν ἀέκητι ἀνάκτων Zenodotus φίλων ἀέκητι ἑταίρων. Recte quidem ἀέκητι non ad διαῤῥαίσουσι, sed ad ἔλθῃ ἀνέμοιο θύελλα rettulit, at quod procella dis invitis navem mergere diceretur, ita eum offendit, ut locum coniectura tentaret. Verum hoc ipso orationis acumen continetur. Quum enim Ulixes insulam vitaturus Tiresiae, qui mala minabatur, si ad illam appelleret, vaticinium protulisset, Eurylochus Ulixem etiam dis invitis (ὑπέρμορον. cf. Naegelsbach. l. l. p. 123 sqq.) tempestate obrui posse contendit, si nocturno tempore navigarent [28].

Ad *adiectiva* progredientes primum de epithetis, quae substantivis iunguntur, agamus.

B, 484 (adde λ, 218. ξ, 508. π, 112) Zenodotus:

Ἔσπετε νῦν μοι, Μοῦσαι Ὀλυμπιάδες βαθύκολποι,

ubi ceteri Ὀλύμπια δώματ' ἔχουσαι. Recte Aristarchus observavit: Οὐδέποτε τὰς Ἑλληνίδας γυναῖκας βαθυκόλπους (Ὅμηρος) εἴρηκεν, ὥστε οὐδὲ τὰς Μούσας. Cf. Schol. ad h. l. σ, 339. ω, 215. Eust. p. 260, 28. 46. Etym. v. Lehrs. p. 119. [29]). Pindarum quidem βαθύκολποι hoc loco legisse, iam vidimus, sed inde minime sequitur, hanc genuinam esse scripturam atque Aristarchum e coniectura dedisse Ὀλύμπια δώματ' ἔχουσαι, quod Langius (III p. 8 sq.) statuit. Utrumque in libris legebatur, at Aristarchus veram scripturam praetulit, probe intelligens, in invocatione Musarum commune deorum ἐπίθετον (cf. α, 18. β, 13. ε, 383. ο, 115. Od. γ, 377. υ, 79. ψ, 167) multo esse aptius, quam illud, quod earum vestitum designat [30]).

---

28) Vereor, ne ipse Nitzschius (III p. 400) hoc non intellexerit, quamquam, quae eius sit sententia, ex silentio, saepissime in eius commentariis incommodo, vix augurari licet. Cur, quod Schol. Harl. habet: Χωρὶς τοῦ σ, διαῤῥαίουσιν, ad Zenodotum referat, non video, neque intelligo, quomodo dicat, Zenodoti mutationibus officere οἵτε, nisi forte ἀέκητι cum relativa enunciatione coniunxit.

29) Memoriae errore Plutarchus Sympos. IX, 2, 4 in versu ε, 424 pro Ἀχαιϊάδων εὐπέπλων adfert Ἀ. βαθυκόλπων. Neque video, quid recte colligas ex Aeschyleo ἱερατῶν ἐκ βαθυκόλπων στηθέων (Sept. 865 sq.), de Antigona et Ismena.

30) Quod Heynius (IV p. 284) dicit, Musas non male βαθυκόλ-

Γ, 364 et *ο*, 192 Zenodotum pro *οὐρανὸν εὐρὺν* dedisse *οὐρανὸν αἰπὺν* scimus, quod idem de reliquis locis (*ε*, 867. *η*, 178. 201. *Θ*, 74. *ο*, 36. *τ*, 257. *ν*, 299. *φ*, 272. 522, ut viginti Odysseae locos mittam) intelligas [31]). Aristonicus ex Aristarchi praecepto monet: *Αἰπὺ δὲ ὄρος* (ut Olympus) *ἂν λέγοιτο, ὁ δὲ οὐρανὸς εὐρύς· παρήκει γὰρ τῇ γῇ.* Cf. Lehrs. l. l. Voelcker de geographia Homerica p. 4 sq. 17 sqq. Zenodotus *αἰπὺν* sine dubio in nonnullis libris invenit, quod Pindari usus (fr. 34 a. Schneidew.) comprobat, neque video, cur prorsus inepte *οὐρανὸς αἰπὺς* dici contendamus, quamquam non dubito, quin *οὐρανὸν αἰπὺν* ab *αἰπὺν Ὄλυμπον* (*ε*, 367. 868. *ο*, 84) sit desumptum [31a]).

Δ, 338 sq., ubi Agamemno Menesthea et Ulixem alloquitur, Zenodotus:

Ὦ υἱὲ Πετεῶο, Διοτρεφέος βασιλῆος,
καὶ σύ, κακοῖσι δόλοισι κεκασμένε, φαίδιμ' Ὀδυσσεῦ,

ubi ceteri *κερδαλεόφρον*. Aristonicus: *Ἀσυμφώνως τῇ ἐπιπλήξει φαίδιμος ἂν νῦν λέγοιτο.* Quem ut refelleret, Heynius (IV p. 619) contendit, *κακοὺς δόλους* non in reprehensionem dici, sed dolos significare aliis exitiosos. Spitzner vero Zenodoteum neque opprobriis ab Agamemnone in Ulixem iactis, neque notae huius indoli (?) bene congruere adfirmavit. Quod ab editore nostrae aetatis vix expectaveris. Iam Wolfius (Prolegg. p. CCXII) bene monuit, qui *φαίδιμ' Ὀδυσσεῦ* improbarent, immemores esse loci *α*, 122:

Ἀτρείδη κύδιστε, φιλοκτεανώτατε πάντων,

aut vim v. *κύδιστε* pervertisse. Atque *φαίδιμος*, quod generis indicat nobilitatem, in quinque Odysseae versibus in *φαίδιμ' Ὀδυσσεῦ* exeuntibus reperimus. *Κερδαλεόφρον* Agamemnoni obiicit Achilles *α*, 149. Nihilominus *φαίδιμ' Ὀδυσσεῦ* Zenodoti coniecturam esse suspicor, quem in Ulixis nomine omisso male haesisse iudico.

Ε, 193 sq. legimus *ἕνδεκα δίφροι καλοί, πρωτοπαγεῖς, νεοτευχέες*, ubi Zenodotus, tautologiam vitaturus, pro *νεοτευχέες* aliud vocabulum reposuisse videtur. Vide supra c. I. Cf. *ω*, 267, unde suspiceris verbum pro adiectivo in Homerum invexisse Zenodotum.

Λ, 123 et 138 Zenodotus *κακόφρονος* pro *δαΐφρονος* emendavit, quod Agamemno hostem invisum laudare non deberet. At recte

---

πους vocari propter amplam pallam, nescio an non de Homeri aetate valeat, cui Musarum statuae nondum, ut posteriore tempore, ubique obviae erant.

31) Quod nescio, quo iure Lehrsius (p. 168 sq.) negare videatur.

31a) Lehrsius (p. 169): „Recte Aristarchus *οὐρανὸν εὐρὺν* praetulit, quamquam non praefracte negavit dici posse aliquo modo *οὐρανὸν αἰπύν*."

Spitzner observat, Homerum etiam improborum fortitudini iustam laudem non denegare; addimus, quod magis ad rem facit, neque heroas Homericos hostibus. Cf. c. II not. 68. Alii δαΐφρονος hic ironice dici putarunt.

Λ, 480 pro ἐν νέμεϊ σκιερῷ dedit ἐν νέμεϊ γλαφυρῷ. Aristonicus: Τοῦτο (γλαφυρῷ) δὲ σπηλαίῳ ἢ ἄντρῳ οἰκεῖον, νομὰς δὲ ἔχοντι ὑπὸ (mecum emendes καὶ) [32]) συνδένδρῳ τόπῳ ἀνάρμοστον. Zenodotus e libris γλαφυρῷ retinuit, quod, ut Od. μ, 305 (ἐν λιμένι γλαφυρῷ), *cavus*, *in profundo situs* intellexit, qua significatione accepta habet γλαφυρῷ, quo commendetur. Aristarchus σκιερῷ restituit, nisi forte iam Aristophanes Zenodoteum sustulit. Cf. ἄλσος ὑπὸ σκιερὸν Od. υ, 278 [33]).

M, 295 sq. (de Sarpedonis clipeo) Zenodotus:

Καλήν, χαλκείην, ἐξήλατον, ἣν ἄρα χαλκεὺς
ἐξέλασ'.

Aristarchus ἐξήλατον et ἤλασεν. Cf. supra c. I. Didymus: Οὐκ ἐπιθάνως ὁ Ἀρίσταρχος, εἴγε καὶ ἑπταβόειον σάκος που λέγει καὶ ἐπὶ τῆς Ἀχιλλέως ἀσπίδος (σ, 481. υ, 270). At recte Eustathius monet, Homerum, si ἐξήλατον scripsisset, in relativa enunciatione ἣν ἄρα χαλκεὺς ἐξέλασ', non potuisse ἕξ πτύχας non commemorare. Ἐξέλασ' (cf. Herod. I, 50) Zenodotus in libris invenisse videtur, neque video, cur ἤλασεν praeferendum sit, quamquam υ, 270 πέντε πτύχας ἤλασεν legimus.

N, 246 Zenodotus et Aristophanes:

Μηριόνης δ' ἄρα οἱ δουρικλυτὸς ἀντεβόλησεν [34]).

Aristarchus θεράπων ἐΰς, alii θεραπωνεύς, ut Ἐτεωνεύς (Od. δ, 22). Quum Meriones saepius θεράπων et ὀπάων Ἰδομενῆος audiat, non video, quid Zenodotum ad locum emendandum impulerit (nisi forte putas eum sequens μετὰ γὰρ δόρυ χάλκεον ἧεν inepte praeparare voluisse), unde utrumque in libris obtinuisse, Aristarchum verum restituisse iudico. Δουρικλυτὸς dicitur Meriones π, 619.

Ξ, 177 Zenodotus καλοὺς καὶ μεγάλους de Iunonis cincinnis. Aristarchus καλούς, ἀμβροσίους. Adiectivum ἀμβρόσιος, quod v. 172

---

32) Apollonius νέμος explicat: Ὁ σύνδενδρος τόπος καὶ νομὴν ἔχων.

33) Quid vero, si bono Zenodoto iniuriam fecerunt, ut hic non solum γλαφυρῷ, sed ἐν σπῆϊ γλαφυρῷ e libris legerit? Quod quamquam non satis probabile videtur, tamen, quae nostra Zenodoteae recensionis est cognitio, omnino negari nequit.

34) Schol. A δουρὶ κλυτός, quod in Veneto semper separatur. Cf. Spitzner β, 645. Adde Schol. Od. α, 30. Goettling. p. 314. Lobeck. Paralipp. p. 457 sq.

et 177 recurrit, Zenodotum ita offendisse videtur, ut locum infeliciter tentaret. *Καλός τε μέγας τε* de statura hominis dicitur (ut φ, 108. Od. ζ, 106), atque Od. σ, 67 sq. *μηροὺς καλούς τε μεγάλους τε* legimus, at de cincinnis inepte dici videtur.

Ξ, 223 Zenodotus:

Μειδήσασα δ' ἔπειτα ἑῷ ἐγκάτθετο κόλπῳ,

quam scripturam ipsum digamma v. *ἑῷ* commendat, multo magis v. 219 *τεῷ ἐγκάτθεο κόλπῳ*, cui noster versus respondit. Quodsi hic Homerus *μέσῳ* cum Aristarcho dedisset, cur non v. 219? Nam quod Spitzner dicit, Iunonem Veneris cingulum occuluisse, ne Iuppiter fraudem sentiret, id Aristarchum quidem movere poterat, sed a nativa Homeri simplicitate abhorret.

Π, 233 Zenodotus:

Ζεῦ ἄνα, Φηγωναῖε, Πελασγικέ, τηλόθι ναίων [35]).

Alii *Βωδωναῖε* ab urbe *Βωδώνη*. Aristarchi *Δωδωναῖε* fuisse videtur, quod libros praebuisse mira Cleanthis emendatio *ἀναδωδωναῖε* ostendit, quod *τὸν ἐκ τῆς γῆς ἀναθυμιώμενον ἀέρα διὰ τὴν ἀνάδοσιν* significet. Cf. Plutarch. de audiendis poetis 11. *Δωδωναῖε* eo nomine reiiciendum esse puto, quod *Δωδώνης μεδέων* hac scriptura accepta continuo illud *Δωδωναῖε*, quod explicet, sequi deberet. *Φηγωναῖος*, antiquissimum Iovis Pelasgici e quercu vaticinantis ἐπίθετον, Zenodotus e libris nonnullis retinuisse videtur, formis *Βωδωναῖε* et *Δωδωναῖε* alios libros occupantibus. Ipsum Dodonaei oraculi locum *Φηγὼν* dictum esse suspiceris, unde *Φηγωναῖος* deductum [36]).

---

35) Steph. v. *Δωδώνη*: *Ζηνόδοτος δὲ γράφει Φηγωναῖε, ἐπεὶ ἐν Δωδώνῃ πρῶτον φηγὸς ἐμαντεύετο· καὶ Σουίδας δέ φησι, Φηγωναίου Διὸς ἱερὸν εἶναι. — Κινέας δέ φησι, πόλιν ἐν Θεσσαλίᾳ εἶναι καὶ Φηγόν, καὶ τὸ τοῦ Διὸς μαντεῖον εἰς Ἤπειρον μετενεχθῆναι.* Cf. Strabo VII extr. Schol. B: *Οἱ δὲ γράφουσι Φηγωναῖε· Σκοτουσσαῖοι γάρ φασι παρ' ἑαυτοῖς λόφον εἶναι Φακόεντα, ἀπέχοντα Σκοτούσσης σταδίους ιε', ἐν ᾧ Διὸς Φηγωναίου ἐστὶν ἱερόν.* Notus est Hesiodeus versus:

Δωδώνην φηγόν τε, Πελασγῶν ἕδρανον, ἦκεν,

cui adde fragmentum apud Schol. Soph. Trach. 1174.

36) Valckenarius de Scholiis in Homerum ineditis p. 126 sq.: „Zenodotus, cuius correctiones a Grammaticis vulgo reiectae, semper(?) aliqua sunt parte commendabiles, in Homeri loco legendum iudicabat, quod e Stephani fragmento discere potuisset Barnesius:

Ζεῦ ἄνα, φηγωναῖε,

sive potius cum viro praestantissimo (Montefalconio bibl. Coisl. p. 284) *φηγώναιε*, quasi dicas *adyti Dodonaei incolam*: de Iove, quercus olim vocalis, et quidem *πολυγλώσσου*, incola verba Hesiodi (cf. not. 35) putem accipienda: *ναῖεν δ' ἐν πυθμένι φηγοῦ.*"

Π, 234 Zenodotus pro δυςχειμέρου e coniectura scripsit πολυπίδακος, quod illud Iovis invocatione (Δωδώνης μεδέων δυςχειμέρου) indignum sit et, ut Schol. B dicit, ὑδρηλὰ τὰ ἐκεῖ χωρία. Aristonici suspicio, e qua ob versum Antimacheum [37]) κρηνέων τ' Εὐρώπη μισγομένων ἑκατὸν Zenodotus πολυπίδακος scripserit, arbitraria est atque ab omni probabilitate abhorret. Ceterum nescio an recte ex hac scriptura colligas, Zenodotum nusquam cum Aristarcho (cf. Schol. ξ, 157. υ, 59. ψ, 117) πολυπιδάκου, sed πολυπίδακος legisse.

P, 51 Zenodotus infeliciter emendavit:

Αἵματί οἱ δεύοντο κόμαι χαρίτεσσι μέλαιναι,

ubi ceteri Χαρίτεσσιν ὁμοῖαι. Zenodoteum sensu carere dicit Aristonicus. Schol. V mire explicat ὑπὸ Χαρίτων μελανθεῖσαι. Zenodotus χαρίτεσσι, quod editores hucusque latuit, nomen appellativum habuit atque, ni fallor, in γλώσσαις Ὁμηρικαῖς explicavit, unde desumpta videntur verba Schol. A: Μακεδόνες δὲ καὶ Κύπριοι χάριτας λέγουσι τὰς συνεστραμμένας καὶ οὔλας μυρσίνας, ἅς φαμεν στεφανίτιδας. Χάριτας igitur cirros dici putavit. Zenodoti coniecturam e comparatione abbreviata [38]) non intellecta esse ortam vix est, quod moneam. Ne Zenodoteam interpretationem mireris, confer ea, quae de voce βοτρυδὸν β, 89 docuit.

P, 213 sq. Zenodotus:

Ἰνδάλλετο δέ σφισι πᾶσιν
τεύχεσι λαμπόμενος Πηληϊάδεω Ἀχιλῆος.

Aristarchus μεγαθύμῳ Πηλείωνι, vulgares editiones μεγαθύμου Πηλείωνος. *Omnes Patroclum Achillem habuisse*, quod dativus significaret, hic non aptum esse quisque videt, neque τεύχεσι sine genitivo adiuncto ferri potest [39]). Nescio quo casu Aristarchi iudicium

---

37) Schol. V. nota: Οἱ περὶ Ζηνόδοτον πολυπίδακος διὰ τὸ Καλλιμάχου κρηνέων τ' Εὐρώπη μισγομένων ἑκατόν, iam Bernhardium (hist. litt. Gr. II p. 1035) male habuit. Naekius de Callimacho non dubitat (Opusc. II p. 50). Antimachi nomen e confusione frequenti (cf. Stoll. p. 107 sq. 111 et additamenta mea ad fragm. epica p. 41) restituendum est. Fragmentum, e Lyde desumptum, eo, quod Dodonis mater Europa, Oceani filia, dicitur (cf. Steph., unde emendandus Schol. V), non satis explicatur. Ceterum Antimachi locos advocant Scholia α, 1. β, 2. γ, 144. 197. δ, 400. 439. ε, 389. ζ, 200. λ, 754. ν, 299. ξ, 499. 500. ρ, 134. ψ, 845. ω, 23. Od. ε, 283. λ, 579.

38) De qua cf. Remaclius de comparationibus Homericis III p. 12 et quos laudat Obbarius ad Horatii epistolas I p. 89. Adde commentarios nostros in Horatium II p. 415. IV p. 229.

39) Unum verbi ἰνδάλλεσθαι cum dativo iuncti exemplum, quod Spitzner profert, Od. γ, 246, Nitzschius, cuius notam ipse Spitzner laudat, cum Aristophane sustulit.

hic aberravit, ut dativum poneret. In libris et μεγαθύμου Πηλείωνος (cf. σ, 226. τ, 75) et Πηληϊάδεω Ἀχιλῆος (cf. α, 1. 332. ι, 166. π, 269. 653. ω, 406. Od. λ, 467. ω, 15) fuisse puto.

Σ, 579 Zenodotus κυανέω δὲ λέοντε, Aristarchus σμερδαλέω. Cf. Crameri Anecd. Par. III p. 279. Recte Heynius (VII p. 558) monet, leones fulvo colore debuisse reddi. Zenodotus, quum hic non minus, quam in bovibus materiam indicandam esse censeret, locum e λ, 26. 39 infeliciter tentavit.

Φ, 169 Zenodotus μελίην ἰθυκτίωνα, Aristarchus ἰθυπτίωνα, uterque e libris. Hoc τὴν εἰς ἰθὺ φερομένην, illud ἐπ' εὐθείας ἔχουσαν τὰς κτίδονας (τὰς ἐν τοῖς ξύλοις διαφύσεις) exponunt. Vulgaris v. ἰθυπτίων etymologia eo laborat, quod vocalis ι explicari nequit. Equidem ἰθυκτίων praefero, a radice κτι, quae *laedere* significat. Cf. Pottii quaest. etymol. I p. 203.

De lectione ἱερὴν ἑκατόμβην α, 447, ubi alii κλειτήν, cf. infra c. VIII not. 21.

Ad alia adiectivorum exempla veniamus. B, 318 Zenodotus legit:

Τὸν μὲν ἀριδηλον θῆκεν θεός, ὅςπερ ἔφηνεν·

Alii ἀρίζηλον, Aristarchus, qui ἔφηνεν opponi illi ἀρίζηλον θῆκεν putavit, ἄϊδηλον. Quum ἀρίζηλος aliis legatur Homeri locis atque Pindaro notum sit (Ol. II, 101), Simonidesl in ἀρίδαλος (Schneidewin. del. p. 414) ι recte corripiat [40]), Zenodotum ἀρίδηλον, quae quasi gradatio sit sequentis ἔφηνεν, e coniectura scripsisse contra Langium (II p. 20) statuo. Producit quidem Homerus breves vocales in mediis vocabulis (cf. Spitzner de versu heroico p. 79 sqq.), sed non nisi in iis, quae hac licentia negata versus non admittit.

Γ, 56 recte se habet δειδήμονες (Troiani non audent, quod facere debebant), quod quum Zenodotus non intelligeret, mala avi invexit ἐλεήμονες. Recte Aristonicus: Οὐκ ἐλέουσι δὲ αὐτὸν (Ἀλέξανδρον), ἀλλὰ μισοῦσιν. Cf. Schol. ad h. l. γ, 453. η, 390.

Θ, 562 (de Troianis) Zenodotus:

Μυρί' ἄρ' ἐν πεδίῳ πυρὰ καίετο,

quo Troianorum, quibus Graeci numero superiores erant (β, 123 sq.), multitudinem in immensum augeri monet Aristonicus. Recte ceteri χίλι' receperunt, quamquam Zenodotum μυρί' in libris invenisse non nego.

I, 594 Zenodotus emendavit:

Τέκνα τε δήϊοι ἄγουσι βαθυζώνους τε γυναῖκας,

---

40) Apollonius Rhodius eodem modo ἀρίδηλος vocali correpta (III, 615. IV, 727) habet, at ἀρίζηλος syllaba producta (II, 250. III, 958).

immerito haerens in vulgata lectione *δέ τ' ἄλλοι*, Aristoteli (Rhet. I, 7) nota, quamquam Heynius (V p. 667), quum illi *ἄλλοι* nulla insit vis, Zenodoteam scripturam facile praeferendam esse dicit. Neque Spitzner verum vidit, qui cum Eustathio aliisque *ἄλλοι*, *ἀπὸ κοινοῦ* dictum, etiam ad *κτείνουσι* refert. Conficit rem locus a nemine, quod sciam, comparatus, *γ*, 301 *ἄλοχοι δ' ἄλλοισι δαμεῖεν*. Notissimus est usus v. *ἄλλος* de alienigenis et hostibus. *Δήϊοι* Zenodotus desumpsit e locis *ι*, 76. *σ*, 208.

Σ,400 Zenodotus et Aristophanes *δαίδαλα πάντα*, Aristarchus *δαίδαλα πολλά*, ni fallor, e locis *ξ*, 179 et *σ*, 482. Haesit, opinor, in voc. *πάντα*, quod non recte dici putavit, quamquam facile patet, *πάντα* hic ea significare, quae Eurynome et Thetis postulabant. Quod confirmatur versu *ε*, 60, ubi Aristarchus in altera editione *πολλὰ* scripsit pro *πάντα*.

Od. *ζ*, 137 (de Ulixe, qui nudus puellis apparet) Zenodotus e coniectura, ni fallor:

Ἀργαλέος δ' αὐτῇσι φάνη κεκακωμένος ἅλμῃ.

Aristarchus recte *σμερδαλέος*; tam terribilis enim puellis erat, ut illae eo conspecto fugerent. Minus recte Nitzschius (II p. 107) ad comparationem cum leone factam provocat, quam probe intellexit. *Ἀργαλέος*, quod *molestus, gravis* significat (cf. Nitzschius I p. 101), hic locum non habet. Alii *λευγαλέος*.

Addimus locos, quibus adiectiva cum aliis vocabulis commutata invenimus.

Z, 285 Zenodotus:

Φαίην κεν φίλον ἦτορ ὀϊζύος ἐκλελάθεσθαι [41]),

ubi ceteri *κε φρέν' ἀτέρπου*. Num Zenodotus in *ἀτέρπου ὀϊζύος* haerens locum emendavit? Similis est *λιμὸς ἀτερπὴς* *τ*, 354.

I, 640 sq. (in Aiacis oratione) Zenodotus recte:

Ὑπωρόφιοι δέ τοί εἰμεν

ἄθροοι ἐκ Δαναῶν,

ubi ceteri *πληθύος*. Aristonicus, probante Spitznero: *Πῶς δὲ ἄθροοι ἐληλυθέναι δύνανται δύο ὄντες;* At, ut omittam Phoenicem Ulixis et Aiacis comitem fuisse, *ἄθροοι* hic *collecti* i. e. *ex omnibus una electi* significare videtur, quod aptissimum est, ut *ἐκ* inde pendeat, et *ἄθροοι* explicetur sequenti enunciatione. In *πληθύος ἐκ Δαναῶν* haeseris, quum *πληθὺς* principibus opponatur, qui Ulixem

---

41) Schol. A: *Ζηνόδοτος φίλον ἦτορ*. Schol. L V: *Ἔστι δὲ ἄλλη γραφὴ φαίνη περ*, ubi *φαίην περ* iam Heynius (IV p. 252) emendavit. Error calami videtur in Spitzneri varia lectione *φαίην που*. Zenodotum pro *κέ* dedisse *κέν* sponte patet.

et Aiacem elegerint. Cf. β, 143. 488. λ, 305. ο, 295. 305. Πληθὺς minime idem est, atque λαός, neque Ulixes et Aiax e populo sunt electi, quod contra Heynium (V p. 677) moneo. Aut utrumque in libris legebatur, aut Aristarchus infelicem coniecturam dedit.

K, 98 sq. Zenodotus male scripsit:

Μὴ τοὶ μὲν καμάτῳ ἀδδηκότες ἠδεῖ ὕπνῳ
κοιμήσωνται,

ubi ceteri recte ἠδὲ καί. Zenodoteum ἡδεῖ, quod e δ, 131 huc translatum videtur, loco Od. μ, 281 refutatur, ubi ἡδεῖ ne cogitari quidem potest. Adde Od. ζ, 2, ubi cf. Nitzschius.

P, 171 Zenodotus pro ὦ πόποι rectius legit ὦ πέπον, quam scripturam, ab aliis ascitam, non improbat Schol. A. Spitzner vero: „Hector Lyciorum ducem acerbe increpando, nec amice compellando ad sanam mentem revocare studet." At eadem ratio est loci π, 621, ubi post allocutionem Μηριόνη sequens versus, quo Meriones reprehenditur, ab ὦ πέπον incipit. Exclamatio ὦ πόποι hic vehementior videtur.

Ψ, 533 (de Eumelo) Zenodotus:

Ἕλκων ἅρματα καλά, ἐλαύνων ὠ κ έ α ς ἵππους,

quam unice veram censeo esse scripturam. Alii, quum simplex ἐλαύνειν significare non posse putarent, Eumelum, quia currus fractus erat, iuxta aut post equos ire, quamquam idem v. 536 recurrit, adverbium πρόσσοθεν, Homero ignotum, invexerunt, quod nonnulli, de forma solliciti, in πρόσσωθ' mutarunt. Utrumque, ὠκέας et πρόσσοθεν, Zenodotum in libris invenisse puto.

Pronomina nominum aut aliorum vocabulorum loco Zenodotea nonnunquam habuit recensio.

A, 60 Zenodotus male pro εἰ, quum eadem coniunctio v. 61 recurrat, scribit οἵ. Recte Aristonicus: Οὐ καλῶς· καλὴ γὰρ ἡ ἀπόγνωσις τῆς σωτηρίας, quae non intelligens Heynius (IV p. 32) οὐ καλὴ coniecit. Achilles recte de ulla exercitus parte servanda desperat. Quod Heffter (p. 11) dicit, relativum pronomen non raro poni loco εἰ cum pronomine iuncti, nostram structuram non cadit.

B, 435 Zenodotus:

Μηκέτι νῦν δὴ τ α ῦ τ α λεγώμεθα [42]).

Callistratus, Aristophanem praeceptorem, opinor, secutus pro ταῦτα habuit αὖθι et hiatus evitandi causa δὴ νῦν, Aristarchus vero νῦν

---

42) Δή, quod in Didymi nota excidit, recte Heynius (IV p. 274) restituit. Male Langius (III p. 4) cum Buttmanno (Lexil. II p. 85) δὴ νῦν. Ceterum ex ipsis Didymi verbis non recte colligit Buttmannus, probante Langio, Zenodoteam scripturam e libris esse desumptam, Aristarcheam vero coniecturam.

δήθ' αὖθι. Zenodoteum unice verum videtur, ab iis mutatum, qui ταῦτα non intellexerunt. Spitzner Zenodotum ταῦτα ex aliis locis (ν. 292. υ, 244. Od. γ, 240. ν, 296) invexisse putat. „Sed illic, inquit, confabulantes audimus, ad quorum sermones aptum est pronomen ταῦτα. Nostro loco, quum nibil ejusmodi praecedat, Aristarchi δήθ' αὖθι λεγ. verum crediderim. Colloquendo enim tempus fefellisse duces coenantes verisimile est." Quid vero? Nonne ad hos sermones, quos ipse Spitzner statuit, ταῦτα cum Buttmanno, Freytagio, Langio recte refertur? Tribus locis ἀλλ' ἄγε μηκέτι ταῦτα λεγώμεθα legimus, qua formula ad alia transeunt, semel in initio responsionis: Μέντορ, μηκέτι ταῦτα λεγώμεθα. Nostri loci alia ratio est; inter comedendum nihil commemoratione dignum locuti sunt; dicit enim poeta v. 433 (cf. ω, 634):

Τοῖσι δὲ μύθων ἦρχε Γερήνιος ἱππότα Νέστωρ.

Nihilominus ταῦτα hic aptissimum est; refertur enim ad ea, quae animo agitant, atque explicatur illo ἔργον, ὃ δὴ θεὸς ἐγγυαλίζει in enunciatione μηδ' ἔτι δηρὸν ἀμβαλλώμεθα, quae παραλλήλως adiungitur.

Ο, 587 sq. (de fera) Zenodotus male emendavit:

Ὅςτε κύνα κτείνας ἢ βουκόλον ἀμφὶ οἱ αὐτῷ
φεύγει, πρίν περ ὅμιλον ἀολλισθήμεναι ἀνδρῶν.

Ceteri recte ἀμφὶ βόεσσιν. Zenodotus in βουκόλον ἀμφὶ βόεσσιν haerens, quamquam ἀμφὶ βόεσσιν ad κτείνας pertinet, locum tentavit; ἀμφὶ οἱ αὐτῷ vero intellexisse videtur *prope se ipsum*, ut opponeretur ὁμίλῳ ἀνδρῶν [43]).

Od. ξ, 7 sq. (de αὐλῇ) Zenodotus praetulit:

Ἦν ῥα συβώτης
αὐτὸς δείματο οἶος ἀποιχομένοιο ἄνακτος,

quum, quamquam tota Eumaei villa ad sues custodiendos erat aedificata, tamen de ipsa αὐλῇ id minus apte diceretur (at cf. v. 13. Il. δ, 434), nisi potius, quae invenit, re non pensitata, retinuit. Ceteri δείμαθ' ὕεσσιν. Zenodoteum defendere videtur locus ξ, 449 sq.: Ὃν ῥα συβώτης αὐτὸς κτήσατο οἶος ἀποιχομένοιο ἄνακτος, atque nescio an ὕεσσιν minus desideremus, quam οἶος.

Od. ξ, 171 sq. Zenodotus:

Ἀλλ' ἤτοι κεῖνον μὲν ἐάσομεν· αὐτὰρ Ὀδυσσεὺς
ἔλθοι,

---

43) Alia ratione Zenodoteum intellexit Aristonicus, qui monet: Γίνεται δὲ τὸ ὑπέρβατον οὐ καθ' Ὅμηρον, ὅςτε, κύνα κτείνας ἢ βουκόλον, φεύγει, πρίν περ ὅμιλον ἀολλισθήμεναι ἀνδρῶν ἀμφὶ οἱ αὐτῷ. Quamquam similia hyperbata in Homero statuere audent. Cf. Schol. α, 169.

ubi ceteri ὅρκον. Κεῖνον, quod ad Ulixem referatur, minime aptum, atque vix dixeris, cur Zenodotus ὅρκον spreverit, nisi forte totum locum hoc modo accipiendum esse putavit: ἀλλ' ἤτοι κεῖνον μὲν ἐάσομεν, (v. 174) νῦν (δ') αὖ παιδὸς ἄλαστον ὀδύρομαι, aut potius κεῖνον, e ξ, 183 huc translatum (cf. π, 147. Il. ι, 701), in libris invenit

De *verbis* disserentes primum de verbis finitis, tum de infinitivis, denique de participiis videamus.

E, 226 sq. Zenodotus:

Ἀλλ' ἄγε νῦν μάστιγα καὶ ἡνία σιγαλόεντα
δέξαι, ἐγὼ δ' ἵππων ἐ π ι β ή σ ο μ α ι, ὄφρα μάχωμαι.

Aristarchus ἀποβήσομαι, quod mire interpretabatur ἀποβήσομαι τῆς τῶν ἵππων φροντίδος. At ρ, 479 sq., ubi nostri versus redeunt omnesque ἀποβήσομαι legunt, Automedon, qui loquitur, a curru descendit, quum hic Pandarum et Aeneam in currum ascendere omnia demonstrent. Cf. ε, 239 sq. 275. Hinc recte Zenodotum ἐπιβήσομαι retinuisse cum Wolfio, Humboldtio (opp. V p. 85 sq.), Spitznero statuo. Aristarchus ἀποβήσομαι aut male e ρ, 480 huc translatum in libris quibusdam invenit aut illo versu deceptus infeliciter invexit.

E, 293 Zenodotus, quem multi sunt secuti:

Αἰχμὴ δ' ἐ ξ ε σ ύ θ η παρὰ νείατον ἀνθερεῶνα.

Aristarchus ἐξελύθη, quod intellexit *impetu suo hasta elanguit* (Heynius V p. 55) comparans illud: ἔνθα δ' ἔπειτ' ἀφίει μένος ὄβριμος Ἄρης (υ, 444), quod poeta non nisi loco, quo hasta pervenit, commemorato adhibet. Hanc vero significationem recte illi ἐξελύθη tribui, exempla allata, λύθη μένος, λῦθεν γυῖα, vix comparanda, neutiquam probant. Aristarchum ἐξελύθη e coniectura scripsisse autumo, quum Homerus, qui ab aoristis passivis abstinere solet, nusquam hac forma verbi σεύειν utatur.

H, 127 sq. Nestor de Peleo:

Ὅς ποτέ μ' εἰρόμενος μ ε γ' ἐ γ ή θ ε ε ν ᾧ ἐνὶ οἴκῳ
πάντων Ἀργείων ἐρέων γενεήν τε τόκον τε

Aristonicus: Ἡ διπλῆ, ὅτι Ζηνόδοτος γράφει μ έ γ α δ' ἔ σ τ ε ν ε ν, ἐξ οὗ φανερός ἐστιν ἀνεγνωκὼς μ ε ι ρ ό μ ε ν ο ς, οἷον στερόμενος. Cf. eundem ι, 616: Πρὸς Ζηνόδοτον μεταγράφοντα ὁ π π ό τ ε (ὅς ποτε) μ ε ι ρ ό μ ε ν ο ς μ έ γ α δ' ἔ σ τ ε ν ε ν ἀντὶ τοῦ μ ε γ' ἐ γ ή θ ε ε ν [43a]). Spitzner Zenodotum μεγάλ' ἔστενεν scripsisse suspicatur; at multo est verisimilius, Zenodotum initium versus alio modo legisse, quod, quae nostra Zenodoteae editionis est cognitio, ignorari non mirum

---

43a) De usu verbi μείρεσθαι, Arato aliisque noti, cf. Muetzell. l. l. p. 63.

videtur. Pro μ' εἰρόμενος verbum finitum legisse Zenodotum coniicio, qui in illo μέγ' ἐγήθειν haerens, quod Peleus de Nestoris adventu Achillem ad bellum arcessentis gaudere non posset, locum licenter mutavit. Zenodoto non indignum esset ὅς με ξείνισσεν (cf. γ, 232).

Θ, 166 πότμον ἐφήσω scripsit pro δαίμονα δώσω, ni fallor, e coniectura e δ, 396 ducta. De voc. δαίμων, quod Zenodotum male habuisse videtur, cf. Naegelsbachius de theologia Homerica p. 68 sqq.

Ι, 129 sq. Zenodotus e mera coniectura:

Λεσβίδας, ἅς, ὅτε Λέσβον ἐϋκτιμένην ἕλεν αὐτὸς,
ἐξ ἑλόμην, αἳ κάλλει ἐνίκων φῦλα γυναικῶν.

Recte ceteri ἐξελόμην. Zenodotum μετὰ δ' ἔσσεται fefellisse Aristonicus recte monet. Adde eundem ι, 271: Ἡ διπλῆ, ὅτι τὰς ζ' Λεσβίδας ὑπισχνεῖται, οὐχ, ὡς Ζηνόδοτος, ἐν ταῖς ζ' καὶ τὴν Βρισηΐδα τάττει· ἔστι γὰρ Λυρνησσία. Cf. τ, 245. De Briseide vide β, 690 sqq.

Ι, 158 Zenodotus et Aristophanes pro δμηθήτω legerunt καμφθήτω, fortasse ob sequens ἀδάμαστος, quamquam nihil impedit, quominus utrumque in libris fuerit. Heynio (V p. 564) observanti: „Et potest (καμφθήτω) interpretamentum videri τοῦ δμηθῆναι", non accedo. De Aristarchi coniectura cogitare noli.

Κ, 10 pro Zenodoteo φοβέοντο recte Aristarchus restituit τρομέοντο. Cf. Schol, ν, 25 et quae supra de φόβος et τρόμος ad σ, 247 monuimus.

Κ, 291 Zenodotus:

Ὣς νῦν μοι ἐθέλουσα παρίσταο καὶ πόρε κῦδος,

Aristarchus καί με φύλασσε. Alias Homerus κῦδος ὀπάζειν, κῦδος διδόναι, sed πόρε κῦδος Pindarum hic legisse colligas e loco Pyth. IV, 118 sq. (66): Τῷ κῦδος ἔπορεν. Utrumque in libris fuisse arbitror.

Λ, 492 Zenodotus:

Ὡς δ' ὁπότε πλήθων ποταμὸς πεδίονδε δίηται,

ubi pro δίηται, quod e loco χ, 456 male huc translatum videtur, ceteri κάτεισιν, quod ὄρεσφιν v. 493 commendat. Recte Aristarchus vidit, δίεσθαι agitare, fugare Homero significare, neque μ, 304 ad δίηται h. l. defendendum pertinere. Zenodotus quidem alio loco, π, 92 scripserat προτὶ Ἴλιον αἰπὺ δίεσθαι [44]), sed ex aperta coniectura, quum in προτὶ Ἴλιον ἡγεμονεύειν offenderet.

Λ, 841 Zenodotus σεῖ' ἀμελήσω, Aristarchus, σεῖο μεθήσω, uter-

---

44) Sic recte Bekker, ubi Villoiso νέεσθαι. Ἴλιον αἰπὺ Zenodotus e loco interpolato, ab Aristarcho obelo notato, ο, 71, desumpsit. Ἴλιος αἰπεινὴ saepius legitur. Cf. infra ad σ, 174.

que e libris. Aristarcheam scripturam magis poeticam dicit Schol. A, at Zenodotea ex Homeri usu dicitur, qui ἀμελεῖν cum nomine aut pronomine et participio iungit (cf. ϑ, 330. ρ, 9 sq.), minime μεθιέναι. De elisione pronominis cf. ζ, 454. ψ, 789. Mehlhorn. gramm. p. 109.

M, 59 Zenodotus et Aristophanes κάββαίη, ceteri ἐςβαίη. Utrum Zenodotus versu 65 (οὔ πως ἐστὶν καταβήμεναι) motus καββαίη (cf. κάββαλε) emendaverit, an in libris invenerit, certo diiudicari nequit.

M, 340 Zenodotus πάσας γὰρ ἐπῴχετο, quod significet, ἡ αὐτὴ ἐπὶ πάσας πύλας ἐπῴχετο, Aristarchus πᾶσαι γὰρ ἐπῴχατο (ἐπικεκλιμέναι ἦσαν, ἐπέκειντο), quod sine dubio praeferendum, quum una tantum sit porta. De auctoritate utriusque scripturae in diversas partes disputari potest. Cf. Spitzner [45]).

N, 702 Zenodotus χάζετ', Aristarchus rectius ἵσταιτ' praetulit. Χάζετ' a comparatione, quae sequitur, abhorret, quod Spitzner recte monuit.

Ξ, 37 Aristarchus ὀψείοντες, alii ὀψαΐοντες, Zenodotus οὐ ψαύοντες, quod ferri non potest, quum nimis languide et otiose adderetur. Zenodotus et ὀψαΐοντες et ὀψείοντες in libris invenisse videtur, quae quum non intelligeret, infeliciter emendavit. Cf. supra c. I [46]).

Ξ, 40 Zenodotus, Dionysius Sidonius et Herodianus πῆξε, Aristophanes et Aristarchus πτῆξεν. Aristarchus versum obelo notavit, monens: Ὅτι καὶ ἐκ τῶν προειρημένων νοοῦμεν, ὅτι Νέστωρ ἐστὶν ὁ γεραιός, καὶ τὸ π τ ῆ ξ ε ἄκυρον· ἐπὶ γὰρ τῶν ἀπολελυμένων τῆς ἀγωνίας καὶ τοῦ τῆς ψυχῆς παλμοῦ (Heynius recte τῇ ἀγωνίᾳ et τῷ παλμῷ) ἁρμόζει. Cf. Eust. Zenodotus, quum πτῆξε minus aptum videret πῆξε (ἐν οἵῳ τρόπῳ καὶ ἐν τῷ βίῳ φαμὲν πεπηγέναι τινὰ τῷ φόβῳ Didymus), quod Aristophanes et Aristarchus reiecerunt; transitivum enim verbi πτήσσειν usum seriorum esse, neque Homerum id ad animum transferre [47]).

---

45) In Schol. A bis pro πάσας legendum est πᾶσαι, quod ipsa Aristarcheae scripturae interpretatio ostendit.

46) Zenodotum formam desiderativam cum genitivo iunctam offendisse Spitzner coniicit; immo criticus Ephesius haesit, quod ὀψείοντες de αὐτή, clamore bellico, et heroes vulnerati pugnae videndae cupidi dicerentur.

47) Schol. B. L: Ἡρωδιανὸς π ῆ ξ ε ν ἀποδέχεται, ἵν' ᾖ τὸ ἐν ἀκινησίᾳ ἐποίησεν· ἐπί τινι γὰρ χαλεπῷ τὴν ἀποχώρησιν αὐτοῦ ὑπώπτευσαν· ἢ μᾶλλον ἐπέῤῥωσεν· ἡ γὰρ ἐλπὶς αὐτῶν ὁ λόγος αὐτοῦ. Heynius (VI p. 530) nemini πλῆξε in mentem venisse dicit. At Schol. V: Καίτοι ἠθέτει τὸν στίχον, οἱ δὲ γράφουσι π λ ῆ ξ ε, ubi cum Spitznero scriberem πῆξε, si idem Schol. Zenodoteum πῆξε non commemoraret.

Ξ, 348 Zenodotus *ἵν᾽ ἀπὸ χθονὸς ἀγκαζέσθην*, Aristarchus *ὅς ἀπὸ χθονὸς ὑψόσ᾽ ἄεργεν*. Atque ὅς et *ὑψόσ᾽* omnes editiones praeter unam Zenodoteam habuisse videntur, in extremo tantum vocabulo non idem tuentes. Chia *ἵκανεν*, aliae, Didymo auctore, *ἄειρεν* et *ἔερπεν*. Aristarchus *ἄεργεν* recte restituisse videtur. Zenodotus hunc versum e *ρ*, 722 temere mutavit, non cogitans, *ἀγκάζεσθαι amplecti*, nunquam vero significare *amplexu tenere*. Cf. *ν*, 346.

Ξ, 351 Zenodotus pro *ἀπέπιπτον* habuit *ἀνέπιπτον* [48]), quorum prius rorem e caelo cadentem clarius vividiusque describit. Utrumque in libris fuisse puto.

Ξ, 366 Zenodotus *ἔλπεται* praetulit, Aristarchus *εὔχεται*, ab omnibus probatum. Aristonicus: *Ἁρμόζει δὲ τῷ προςώπῳ τὸ εὔχεται, καυχᾶται.* Cf. *ι*, 241. *Ἔλπεται* vix apte cum *οὕτω* conjungitur.

Ξ, 437 Aristarchus *ἀπέμεσσεν*, Zenodotus *ἀπέμασσεν*, alii *ἀπέσεισεν*, omnes, ni fallor, e librorum auctoritate. Aristarcheum vere praefert Heynius (VI p. 607), „quum praesentius vitae periculum declaret et metum de salute Hectoris iniiciat, tum vero vulneris naturae conveniat et mox repetatur *ο*, 9—11." Sanguinem evomit, quo facto viribus defectus in terram cadit.

O, 207 Zenodotus:

Ἐσθλὸν καὶ τὸ τέτυκται, ὅτ᾽ ἄγγελος αἴσιμα εἴπῃ.

Aristarchus *εἰδῇ* ex usu Homerico. Cf. Od. *θ*, 586. *τ*, 329. 332. *Αἴσιμα εἰδὼς* Od. *β*, 231. *ε*, 9, *αἴσιμα ᾔδη* Od. *ξ*, 433, *αἴσιμα παρειπὼν* *ζ*, 62. *η*, 121. Voc. *ἔπος* praecedentis versus Zenodotum ad locum mutandum movisse videtur, nisi iam utrumque in libris invenit. Sapientiam nuncii Neptunus laudat. Spitzner: „Legatum sapientia instructum sapienter etiam dicere consequens est."

Π, 202 Zenodotus *μητιάασθε*, Aristarchus recte *μ᾽ ᾐτιάασθε* restituit. Zenodoteam scripturam e libris haustam Aristonicus immerito dicit *ἀδιανόητον*. Spitzner: „Zenodotus verecundiae militaris esse putavit *μητιάασθε*, sed Homeri milites libera oris contumacia utuntur." At tum *ἀπειλάων* (v. 200) et sequentis orationis (v. 203 sqq.) vehementiam tollere debuisset.

Π, 807 Zenodotus *σχεδὸν οὔτασε* scribit, Aristarchus *σχεδόθεν βάλε*, ni fallor, e mera coniectura, quod *οὐτάσαι* non nisi de vul-

---

48) Schol. V: *Ζηνόδοτος γράφει ἀνέπιπτον ἀντὶ τοῦ ἐπέπιπτον, ὡς χρυσέαισιν ἀν᾽ ἵπποις* (Pind. Ol. I, 66 (41), unde vides *ἀνέπιπτον* indubitatam esse Schol. V scripturam. Schol. A aut error ipsius Schol. ex Aristonico haurientis obtinet, aut pro *ἀπέπιπτον, Ζηνόδοτος ἐπέπιπτον* legendum *ἀπέπιπτον, Ζηνόδοτος ἀνέπιπτον ἀντὶ τοῦ ἐπέπιπτον.*

neribus cominus inlatis dicatur [49]). Cf. Schol. π, 807. 812. 819. 828. ϱ, 15. Lehrs. p. 61 sqq. At, quamquam non negamus Homerum, qua Aristarchus voluit, ratione *βάλλειν* et *οὐτάσαι* distinxisse, nonnunquam tamen utrumque latiore significatione adhibere potuit [50]). Quae Heynii l. l. et Spitzneri ad π, 467 sententia fuisse videtur. Zenodoteum igitur cur Aristarcheae cedat coniecturae, non video.

P, 54 Zenodotus:

Χώρῳ ἐν οἰοπόλῳ, ὃ ἅλις ἀναβέβροχεν ὕδωρ [51]),

alii *ὅθ᾽ ἅλις ἀναβέβρυχεν* [52]), quos miror non observasse, penultimam v. *βέβρυχα* syllabam produci. Cf. ϱ, 264. Od. μ, 242. Quomodo Spitzner dicat: „Mediae correptae eo erit venia parata, quod verbum est *ὀνοματοποιητικόν*", non video. Nescio an *ἀναβέβροχεν* non solum Zenodoti, verum etiam Aristophanis et Aristarchi, qui in prosodia observanda vix ita errare potuit, fuerit scriptura.

Σ, 34 Zenodotus *ἀποτμήξειε*, Aristarchus *ἀπαμήσειε*. Idem Aristarchus λ, 146 *πλήξας* pro *τμήξας*, et nescio an scriptura nonnullorum Od. κ, 440 ab Eustathio commemorata *ἀποπλήξας* pro *ἀποτμήξας* Aristarchi fuerit, ut verbi *τμήγειν* significationem, qua *πλήσσειν* sit, ex Homero sustulisse videatur. Num Aristarchus hic *ἀπαμήσειε* ex Od. φ, 300 sq. scripsit?

Σ, 466 Zenodotus et Aristophanes *παρέξομαι*, Aristarchus *παρέσσεται*, quod non nisi de donis Achilli offerendis legitur. Cf. α, 213. ι, 135. 277. Aut utrumque in libris erat, aut Zenodotus, cui

49) Rem pervertit Heynius (VII p. 270), qui dicit Zenodotum *σχεδὸν οὔτασε* dedisse, „ne *βάλλειν* contra usum Homericum dictum esset." Aristarchi praeceptum de his verbis distinguendis Zenodotus ne novit quidem. Heynium fefellerunt Aristonici verba, non satis recte prolata: *Ἀγνοεῖ δὲ, ὅτι ἐκ βολῆς τέτρωται.* Cf. infra c. IX not. 6.

50) Contra Aristarchum bene monuit Seleucus: *Οὐ δύνασθαι σχεδὸν βάλεν* (lege *λέγεσθαι σχεδόθεν βάλεν*). Nam, quamvis dicas, *σχεδόθεν* indicare non procul abfuisse Euphorbum a Patroclo (cf. ζ, 121. ν, 559. ϱ, 600. Lehrs. p. 71), probe animadvertendum est, nunquam *σχεδὸν* apponi, nisi in vulneribus cominus inlatis, et *σχεδὸν οὔτασε* (ε, 458. 883. ϱ, 601), *σχεδὸν ἤλασε* (ν, 576), *σχεδὸν τύψε* (υ, 378. 462) et similia (cf. φ, 179), nunquam *σχεδὸν* sive *σχεδόθεν βάλεν* legi.

51) Schol. A: *Ζηνόδοτος διὰ τοῦ ō ἀναβέβροχεν.* At tum Zenodotus vix *ὅθ᾽* legere potuit, sed *ὅ*, ut vestigia a digamma relicta non oblitteraverit. Iam Bentleius ob digamma v. *ἅλις* coniecerat *ὅ*. Cf. Heynius VII p. 301.

52) Schol. br.: *Ἀναβέβροχεν ἀντὶ τοῦ ἀναπέπωκεν* (Od. μ, 240)· *ἐὰν δὲ ἀναβέβρυχεν, δηλοῖ ἀναβρύειν, ὅ ἐστιν ἀναπηδᾶν καὶ ἀναβάλλεσθαι μετὰ ψόφου.*

παρίσσεται non satis accurate dictum videretur, *παρίξομαι* emendavit, quod Aristarchus recte sustulit et ob verbi significationem, quae hic non satis apta videtur, et ob formam futuri medialem, Homero ignotam. Cf. Od. *θ*, 39. *σ*, 317.

Σ, 485 Zenodotus *ἐστήρικται* coniecit e *λ*, 28. Aristophanes *ἐστεφάνωται* [53]) restituit e libris, sed Aristarchus aliam tentavit emendationem, *οὐρανὸς ἐστεφάνωκεν*, quamquam activa huius verbi forma Homero et prioribus epicis ignota est. Haesit Aristarchus immerito in structura. Cf. Spitzner exc. XXVIII. Clemens l. l. p. 11 sq.

Υ, 11 Zenodotus *ἐφίζανον*, quam Aristarchi scripturam non fuisse e *διπλῇ περιεστιγμένῃ* versui appicta videmus; scripsit igitur ille aut *ἐνίζανον*, quod in codice Veneto invenimus, aut *ἐνίδρανον*, quam varietatem annotatam invenimus. Utrumque, et *ἐνίζανον*, Homero ignotum, et *ἐνίδρανον*, quae nova est forma atque vix probanda, ex *ἐφίζανον* male intellecto fluxisse videtur. Zenodoteum in libris praevaluit [54]).

Ψ, 759 Zenodotus *ἔκθορ'*, Aristarchus *ἔκφερ'*. Provocant editores ad v. 376 sq., ubi Zenodotum *ἔκθορον* et *ἐξέθορον* dedisse suspicor. Aut utrumque legebatur in libris, aut Zenodotus verbum non intellectum coniectura expulit.

Ω, 110 Zenodotus et Aristarchus in libro *πρὸς Κωμανὸν* (cf. Didymus *α*, 97. *β*, 798) *προϊάπτω*; quae vero Aristarchearum editionum scriptura fuerit, neque Didymus novit, neque aliunde scimus, quamquam a vero non prorsus abhorret, Aristarchum in altera editione *προτιάπτω* praetulisse, quod posteriores pro *προϊάπτω* recte receperunt, quum et praepositio et ipsum, quocum composita est, verbum *ἰάπτειν* vix locum habeat [55]).

Od. *α*, 261 sq. Zenodotus:

---

53) Aristophanes e libris accusativum *οὐρανὸν* dedisse videtur. Utrum Zenodotus *οὐρανόν*, quae Heynii est sententia (VII p. 523), an *οὐρανῷ* scripserit, dubitaveris.

54) *Ἐφίζανον* Aristonicus, probante Heynio (VIII p. 8), reiicit, quia *αἴθουσαι* sint *στοαὶ καὶ στυλωταὶ ἕδραι ἢ τόποι ὑφ' ἡλίου καταλαμπόμενοι*. At *ἐφίζανον* non *consederunt*, sed *adsederunt* significare bene monet Spitzner. Cf. *κ*, 26, 578.

55) Didymus: *Ἀπολλόδωρος καὶ Ἀρητιάδης καὶ Νεοτέλης καὶ Διονύσιος ὁ Θρᾷξ διὰ τοῦ τ̄ τὴν πρόθεσιν γράφουσι καὶ δασύνουσι τὸ ᾱ, ἵνα ᾖ προςάπτω, ἀνατίθημι· οἱ δὲ χωρὶς τοῦ τ̄ ἔγραψαν καὶ ἐψίλωσαν τὸ ᾱ, ἵνα ταὐτὸν ὑπάρχῃ τῷ προϊάλλω, οἷον δίδωμι, προπέμπω.* Recte Heynius (VIII p. 613) vidit, Zenodotum et Aristarchum dedisse *προϊάπτω*, non, quod Spitzner posuit, Didymo male intellecto, *προϊάλλω*. Ceterum nemo, quod sciam, adhuc monuit, verba *οἷον δίδωμι* eiicienda esse, quae Spitznerum fefellerunt, quamquam *ἵνα ταὐτὸν ᾖ* hic idem esse, atque supra *ἵν' ᾖ*, eum latere non debuit.

Φάρμακον ἀνδροφόνον διζήμενος, ὄφρα δ α ε ί η
ἰοὺς χρίεσθαι χαλκήρεας.

Quam scripturam Schol. recte monet refutari versu 263, ubi Homerus dicat *δῶκεν*, non *δεῖξεν*. Recte alii, fortasse iam Aristophanes, praetulerunt *οἱ εἴη*. De Zenodoti coniectura cogitare nolim. Cf. Nitzschius I p. 46.

Od. *γ*, 11 Zenodotus male retinuit *σεῖσαν* pro *στεῖλαν*. Schol.: *Τότε δὲ σείουσιν, ὅτε θελήσωσι χαλάσαι τὸ ἄρμενον.* Cf. Il. *α*, 433: *Ἱστίαδε στείλαντο.*

Od. *γ*, 380 Zenodotus:

Ἀλλά, ἄνασσ᾽, ἐ λ έ α ι ρ ε, δίδωθι δέ μοι κλέος ἐσθλόν,

ut Od. *ζ*, 175. Cf. Od. *ε*, 450. Ceteri *ἵληθι*, ut Od. *π*, 184. Quum Nestor hic deam imploret, quae benevolentiam suam tam aperte declaraverat, quaeque ipsa praesens fuerat, *ἵληθι* multo videtur aptius.

Od. *μ*, 209 Zenodotus:

Οὐ μὲν δὴ τόδε μεῖζον ἔ χ ε ι κακόν.

Alii *ἔπει*, alii *ἔπι*, alii *ἔτι*. *Ἔπι* recte se habet, quamquam dubitat Spitzner de versu heroico p. 45. Cf. Nitzschius III p. 395. *Ἔχει* et *ἔπει* emendationes sunt ex *ἔπι* non intellecto ortae et nescio an iam in libris a Zenodoto adhibitis obviae.

Od. *μ*, 422 Zenodotus *ἔαξε*, nisi potius *ἦξε* (cf. supra c. III), male huc translatum ex Od. *ε*, 316. Aristarchus et plurimae editiones *ἄραξε*, quod ob sequens *ποτὶ τρόπιν* praestat.

Pauca sunt *infinitivi* exempla huc pertinentia.

Λ, 831 Zenodotus male retinuit *διδάασθαι*, quod *indagare*, *investigare*, non *didicisse* significat. Cf. Od. *π*, 316. Recte ceteri *δεδιδάχθαι*.

N, 2 (adde Od. *θ*, 529) Zenodotus:

Τοὺς μὲν ἔα περὶ τῆσι πόνον τ᾽ ὀ χ έ μ ε ν καὶ ὀϊζύν.

Alii *ἐχέμεν*. *Ἔχειν ὀϊζὺν* habes Od. *λ*, 620 sq. *π*, 415 sq., *ἔχειν πόνον* *ε*, 667. *ζ*, 525. *ο*, 416. Od. *ν*, 423, at *ὀχέοντας ὀϊζὺν* Od. *η*, 211, *κακὸν μόρον ὀχέεσκον* Od. *λ*, 618 sq., *ἄτην ὀχέων* Od. *φ*, 302. *Ὀχέμεν*, quod est *tolerare*, *sentire* (*ἐχέμεν* tantum significat in eo, quem accusativus designat, esse statu), hic nimis forte videtur [56]).

N, 367 Zenodotus *ἀπωσέμεν*, Aristarchus *ἀνωσέμεν*. *Ἀνωσέμεν*

---

56) Non video, quid contra *ὀχέμεν* Spitzneri valeant argumenta: „Primum verbi illius potestas intercedit, qua quis mala sua sive infelicitatem secum quasi auferre dicatur (?); tum Ilias eo prorsus caret; ad postremum vulgare a libris et grammaticis omnibus comprobatur." Inde, quod Aristarchus aut traditio, quae post eum obtinuit, *ἐχέμεν* probaverit, hanc scripturam genuinam esse non efficitur.

praeferendum, ut ex usu Homerico non solum, unde (ἐκ Τροίης), sed etiam, quo pellantur Graeci, indicetur, nam ἀνωσέμεν (cf. ἀναχωρεῖν) *repellere* (scil. in Graeciam) significat [57]. Suspiceris Zenodotum, illo ἀνωσέμεν non intellecto, ἀπωσέμεν, ubi praepositio nihil fere valet, quum ἐκ Τροίης addatur, male coniecisse.

Ξ, 88 sq. (in Ulixis oratione) Zenodotus:

> Οὕτω δὴ μέμονας Τρώων πόλιν εὐρυάγυιαν
> ἐκπέρσειν, ἧς εἵνεκ᾽ ὀϊζύομεν κακὰ πολλά;

Ad haec inrisio Ulixis oratione indigna et vix Homerica videtur. Recte, ni fallor, iam Aristophanes καλλείψειν restituit. Ἐκπέρσειν Zenodoti, οὕτω καλλείψειν male iungentis, coniectura videtur. De usu adverbii οὕτω in interrogationibus cf. β, 158. 174. Od. ε, 204.

De loco π, 92, ubi Zenodotus pro ἡγεμονεύειν scripsit αἰπὺ δίεσθαι, iam monuimus ad λ, 492.

De *participiis* nunc videamus.

Α, 34 Zenodotus e coniectura:

> Βῆ δ᾽ ἀχέων παρὰ θῖνα πολυφλοίσβοιο θαλάσσης,

ubi ceteri ἀκέων, quod Platonem legisse recte monet Faerber l. l. p. 614 [58]. Ἀκέων hic opponitur sequenti ἠρᾶθ᾽ ὁ γεραιός v. 35). Quis sibi eripi patiatur senem, animo agitatum et summo, quo deprimitur, maerore tacentem, cum mari fluctibus strepente compositum? Ἀκέων vero recte dicitur de eo, qui animo agitatur. Cf. α, 512. δ, 22. θ, 459. Od. κ, 52. ρ, 465. υ, 485. Ἀχέων hic nimis languidum et exile esset. Zenodotus non magis patris silentium intellexit, quam nuper Heffter et Langius [59].

Α, 47 Zenodotus de Apolline, teste Aristonico μ, 463, scripsit: Ὁ δ᾽ ἤϊε νυκτὶ ἐλυσθείς, quod Wolfius l. l. non pravi iudicii specimen habuit, Heffter magis poeticum dicit, quam, quod vulgo legitur, ἐοικώς. Zenodotus, qui νυκτὶ ἐοικώς, huic loco, quo omnia

---

57) Spitzner de Zenodoto et prioribus dicere non debuit: „Cogitarunt ergo non de reditu Graecorum in patriam, sed de Troia ab obsidione liberanda." Cf. supra c. II not. 36.

58) Plato enim loco notissimo (Rep. III p. 394 A) v. 33 sq. reddit: Ὁ δὲ πρεσβύτης ἀκούσας ἔδεισέ τε καὶ ἀπῄει σιγῇ. Heffter (p. 11) ipse videat, quo iure, Aristonici verbis: "Ὅτι ὁ Ζηνόδοτος διὰ τοῦ χ̄, ἀχέων, laudatis, addat: „*Ergo* antiquius ἀχέων fuit?" Undenam scit, ante Zenodotum ἀκέων non obtinuisse? Quis spondet, Zenodotum ἀχέων in libris invenisse?

59) Wolfius in censura laudata p. 152 et Prolegg. p. CCXII ἀχέων non omnino improbat. Langius vero (I p. 6), quem Heffter sequitur: „Si reputaveris patrem ob filiam sibi recusatam summo dolore adfectum esse, Zenodoti lectionem huic loco aptiorem esse vix negabis."

deum iratum indicant, aptissimum (cf. μ, 463. Od. λ, 605), non intellexit, versum infelicissima emendatione corrupit. Iratus deus ab Olympo properat et vultus iram prodit. Quomodo Apollo non cernatur, poeta non curat, qui ne locum quidem memorat, quo consederit. *Νυκτὶ* pro *νεφέλῃ* vix loco ε, 23 satis defenditur, atque accusativus aut dativus ex Homerico usu deesse non potest. Cf. ε, 186 *νεφέλῃ εἰλυμένος ὤμους*. ο, 308 *εἱμένος ὤμοιιν νεφέλην*. *Ἐλυσθεὶς* ex Od. ι, 433 male huc translatum est. De dis nube se ipsos aut alios tegentibus cf. Naegelsbachium de theologia Homerica p. 24 et Geierum in ephemer. stud. antiquit. 1840 p. 630 sqq.

Α, 351 Zenodotus *χεῖρας ἀναπτάς*, Aristarchus *χ. ὀρεγνύς*, alii *χ. ἀνασχών*. *Χεῖρας ὀρεγνὺς* habemus χ, 37, *χεῖρ' ὀρέγων εἰς οὐρανὸν ἀστερόεντα* ο, 371. Od. ι, 527 (cf. ω, 506. Od. μ, 257. ρ, 366), *χεῖρας ἀνασχὼν* γ, 275. ε, 174. σ, 75. τ, 254. Od. ν, 355. ρ, 239. υ, 97, *χεῖρε πετάσσας* δ, 523. ν, 549. ξ, 495. φ, 115, *πιτνὰς χεῖρας* Od. λ, 392. Et *ἀναπτάς* (cf. Lobeckii Rhemat. p. 107) et *ὀρεγνὺς* in libris fuisse, *ἀνασχὼν* vero postea inlatum esse iudico. Quum Achilles minime manus in mare protendat, ubi mater habitat, sed ex usu sollemni manus sublatas extendat (cf. Naegelsbach. l. l. p. 190), hic *ἀναπτὰς* praeferendum videtur [60]), quae Heynii (IV p. 97), Langii et Heffteri sententia est.

Α, 434 Zenodotus *ὑφέντες*, quod in hymn. in Apoll. 504 legimus, ubi noster versus recurrit, Aristarchus *ἀφέντες* (cf. c. I) praetulit, quia verbum *ὑφίημι* alias Homero *supponere* significare videbat. At cur tam arctis finibus, praesertim in terminis ad artem pertinentibus, Homeri usum circumscribamus? Atque *ὑφέντες* apud posteros obtinuit.

Β, 314 Zenodotus *τιτίζοντας*, ceteri *τετριγῶτας*, quod Aristonicus defendit: *Εὐτελὴς δὲ ἡ λέξις (τιτίζοντας)· κατὰ φύσιν γὰρ φθεγγόμενοι τιτίζουσιν, οἱ δὲ κατεσθιόμενοι τρίζουσιν*. Cf. Schol. δ, 412. Eust. p. 229, 20 sq. 490, 41. At reponi potest, pipilare proprie de clamore passerculorum dici et hic coniungi *ἐλεεινὰ τιτίζοντας* ad anxium passerculorum de vita timentium clamorem significandum. Aristarchus, qui *τιτίζοντας* et *τετριγῶτας* in libris invenit, recte *τετριγῶτας* praetulisse videtur, quum *τρίζειν*, quod de quovis stridore dicitur, optime passerculorum vocem metu agitatorum exprimat, neque naturalis eorum sonitus proprio vocabulo indicetur, quod hic putidum fere videretur, necesse sit [61]).

---

60) Male praecepit de imprecationibus Aristarchus, quod e Scholio ι, 568 videmus, unde hic *ὀρεγνὺς* elegit.

61) Nunc mihi audi Langium (II p. 19 sq.) haec tradentem:

Δ, 277 Zenodotus ἄνευθεν ἰόντι praetulit, Aristarchus ἄνευθεν ἐόντι, quum probe intelligeret, hic minime de pastore abeunte (ἄνευθεν ἰόντι), sed de eo agi, qui procul abest a mari.

Z, 135 pro φοβηθεὶς emendavit χολωθεὶς ob sequens δειδιότα (v. 137), ne idem bis diceretur; at iram dei hic inepte interponi, non est, quod uberius demonstrem. Suspicari quidem possis, Zenodotum metum deo indignum habuisse, sed tum etiam v. 137 eiicere debuit, quod num fecerit, dubito.

I, 612 Zenodotus:

Μή μοι σύγχει θυμὸν ὀδυρόμενος, κινυρίζων [62]).

Aristarchus ἐνὶ στήθεσσιν ἀχεύων praetulit. Vulgata scriptura ὀδυρόμενος καὶ ἀχεύων e locis ω, 128. Od. β, 23. δ, 100. ξ, 40 huc translata est. Κινυρίζων bene rem, de qua agitur, designat, ut de veritate scripturae Zenodoteae, quae certe significantior est Aristarchea, non dubitem. Achilles rem recte auget, Phoenicem monens, ne lamentationibus ipsum fatiget. De duobus participiis ἀσυνδέτως positis cf. Matthiae gramm. §. 557, 3. Bernhardii synt. p. 473. Hermann. Soph. Oed. Col. 175. Hic asyndeton gradationem bene indicat. Aristarchus scripturam minus vivide rem describentem recepit.

O, 307 Zenodotus βοῶν, Aristarchus βιβάς [63]). Βοῶν, fortasse iam ante Zenodotum e β, 224 huc translatum, nostro loco minime

---

„*Pipilant* passerculi etiam moribundi, non *stridunt*, ut spectra et vespertiliones (Il. ψ, 101. Od. ω, 5 sqq.) aut ut terga luctantium (Il. ψ, 714). — Altera quoque re vulgata in suspicionem vocatur. Post mutam enim litteram ο in derivatis perfecti formis non producitur, nisi in hoc uno τετριγῶτας, pro quo Homerus aut τετριγότας dixisset, aut metro cogente τετρίγοντας, ut et κεκληγότες et κεκλήγοντες dixit, non κεκληγῶτες. Sed Aristarchus (cf. Schol. Il. π, 430. Od. ξ, 30) κεκληγῶτες ausus est scribere. Ergo est facile divinare, qui τετριγῶτας in hunc locum induxerit." At κεκληγῶτας in altera editione scripsit, et nostro loco τετριγῶτας dedit, quod optimi libri praebuerunt; minime, quae Langii sententia est, formas in -ῶτας temere invexit. Atque κεκληγῶτες iam Apollonium Rhodium in Homero legisse ostendit locus Argon. IV, 876.

62) Non erat, cur Spitzner Zenodotum μινυρίζων (ε, 889. Od. δ, 719) dedisse suspicaretur. Κινυρίζω descendit a κινυρός (λ, 20. ρ, 5). Cf. Lobeckii Rhemat. p. 226. Aristonicus contra Zenodotum monet: Ἔστι δὲ οὐχ Ὁμηρικὸν καὶ παρὰ τὸ πρόσωπον.

63) Schol. A hic non corruptus est, quod Spitzner II p. 24 voluit, sed, ut in annotationibus contrahendis fit, falsa tradit, quum lectionem βιβῶν, quae aliorum fuit, Aristarcho tribuat. Aristarchus η, 213. ο, 686 βιβάς, ν, 371 βιβάντα scripsit, ubi alii βιβῶν, βιβῶντα, unde de Aristarchea nostri loci scriptura vix dubitabis. Ceterum Aristarchum non minus γ, 22, ubi nunc βιβῶντα, βιβάντα dedisse coniicio.

convenit, ubi Hectorem heroica fortitudine ingredientem et mirum Apollinis incessum poeta describit.

Π, 222 sq. Zenodotus et Aristophanes:

Τὴν οἱ Θέτις ἀργυρόπεζα
θῆκ' ἐπὶ νηὸς ἰόντι, ἐῢ πλήσασα χιτώνων.

Ceteri ἄγεσθαι. Cf. Od. ν, 216: Μή τι μοι οἴχωνται κοίλης ἐπὶ νηὸς ἄγοντες, ο, 452: Τόν κεν ἄγοιμ' ἐπὶ νηός, τ, 238 (cf. ψ, 238): Ἤ τις ἑταίρων δῶκε θοῆς ἐπὶ νηὸς ἰόντι. Ex hoc, quem ultimum posui, loco Zenodotum emendasse nostrum et non solum ἰόντι, verum etiam δῶκ' pro θῆκ' dedisse suspicor, quum non intelligeret, ἐπὶ νηὸς et ad θῆκ' et ad ἄγεσθαι pertinere. Ad θῆκε cf. Od. ε, 265. 267.

P, 268 Zenodotus:

Ἀρθέντες σάκεσιν χαλκήρεσιν.

Aristarchus φραχθέντες, uterque, ni fallor, e libris. At ex usu Homerico φράξαντες σάκεα, minime vero φραχθέντες σάκεσιν dici contendo. Cf. ν, 130: Φράξαντες δόρυ δουρί, σάκος σάκεϊ. Her. IX, 61: Φράξαντες τὰ γέῤῥα. Ἀρθέντες σάκεσιν vero recte se habet. Cf. μ, 104: Ἀλλήλους ἄραρον τυκτῇσι βόεσσιν. π, 211: Μᾶλλον δὲ στίχες ἄρθεν. 213. Ὣς ἄραρον κόρυθές τε καὶ ἀσπίδες. Quomodo Spitzner dicat, Zenodotum imagini, poetae animo obversanti, parum prospexisse, haud adsequor.

Σ, 160 Zenodotus μέγα ἀχέων emendavit, quum Hectorem clamantem (μέγα ἰάχων, quae ceterorum scriptura erat) non ferret [64]. Clamore Troianorum animos erexit Hector, ut ne fugerent, sed Patrocli cadaver Graecis eriperent. Cf. ρ, 213: Βῆ ῥα μέγα ἰάχων. ξ, 421: Οἱ δὲ μέγα ἰάχοντες. Adde δ, 506. π, 785. ε, 302. ρ, 317. υ, 285. 382. 443. Μέγα ἀχέων Homerus non novit.

Υ, 331 Zenodotus καί μιν νεικείων, Rhianus τὸν καὶ νεικείων (cf. Crameri Anecd. Par. III p. 291), quorum prius in versu de Iro mendico Od. σ, 9, alterum de Menelao Antilochum increpante ψ, 438 legitur. Cf. β, 224. 243. Quod nunc legitur καί μιν φωνήσας eorum esse videtur, qui νεικείων de Neptuni oratione, quae sequitur, vere dici non posse putarunt. At νεικείων aptissimum videtur, quum Neptunus Aeneam ἀτέοντα (v. 332) vocet eumque de pugna cum Achille, cui impar sit, ineunda imprudenter cogitasse moneat.

Od. β, 81 pro δάκρυ' ἀναπρήσας Zenodotus δάκρυα θερμὰ χέων (cf. η, 426. π, 3. σ, 17. 235. Od. δ, 523. ω, 46), quo eum ἐκλελυκέναι τὴν μεγαλειότητα τοῦ στίχου Schol. monet [65]. Exquisitio-

---

64) Aristonicus: Πρὸς τί δὲ λυπούμενος ἑστήκει, ἀλλ' οὐκ ἰάχων καὶ ἐπεγκελευόμενος τοῖς Τρωσὶν ἀφαιρεῖσθαι τὸν νεκρόν;

65) Eandem Zenodoti scripturam Il. ι, 433 fuisse non est, quod dubitemus, quamquam nulla varietas annotatur.

rem scripturam, fortasse Zenodoti coniectura sublatam, Aristophanes aut Aristarchus recte restituit. Cf. Buttmann. Lexil. I p. 104 sqq. Nitzsch. I p. 80.

Od. δ, 370 Zenodotus pro ἥ δ' ἐμεῦ ἄγχι στᾶσα scripsit ἥ δέ μοι ἀντομένη, nescio an voc. συνήντετο v. 367 ad versum mutandum inductus 66). Ἄγχι στᾶσα habemus Od. ζ, 56. κ, 400. 455, ἀγχοῦ ἱστάμενος β, 172. 790. γ, 129. δ, 92. 203. Od. δ, 25. ρ, 349.

Od. ε, 142 (adde η, 250) Zenodotus ἐλάσας, ceteri, quod iam Aristophanem aut Aristarchum recte restituisse suspicamur, ἔλσας. Cf. Buttmann. Lexil. II p. 143 sqq. Nitzsch. II p. 25 67).

Od. κ, 70 μαλακοῖσιν ἀμειβόμενος pro μαλακοῖσι καθαπτόμενος emendasse videtur, quum non intelligeret, quod Aristarchus docuit, καθάπτεσθαι mediae esse significationis. Cf. Schol. Od. β, 39 68). Eundem Zenodotum α, 582 ἀμείβεσθαι, Od. ω, 393 ἀμειβόμενος et Od. β, 39 ἔπεα πτερόεντα προςηύδα emendasse suspicamur.

Restant tria exempla participiorum cum aliis vocabulis commutatorum.

B, 297 pro παρὰ νηυσὶ κορωνίσι scripsit παρὰ νηυσὶν μίμνοντ', quum dualem explicaret *ego et vos*; nam versu 296 eum νεμεσίζομαι ἡμᾶς dedisse suspicor 69). Zenodotum μίμνοντ' non in libris invenisse, sed, quum participium desideraret, e coniectura scripsisse iudico.

I, 660 Zenodotus e locis similibus (ω, 648. Od. η, 340. ψ, 291) pro ὡς ἐκέλευσε, quum in verbo ἐκέλευσε, quod iam versu 658 adfuit, repetito haereret, ἐγκονέουσαι emendavit, quod Heynius (V p. 682) ob ἐπιπειθόμεναι reiecit. Zenodoteae emendationis argumentum perspexit Spitzner.

---

66) Vides hac scriptura recepta Zenodotum in extremo versu ἔπος φάτο φώνησέν τε scribere non potuisse. Legit, ni fallor, ἔπεα πτερόεντα προςηύδα (cf. δ, 92. 203. Od. δ, 25), sive ἔπεα πτερόεντ' ἀγορευεν (cf. Od. ρ, 349).

67) Schol.: Οἱ δὲ ἔλσας· ποιητικώτερον γάρ· ἔλσας μὲν τὸ συστρέψας, ἐλάσας δὲ τὸ ἐκ χειρὸς πλήξας.

68) Schol. in Crameri Anecd. Par. III p. 464 Zenodoti scripturam χαριεστάτην dicit; οὐ καθάπτεται γὰρ αὐτόν, ἀλλ' ἱκέτευεν.

69) Aristonicus: Ὅτι Ζηνόδοτος γράφει ἀσχαλάαν μιμνόντεσσι, τὰ πληθυντικὰ δυϊκῶς ἐκφέρων. Heynius IV p. 253 nescio quo pacto μιμνόντοιν, Bekker: μίμνοντ' ἐπὶ νήεσσ'. At μιμνόντεσσι eo dualis locum obtinuit, quod haec forma e versu 296 in memoria haesit; verba παρὰ νηυσὶν interposita recte omittere poterat Aristonicus, consulto autem participio infinitivum adiunxit. Quum Zenodotus dualem participii ubique anxie servaverit, neque cum plurali confuderit (cf. supra c. IV), facile vides, eum dualem μίμνοντ' scribere non potuisse, si Ἀχαιοὺς non immutasset.

Σ, 174 pro ἡ
ἡγεμονεύεν αὐτὸ
ret [70]). Contra
ubique ἡ Ἴλιος,
375 et supra ad

Accedamus
Γ, 154 sq.
nodotus et Crat

Οἱ δ'
ὦκα

Ἦκα Aristarchus
Εἴτε ἐπὶ τῆς Ἑλ
ἐπὶ τῶν δημογερ
Aristarchus in s
tinuo, nulla m
ω, 37. Od. κ, 2
indicat senes,
dam ardore ab
aut Aristarchus

Θ, 10 sq.

Ὃν δ'
ἐλθόντ'

Aristophanes ἀπ
fuisse videtur.
deorum in pos
venire." Aristo
esse iungendum
in ἀπάνευθε mu
gis („quemcun
et sine sensu
θεῶν, sed ἀπάν
549 ducta videt

Π, 710, Ze

Ὣς φάτ

ubi ceteri πολλ
quantum Diom
metuens differa

---

70) Zenodo
relatum est, ne

71) Ptolema

72) Recte A

Od. μ, 388 Zenodotus e locis similibus huc non pertinentibus, ubi τριχθά τε καὶ τετραχθά legitur (γ, 363. Od. ο, 71), pro τυτθὰ emendavit τριχθά, quod de nave τυτθὰ κεάσαιμι male diceretur. Cf. τυτθὰ διατμήξας Od. μ, 174.

Adverbium addidit Zenodotus ν, 609, ubi pro καὶ ἐέλπετο e libris dedit μέγα δ' ἤλπετο [73]), et Homericum usum, qui μάλα postulat, et digamma laedens. Cf. θ, 196. μ, 407. ν, 8. ρ, 488. Od. ψ, 345. Homerus ἤλπετο non novit. Cf. Spitzner ρ, 404.

Aliis locis adverbia pro verbis, praepositionibus et coniunctionibus Zenodoti habuit recensio.

N, 148 (adde δ, 535. ε, 626) pro ὁ δὲ χασσάμενος πελεμίχθη Zenodotus, qui πελεμίχθη non intellexit, emendavit ὁ δὲ χάσσατο πολλὸν ὀπίσσω, e π, 710. Aristonicus: Ἠγνόησε δέ, ὅτι τὰ ἐμπεπηγότα δόρατα τῇ ἀσπίδι ἀναχωροῦντες διατινάσσουσιν, ἵνα ἀποπέσῃ. Quae Aristarchi fuisse videtur interpretatio, aliis χασσάμενος πελεμίχθη intelligentibus ἐχάσσατο πελεμιχθείς. Cf. Schol. Od. α, 58. Schol. Pind. Pyth. I, 8. Isthm. I, 26.

B, 299 Zenodotus recte:

Τλῆτε, φίλοι, καὶ μείνατ' ἔτι χρόνον,

Aristarchus, qui διπλῆν περιεστιγμένην apposuit, ἐπί. Aristonicus contra Zenodotum monet: Ἀπιθάνως· ἔμφασις γὰρ γίγνεται πολλοῦ χρόνου διὰ τοῦ ἔτι. At non video, cur Ulixes longi temporis memoriam non repetat, qui ipse v. 295 illud tempus accurate definit. Neque Spitzneri observatio: „Quod plerumque legitur, id sermo Homericus sibi postulat", locum habet, quum Homerus μεῖναι χρόνον dicat Od. ζ, 295. ι, 138. Εἴη ἐπὶ χρόνον habemus Od. ξ, 193, πολλὸν ἐπὶ χρόνον Od. μ, 407. ο, 494, sed adverbialiter ἕνα χρόνον (ο, 511), τόσσον χρόνον (ω, 670), πολὺν χρόνον (Od. ε, 319). Adde exempla verbi μένειν cum accusativo temporis iuncti β, 292. Od. ξ, 244. ο, 455. τ, 199, et χρόνον ἐρύκειν Od. δ, 599. De ἔτι μεῖναι cf. φ, 609 [74]).

B, 667 Zenodotus αἶψα δ', quod male e versu 664 huc transla-

ται (ε, 443)· καὶ εὐλόγως ἐκεῖ μὲν γράφεται τυτθόν· συμπάρεστι γὰρ ἡ Ἀθηνᾶ προτρεπομένη θεομαχεῖν· ἐνθάδε δὲ πολλόν· προεντέταλται γὰρ ὁ Ἀχιλλεύς· μάλα τόν γε φιλεῖ ἑκάεργος Ἀπόλλων. Schol. V addit: Καὶ δέδιε πρᾷος ὢν καὶ ὑπ' οὐδένος βοηθούμενος. Τυτθὸν ἀνεχάζετο recte de Aiace dicitur ο, 728.

73) Sic recte Bekker; ἔλπετο Heynius (VI p. 648), quem Spitzner, Bekkero ne commemorato quidem, sequitur.

74) Iam Heynius ἔτι non adeo absurdum esse dicit (IV p. 253). Recte Langius (II p. 18 sq.) Zenodoteam scripturam ab Aristarcho immerito mutatam, tuitus est.

tum est, pro Aristarchi, qui διπλῆν περιεστιγμένην appinxit, αὐτάρ. Aristonicus: Οὐ δύναται ταχέως ἐληλυθέναι ἐπὶ τὴν Ῥόδον ὁ πρότερον μὲν ναῦς πεπηγώς, εἶτα ἀλώμενος καὶ οὐκ εὐθυπλοήσας[75]).

Od. κ, 160 Zenodotus δὴν pro δή, ubi vix diiudicare poteris, num Zenodotus δὴν inepte dictum e libris retinuerit, an verbo ἔχεν male intellecto e coniectura invexerit. Cf. Nitzschius III p. 112.

De *praepositionibus* commutatis haec habemus monenda.

B, 691 Zenodotus ἐν Λυρνησσῷ pro ἐκ Λυρνησσοῦ. Aristonicus: Οὐκ ἔλαβε δὲ αὐτὴν ἐν Λυρνησσῷ, ἀλλὰ πρότερον κατάξας τῷ Ἀγαμέμνονι ἐξαίρετον ἔλαβεν αὐτὴν γέρας[76]). Quid vero, si Achilles cum aliis principibus et ipso Agamemnone Lyrnesum cepit atque Agamemno in ipsa urbe capta Briseidem Achilli donavit? Quamquam multo probabilius est, Zenodotum illo ἐκ Λυρνησσοῦ male intellecto locum corrupisse.

B, 801 Zenodotus et Aristophanes male retinuerunt:

Ἔρχονται πεδίοιο μαχησόμενοι προτὶ ἄστυ,

ubi Aristarchus περὶ restituit, quum μαχησόμενοι nimis nude diceretur, nisi περὶ ἄστυ ex usu Homerico (ζ, 256. π, 448. Od. γ, 107. ε, 506) adderetur. Atque omnibus locis, ubi genitivus loci πεδίοιο verbo iungitur, nulla adest praepositio cum casu, quae motum indicat. Cf. β, 785. ζ, 2. 507. θ, 107. ν, 64. 820. ξ, 147[77]). At Zenodotus iunxit μαχησόμενοι προτὶ ἄστυ, *pugnantes contra urbem*, quod demonstrare licet duobus versibus, quos ipse loco undecim versuum finxit β, 60 sqq.; dedit enim Τρωσὶ μαχήσασθαι προτὶ Ἴλιον, quod Homeri usui repugnat, qui πρὸς δαίμονα, πρὸς Τρῶας μάχεσθαι dicit (ρ, 98. 471), nusquam vero πρὸς πόλιν μάχεσθαι. Eundem errorem deprehendimus in loco difficillimo:

Σ, 207 sqq., quem Zenodotus hoc modo legit:

Ὡς δ' ὅτε καπνὸς ἰὼν ἐξ ἄστεος αἰθέρ' ἵκηται,
τηλόθεν ἐκ νήσου, τὴν δήϊοι ἀμφιμάχονται,
οἱ δὲ πανημέριοι στυγερῷ κρίνονται Ἄρηϊ
ἄστυ ποτὶ σφέτερον[78]).

---

75) Non erat, cur Langius (III p. 17) ὀψὲ δ' coniiceret, quod hic minus apte diceretur. Αὐτὰρ nativam Homeri simplicitatem sapit.

76) Langius (III p. 18): „Ἐν Λυρνησσῷ mala est lectio, quoniam non ipse Achilles Briseidem sibi elegerat. Vide Il. α, 162. 276. 392. π, 56."

77) Langius (III p. 23), haec non curans, προτὶ ob Zenodoti et Aristophanis auctoritatem (?) praefert, quum προτὶ ἄστυ ἰέναι, ἐλθεῖν, βαίνειν, ἀΐσσειν (cf. σ, 256. φ, 532. 607. χ, 21. ψ, 64) dicatur.

78) Scholia referunt, Zenodotum ἄστυ ποτὶ σφέτερον dedisse, quod non intelliges, nisi cum Hermanno (Opusc. II p. 55) et

Celeri οὔτε et ἄστεος ἐκ σφετέρου, ut significet *procul ab urbe patria*, quod ex usu Homerico fieri non posse persuasum habeo. Heynius ἄστεος ἐκ σφετέρου retinet, sed οἱ δὲ recipit, ut poeta dicat, oppidanos partim e muris, partim urbe egressos pugnasse, quod nimis obscure dictum esset. Zenodotus, quod invenit in libris, dedisse videtur. Aut fallor, aut locus vere restituitur, si mecum ἄστυ περὶ σφέτερον scribis, quod, quamquam non refertur, iam Aristarchum emendasse suspiceris, nisi ἄστεος ἐκ σφετέρου invexit. Ἄστυ ποτὶ σφέτερον e ρ, 287. 419 male huc translatum est.

M, 245 sq. Zenodotus:

Εἴπερ γάρ τ' ἄλλοι γε περὶ κτεινώμεθα πάντες
νηυσὶν ὑπ' Ἀργείων,

ut περί, opinor, cum νηυσὶν iungatur. Error, a Zenodoto aut propagatus aut invectus, ab Aristophane aut Aristarcho sublatus est, ἐπ' e libris restituto.

N, 546 (adde 548. κ, 456) Zenodotus prave emendavit:

Διὰ δὲ φλέβα πᾶσαν ἔκερσεν,

quum φλὲψ non abscinderetur, sed dissecaretur, usum praepositionis ἀπὸ in compositis non satis intelligens. Ἀπό, quae celerorum est scriptura, Aristotelis loco H. A. III, 3 confirmatur [79]).

Ξ, 236 Zenodotus ἐπ' ὀφρύσιν, sed iam Aristophanes recte ὑπ' ὀφρύσιν restituit [80]). Cf. ν, 88. ο, 608. Od. δ, 153. ϑ, 86. 531. π, 219. Ἐπ' ὀφρύσιν est *circum supercilia* ο, 102. ψ, 396; in illo vero ἐπ' ὀφρύσιν νεῦσε (α, 528) ἐπὶ ad νεῦσε pertinet. Zenodotus intellexit *in oculis sedens oculos sopi*, minime, quae Heynii erat sententia (VI p. 576), ἐπικοίμησον coniunxit, ubi non video, quomodo dativum ὀφρύσιν interpretatus sit.

O, 79 (adde ϑ, 410. ο, 237) Zenodotus:

Βῆ δ' ἐξ Ἰδαίων ὀρέων ἐς μακρὸν Ὄλυμπον.

Vulgo δὲ κατ'. Aristonicus: Ἀπὸ ἴσου γὰρ ἐπὶ τὸ ἴσον δίοδος. Idem 2, 196: Ἡ διπλῆ, ὅτι θηλυκῶς τὴν Ἴλιον, καὶ ὅτι νῦν γραπτέον κατ' Ἰδαίων ὀρέων· ὅταν δὲ ἀπὸ τῆς Ἴδης ἐπὶ τὸν Ὄλυμπον· βῆ δ' ἐξ Ἰδαίων ὀρέων ἐπὶ μακρὸν Ὄλυμπον, ὡς ἀπ' ἴσου ἐπ' ἴσον. Hinc patet, non solum Zenodotum, sed etiam Aristarchum his tribus locis δ' ἐξ legisse, quod neque Heynius, neque Spitzner ϑ, 410 perspexit, qui male Zenodoto tribuit Aristarchi argumen-

---

Spitznero statuas, eundem pro οὔτε legisse οἱ δέ, quod Heynio (VII p. 459 sq.) placuit.

79) Quod Spitzner statuit, Zenodotum διὰ mutasse, quia v. 558 recurrat, non probo; immo non minus v. 548, quum v. 546 διὰ emendasse criticum Ephesium censeo.

80) Villoisonis errorem iam Heynius (VII p. 576) indicavit.

tum, ἐξ esse scribendum, quia Ida et Olympus montes sint (cf. Lehrsius p. 167 sqq.), altitudine fere pares [81]). Zenodotum iis quoque locis, quibus ab Ida in terram di descendunt, δ' ἐξ Ἰδαίων scripsisse, Aristarcho non probante, scimus. Versui ο, 169:

Βῆ δὲ κατ' Ἰδαίων ὀρέων εἰς Ἴλιον ἱρήν,

Aristarchus διπλῆν περιεστιγμένην appinxit, ubi Aristonicus: Ἡ διπλῆ περιεστιγμένη, ὅτι Ζηνόδοτος γράφει ἐξ Ἰδαίων· ἁρμόζει δὲ μᾶλλον κατ' Ἰδαίων· κατάβασιν γὰρ δηλοῖ. Versum π, 677 Zenodotus omisit. Vides igitur Zenodotum omnibus locis βῆ δ' ἐξ Ἰδαίων ὀρέων dedisse, Aristarchum vero recte distinxisse. In libris utrumque obtinuisse, neque recte has scripturas arbitror suis locis fuisse positas.

Π, 188 Zenodotus ἐξάγαγε πρὸ φόωσδε, Aristophanes et Aristarchus ἐξάγαγεν φόωσδε, Zenodotum erroris et inscitiae insimulantes. Aristonicus: Ἀγνοεῖ δέ, ὅτι ἐπὶ μὲν Εὐρυσθέως (τ, 118, ubi cf. Schol.) οὕτως γράφειν ἐγχωρεῖ· πρὸ γὰρ τοῦ τεταγμένου ταῖς τικτούσαις χρόνου ἐγεννήθη, διὸ καὶ ἠλιτόμηνος εἴρηται· ἐπὶ δὲ τῶν ἄλλων οὐκέτι. Zenodotus recte πρὸ adverbialiter verbo ἐξάγαγε adiectum esse vidit (cf. ν, 709 sq. ο, 360. ψ, 115. Heynius VII p. 176), minime πρὸ φόωσδε interpretatus est *ante diem iustum*, quod contra Heynium (VII p. 175) moneo. Aristophanes, illo πρὸ male intellecto, aut ex sua ipsius coniectura, aut e librorum emendatione praepositione πρὸ deleta scripsit φόωσδε, quam formam nunquam extitisse spondeo.

Σ, 492 sq. Zenodotus:

Νύμφας δ' ἐς θαλάμους δαΐδων ὕπο λαμπομενάων
ἠγίνεον ἀνὰ ἄστυ,

ubi Schol. A: Οὐκ ἀπίθανος ἡ γραφή (pro ἐκ θαλάμων), non improbantibus Heynio (VII p. 527) et Spitznero. At recte Clemens l. l. p. 15 ἐς θαλάμους meram Zenodoti coniecturam dicit, inde ortam, quod θαλάμους cubicula sponsarum in domibus coniugum intellexit. Conspiciebantur in clipeo domus, e quibus sponsae sollemni pompa prodierant.

Σ, 565 Zenodotus pro ἐπ' αὐτὴν scripsit ἐς αὐτήν, ubi Schol. A: Καὶ ἔχει λόγον ἡ γραφή, quod neque Heynius, neque Spitzner explicuit. Zenodotus, quum unam tantum viam ad vineam ducentem non probaret, ἐπ' emendavit, quo poeta significaret, vineam

---

81) Idem Spitzner in dissertatione de vi et usu praepositionum ἀνὰ et κατὰ apud Homerum p. 20: „Mirum esse potest, quod de dis ex Ida monte in Olympum sublatis idem (κατά) fuit in usu, monte autem degressi in Olympum eniti putantur."

fossa esse circumdatam, uno, quo introeant, tramite relicto. Veram loci interpretationem, iamdudum mihi probatam, primus, ni fallor, protulit Clemens l. l. p. 24, ut ἐπ' αὐτὴν sit *per eam*. Cf. Od. λ, 577. ξ, 120.

Σ, 676 Zenodotus, ut duplex παρά vitaret, emendavit pro librorum scriptura παρὰ ῥαδαλόν, ab Aristophane restituta, διὰ ῥαδαλόν. At boves iuxta sonantem fluvium properant; quod ut accuratius definiat, addit poeta, iuxta mobile arundinetum (in extrema scilicet fluvii ripa) [82]).

Υ, 481 e libris, ni fallor, dedit πρός θ' ὀρόων, quod Aristophanes aut Aristarchus bene correxit πρόσθ' ὀρόων [83]).

Denique de *coniunctionibus* videamus.

Α, 100 Zenodotus recte librorum scripturam retinuit:

Αἴ κέν μιν ἱλασσάμενοι πεπίθοιμεν (cf. ι, 112).

Aristonicus: *Γελοῖον διασταλτικῶς λέγειν τὸν μάντιν.* Heynius (IV p. 45): „At non ille meminit, sexcenties αἴ κεν esse pro ἵνα." Quum non videam, quid Zenodotum ad τότε, in libris pro αἴ inventum, emendandum commovere potuerit, τότε Aristarchi coniecturam esse autumo, quem et dubitatio vatis et structura offendisse videtur. *Αἴ κεν* cum πρίν γ' — Χρύσῃν arctissime coniungendum est, ut α, 66 cum ὥς κ' εἴποι. Cf. λ, 799. μ, 275. π, 725. ρ, 692. σ, 143 [84]). 199. ω,

---

82) Zenodotum διὰ ῥαδαλὸν scripsisse Schol. A tradit; formam ῥαδαλὸν Etym. M. p. 701, 52, κραδαλὸν (nisi ῥαδαλὸν legendum est) Schol. B, ῥοδανὸν Schol. in Crameri Anecd. Ox. I p. 290 eidem tribuit. Quae Aristarchea fuerit forma (de praepositione παρὰ non dubito), nescimus. Etymologicum ῥαδηλὸν Aristarchi fuisse tradit, quod quum corruptum esse metrum ostendat, Georgius Arnaldus ῥαδινὸν (cf. Apollon, lex. p. 583) coniecit, Heynius vero, cui accedo, ῥοδανὸν Aristarchi fuisse vidit (VII p. 556). Cf. Spitzner. Utramque formam, et ῥαδαλὸν et ῥοδανόν, libri habuisse videntur. Alii Ῥοδανὸν fluvii nomen acceperunt, ubi certo dici nequit, quomodo δονακῆα intellexerint, alii mire ῥοδανονδονακῆα compositum putarunt, quod significaret ἰσχνοκαλαμώδη. Δονακῆεν nonnulli, ut πευκῆεν. Cf. Lobeck. Phryn. p. 166 sqq. In codicibus Vindobon. et olim vulgo legebatur περὶ ῥοδανόν, quod quum Humboldtium offenderet, de composito περιρόδανον cogitavit (opp. V p. 49).

83) Schol. V: Ζηνόδοτος χωρὶς τοῦ θ, πρὸς ὀρόων. Πρὸς Spitzner recte dedisse videtur pro προσ' Bekkeri, nisi forte προσσ' (i. e. πρόσσω) Zenodotum sibi permisisse statuis. At, quum Zenodotum versum a πρὸς ὀρόων incipisse vix credam, eum πρός θ' ὀρόων dedisse suspicor.

84) Aristarchus, hic non minus, quam nostro loco, in αἴκεν haerens, scripsit ἀγορεύσαι'. Cf. supra c. IV.

166. Heynius IV p. 174 sqq. V p. 175 sq. Optativus recte se habet, quum Apollinis indulgentiam Chryseide reddita sperandam vates animo sibi cogitet. Cf. Baeumlein. l. l. p. 334 sqq.

A, 163 Zenodotus pro ὁππότ' dedit οὐδ' ὅτ', quod in libris eum invenisse puto, quum causam, cur ὁππότ' mutaverit, non exputem. Aristonicus quidem dicit: Ἠγνόηκε δέ, ὅτι ἤλλακται τὸ ἔχω ἀντὶ τοῦ ἔσχον, sed ἔχω hic de futura dici actione Zenodotum bene perspexisse iudico, unde de loco emendando vix cogitare potuit. Ὁππότ' eorum coniectura fuisse videtur, qui cum veteribus Τρώων πτολίεθρον non de ipsa Troia, sed de urbe quadam Troiana intellexerunt. Cf. δ, 4. θ, 52. ξ, 251. De urbe Troiana nudum πτολίεθρον Homerus dixisset. Cf. β, 228. Vide supra c. IV ad α, 129.

B, 161 (adde 177. δ, 174.) Zenodotus Ἀργείην θ' Ἑλένην, σὺν τῷ συνδέσμῳ, inquit Aristonicus, ὥστε εἶναι χωρὶς καύχημα καὶ σὺν τούτῳ τὴν Ἑλένην· οὐ λέγει δὲ οὕτως, ἀλλ' αὐτὴν τὴν Ἑλένην καύχημα. Coniunctio, a libris fortasse accepta, nisi explicativam potestatem ei tribuas, locum habere nequit.

B, 579 Zenodotus et altera Aristarchi editio:

Κυδιόων, πᾶσιν δὲ μετέπρεπεν ἡρώεσσιν,

ubi vulgo ὅτι πᾶσι. Zenodoteum non improbat Didymus, monens: Ἡ γὰρ αἰτία τοῦ διαπρέπειν διὰ τοῦ ἑξῆς ἀποδίδοται, οὕνεκ' ἄριστος ἔην, πολὺ δὲ πλείστους ἄγε λαούς. Aristarchus in priore editione cum Zenodoto πᾶσιν δὲ recepisse, in altera ὅτι πᾶσιν reposuisse videtur. Κυδιόων (cf. ζ, 509. ο, 266) et κύδεϊ γαίων (α, 405. ε, 906. θ, 51. λ, 81) semper absolute ponuntur, ut nulla enunciatione causam indicante definiantur, atque ἐδύσετο νώροπα χαλκὸν ad descriptionem Agamemnonis non sufficit, quae pulchre augetur illo πᾶσιν δὲ μετέπρεπεν ἡρώεσσιν. Hinc Zenodoteum cum Spitznero et Langio (III p. 14) praefero [85].

Θ, 213 Zenodotus recte e libris scripsit:

Τῶν ὅσον ἐκ νηῶν καὶ πύργων τάφρος ἔεργεν,

„quantum inde a navibus et turribus fossa (scilicet usque ad urbem) includit"; nam, ut intervallum clarius animo proponat, poeta significat fossam prope naves eorumque munimentum, turres (cf. ξ, 55), fuisse. Aristarchus, quum turres et a navibus et a fossa

---

85) Heynius (IV p. 328): „Malim Zenodotum causam attulisse adserti sui; quandoquidem uterque versus interpolationem redolet, saltem alteruter. Tum insuave est repetitum ὅτι — οὕνεκα." Πᾶσιν δὲ meliorem dicit scripturam, dummodo non a correctione profecta sit. Quod Didymus refert: Ὁμοίως δὲ καὶ Ζηνόδοτος γράφει, immerito putat temere adiectum esse.

remotae fuerint, emendavit ἀπὸ πύργου (et in altera ἔρυκεν) [86]), quod alii corrigere sibi visi sunt scribendo ἀπὸ τάφρου πύργος. Cf. Humboldt. opp. V p. 91.

I, 537 Zenodotus, verbis ἢ λάθετ', ἢ οὐκ ἐνόησε non intellectis, e mera coniectura, nisi forte hauc iam in libris occupatam invenit, scripsit ἐκλάθετ', οὐδ' ἐνόησε. Aristonicus: Οὐκ ἐνόησε δέ, ὅτι διαφέρει· τὸ μὲν γὰρ ἐλάθετο ἑκὼν παρέπεμψεν, τὸ δὲ οὐκ ἐνόησεν οὐδὲ τὴν ἀρχὴν κατὰ νοῦν ἔσχεν. Cf. Schol. B. Apollon. et Hesych. At rectius interpretaberis *aut oblitus est*, *aut noluit*. Cf. Heynius V p. 650.

T, 239 Zenodotus e libris scripsit:

Φυλεΐδην τε Μέγην τε Θόαντά τε Μηριόνην τε.

Ceteri Μέγητα. Aristonicus κ, 175: Ἡ διπλῆ — καὶ πρὸς Ζηνόδοτον γράφοντα ἐκεῖ Φυλεΐδην τε Μέγηντε, τὸν Φυλεΐδην οἰόμενον ὄνομα κύριον. Idem ν, 692: Ἡ διπλῆ περιεστιγμένη, ὅτι ἐν ἄλλοις οὐ νοῶν Ζηνόδοτος, ὅτι Μέγης Φυλέως ἐστί, γράφει Φυλεΐδην τε Μέγην τε [88]). Recte iam Aristophanem Μέγητα restituisse suspicor. Accusativus huius nominis praeter h. l. semel adhibetur, ο, 302, qui versus exit in Μέγην τ' ἀτάλαντον Ἄρηϊ. De Megete cf. β, 627 sq. ε, 69. ο, 520. 535, quibus locis a Zenodoto neglectis scripturam Μέγητα unice veram esse demonstratur.

Ψ, 527 male Zenodotus retinuit ἢ ἀμφήριστον ἔθηκεν, huc e versu 482 translatum, pro οὐδ' ἀ. ἔ., quod sententia loci postulat. Aristonicus contra Zenodotum monet: Οὐκ εὖ· νῦν γὰρ οὐχ ἁρμόζει, ἐπὶ Διομήδους δὲ τοῦ σύνεγγυς τρέχοντος· διὰ τοῦτο δὲ βούλεται λέγειν οὐδ' ὅλως ἀμφήριστον. Cf. Eust. p. 1314, 3.

Od. γ, 228 pro οὐδ' εἰ Zenodotus languide, ne dicam inepte, emendavit εἰ μή. Recte Schol. observat Telemachum ὑπερβολικῶς loqui, quod Zenodotus non intellexerit.

Od. λ, 93 (adde κ, 281) Zenodotus male retinuit τίπτ' αὔτως. Aristophanes aut Aristarchus e libris, ni fallor, correxit τίπτ' αὖτ',

---

86) Aristarchus de hoc loco in libro περὶ τοῦ ναυστάθμου (Lehrs. p. 229 sqq.) accuratius egisse videtur.

87) Hoc Heynius (VI p. 36) male ad κ, 109 rettulit, ubi Zenodotus legerit:

Ἠδ' Αἴαντα ταχὺν καὶ Φυλεΐδην τε Μέγην τε.

88) Si recte huic loco praefixa est διπλῆ περιεστιγμένη, dubitari non potest, quin Zenodotus hic Μέγης τ' legerit, quamquam ipsa Aristonici verba διπλῆν non satis recte explicantis adversari videntur. Quid Zenodotus hoc loco scripserit, parum constare Spitzner dicit, sed e verbis Schol. A: Οὕτως Μέγης ἔξω τοῦ τέ· οὐ γάρ ἐστι Φυλεΐδης, eum Μέγης τ' dedisse colligi posse.

ω. *Αὔτως*, quod *temere* significet, non cum *τίπτε* et *πῇ* praegresso coniungi posse, bene monuit Nitzschius III p. 129. Cf. α, 202. σ, 6. Od. ζ, 119. ν, 200.

Od. λ, 498 Zenodotus pro eo, quod vulgo obtinuit, *οὐ γάρ* habuit *εἰ γάρ*, quam unice veram et genuinam esse scripturam recte Buttmannus (Schol. p. 386), Bothius et Nitzschius (III p. 285) agnoscunt. Oratio anacolutha videtur, ut post versum 500 minor interpunctio sit ponenda. Cf. Od. δ, 341 sqq. *Οὐ γάρ* Aristophanis aut Aristarchi coniecturam dixeris.

Plurimos, quos tractavimus, locos Zenodotum temere emendasse videmus; aliis locis in scripturis diiudicandis non recte versatus est. At haud exiguus versuum numerus est, quibus aut ipse melius, quam Aristarchus, iudicavit aut scripturam ab illo immerito mutatam retinuit. Pravas Zenodoti emendationes hic locis deprehendimus: α, 5. 34. 47. 60. 69. β, 296 sq. 318. 507. 691. γ, 56. 100. δ, 282. 339. ε, 53. 162. 194. 708. ζ, 135. η, 127. 221. ι, 45. 88. 130. 405. 537. 594. 660. λ, 123 (138). μ, 153. ν, 148. 546. ξ, 37. 40. 177. 348. ο, 71. 207. 587. π, 223. 234. 710. ρ, 51. 595. σ, 89. 160. 174. 485. 492. 565. 576. 579. Od. γ, 228. 368. κ, 70 (adde β, 39. ω, 339. Il. α, 582). μ, 290. 388. σ, 190. Dubito de δ, 137. ζ, 285. λ, 451. ν, 367. 643. ο, 134. σ, 466. Od. β, 81. δ, 370. ζ, 137. κ, 160. 240. μ, 209. ξ, 171. At Zenodotea scriptura vera videtur et contra Aristarchum aliosque restituenda α, 100. 163. 400. 434. β, 299. 435. 579. ε, 226. 293. θ, 10. 213. 349. ι, 612. 641. λ, 132. 841. μ, 295 sq. ν, 237. ξ, 223. 351. 485. (adde σ, 100. 213). π, 188. 233. 807. ρ, 54. 214. 268. σ, 34. 400. υ, 11. 331. φ, 169. ψ, 533. Od. β, 42. δ, 159. λ, 498. Dubito de Od. ξ, 8. Scripturam corruptam, ab aliis non recte emendatam, retinuit σ, 209 sq.; Aristarchus Zenodoteam, ab aliis spretam, recepit α, 91. θ, 304. ο, 79. ω, 110.

VIII.

DE VERSIBUS IMMUTATIS.

Primum de iis agamus versibus, quorum aut prior aut posterior pars prorsus immutata est.

A, 97 Aristarchus legit, Massilioticam editionem et Rhianum secutus:

Οὐδ' ὅγε πρὶν Δαναοῖσιν ἀεικέα λοιγὸν ἀπώσει.

At altera extitit scriptura:

Οὐδ' ὅγε πρὶν λοιμοῖο βαρείας χεῖρας ἀφέξει,

quam Zenodoteam fuisse Didymus suspicatur. Zenodotus et in significatione verbi ἀπώσει et in κακοφωνίᾳ, quum v. 97 in ἀπώσει v. 98 in δώσει exiret, haesisse et ideo hunc locum e φ, 548: Θανάτοιο βαρείας χεῖρας ἀλάλκοι, male emendasse videtur, unde verbum ἀλαλκεῖν desumere non potuit, quum hoc loco futuro opus esset. De verbo ἀπωθεῖν cf. ϑ, 96. ο, 503. Recte Aristarcheum praeferunt Wolfius (in censura allata p. 252), Lehrsius (in ephemer. stud. antiquit. 1834 p. 139), Bergkius (l. l. p. 498) et Faerber (l. l. p. 619). Vossius, Spitzner, Langius et Heffter Zenodoteum tuentur [1]). Cf. Huschkium ad Tibull. I, 3, 4 et Dissenium in Boeckhiana Pindari editione explic. p. 374 sq.

Θ, 378 Zenodotus:

1) Recte Langius (I p. 7 sq.) Vossii et Spitzneri interpretationem Zenodoteae coniecturae reiicit, sed, quam ipse proponit, e qua hic et φ, 548 de Θανάτῳ et Λοιμῷ cogitandum sit, non veriorem esse Faerber monuit. Χεῖρες de hostili impetu (proprie de manibus iniectis) dictum puto, ut πόδες de itinere perfecto. Cf. ι, 523. Faerber voc. λοιμός ipsas significare sagittas letiferas, quas deus retineat, aut λοιμοῖο χεῖρας manus pestem mittentes dici putat, ut ad ἀφέξει cogitetur ἡμῖν.

Γηθήσει προφανεῖσας [2]) *ἰδὼν ἐς δοῦπον ἀκόντων*,

ceteri *ἀνὰ πτολέμοιο γεφύρας*. Zenodotus, quum in structura difficiliore haereret, memor illius saepe obvii *γήθησεν ἰδών*, v. 377. *νῶϊν* (cf. supra c. III) et v. 378 *ἐς δοῦπον ἀκόντων* emendavit, quod hic minus aptum videtur (cf. *λ*, 364. *π*, 361), quam *ἀνὰ πτολέμοιο γεφύρας* (cf. *λ*, 100. *υ*, 427).

Θ, 501 Zenodotus pro *ἐπὶ ῥηγμῖνι θαλάσσης*, quod languide adiici putabat, quamquam Hectoris orationi iam de occupandis navibus cogitantis est aptissimum, male e *κ*, 45. *ἐπεὶ Διὸς ἐτράπετο φρήν*, huc transtulit. Aristonicus: *Ἀναρμόστως· οὐ γὰρ κατὰ Διὸς προαίρεσιν νὺξ ἐγένετο.*

M, 230 (adde *σ*, 284) immerito Zenodotus emendavit:

Τὸν δ' ἠμείβετ' ἔπειτα μέγας κορυθαιόλος Ἕκτωρ,

pro *τὸν δ' ἄρ' ὑπόδρα ἰδὼν προσέφη*, quod Hectorem Polydamantis consilium reiicientem non decere arbitrabatur. Aristonicus contra Zenodotum monet: *Εὐθέως γὰρ τὸ δυσάρεστον ἐμφαίνει διὰ τῆς ὄψεως*. Fortasse locus *η*, 357, ubi Paridis orationem, quae eodem modo, quo hic Hector, incipit, versus praecedit:

Ὅς μιν ἀμειβόμενος ἔπεα πτερόεντα προσηύδα,

Zenodoteae coniecturae originem dedit.

M, 444 audacissima coniectura pro verbis *ἀκαχμένα δούρατ' ἔχοντες*, ab Homero, ut rem vividius clariusque proponeret, additis, quum versum 439 de Iove, quae mira veterum erat interpretatio (cf. Aristonici nota), intelligeret, scripsit *ἐπεὶ Διὸς* [3]) *ἔκλυον αὐδήν*.

---

2) *Προφανεῖσας* (cf. Ahrens. II p. 172 et de accentu Goettling. p. 115) Zenodotus et Herodianus; alii *προφανεῖσα*. Aristarchus *προφανέντε*, Schol. A teste, quem recte sequitur Heynius (V p. 481 sq.) Schol. B et L, qui Aristarchum *προφανεῖσα* scripsisse tradunt, fidem habere Spitzner non debuit. Doctiorem scripturam *προφανέντε* (cf. de genere masculino *θ*, 455) Aristarchus e libris restituisse videtur. *Προφανεῖσας* aut Zenodoti coniectura est, ad hiatum evitandum inventa, aut librorum quorundam fuit scriptura; *προφανεῖσα* fortasse Aristophanes reduxit.

3) Sic pro *θεοῦ* in Schol. A emendo, quamquam probe scio alibi legi *ἐπεὶ θεοῦ ἔκλυον αὐδήν* (*ο*, 270. Od. *β*, 297), quum hic *Διός* (de Iove Zenodotus cogitavit) versus admittat. Quam meam suspicionem altero argumento confirmabo. In Schol. V legimus verba *Ἀρίσταρχος ἐπεὶ Διὸς ἕκητι*, ab Heynio (VI p. 640) et Bekkero ad *μ*, 439 relata. „Ad refellendam Zenodoti interpretationem," Heynius addit. Spitzner illa ita se intelligere dicit, ut Aristarchus, aliquanto modestior Zenodoto, Hectoris vocem, Iove adiutore, totam Troianorum aciem penetrasse censuerit. At hanc Aristarchi minime fuisse sententiam ex Aristonici nota *μ*, 440 videmus, atque verba Schol. V ita comparata sunt, ut de Aristarchi

N, 229 Zenodotus ὅτις μεθίῃσι πόνοιο, Venetus codex aliique ὅτε μεθιέντα ἴδηαι. Schol. A variam scripturam ὅθι [4]) μεθιέντα ἴδηαι adfert, quod vulgo obtinet. Zenodotus, in structura offensus, correxit, quod versus 234 suadere videbatur, nisi quod pro μάχεσθαι posuit πόνοιο ex usu Homerico satis noto (cf. Lehrs. p. 86 sqq.). Cf. δ, 240. ζ, 330 (ubi vide Spitzneri notam). μ, 268. Nescio an Zenodotus locum nostro simillimum δ, 516: Ὅθι μεθιέντας ἴδοιτο, emendaverit.

Od. μ, 15 Zenodotus emendatione ieiuna et rudi pro εὐῆρες ἐρετμόν scripsit: ἵνα σῆμα πέλοιτο; quum enim στήλην de columna intelligeret, in illo εὐῆρες ἐρετμόν non potuit non haerere. Cf. Nitzschius III p. 363. Utrum λ, 77 sq. omiserit, an obelo notaverit, dici nequit.

Iam vero ad eos accedamus locos, quibus utramque versuum partem immutatam videmus.

A, 73 Zenodotus pro:

Ὅ σφιν ἐϋφρονέων ἀγορήσατο καὶ μετέειπε,

e coniectura reponit versum:

Ὅς μιν ἀμειβόμενος ἔπεα πτερόεντα προσηύδα,

quia Calchas Achillem alloquatur, non totam concionem, quod illo versu significetur. At Calchas in concione, quam Achilles convocaverat (v. 54), de re communi loquitur, neque minus aptus versus: Ὅ σφιν ἐϋφρονέων eo redditur, quod vates primum Achillem tutorem et patronum sibi poscit. Animadvertas autem vatem post v. 83 minime considere, sed orationem, Achillis verbis interruptam, v. 93 continuare [5]).

B, 681 legimus:

Νῦν αὖ τούς, ὅσσοι τὸ Πελασγικὸν Ἄργος ἔναιον.

Zenodotum νῦν et accusativus τούς ita offenderunt, ut reponeret:

---

interpretatione vix intelligi possint. Hinc statuo, hic, ut nonnunquam in Schol. V (cf. supra c. I), Zenodoti et Aristarchi nomina confusa et hoc Scholium, sic restitutum: Ζηνόδοτος ἐπεὶ Διὸς ἔκλυον αὐδήν, ad v. 444 referendum esse.

4) Sic recte Bekker pro ὅ,τι, quod Heynius (VI p. 410) cum Villoisone dedit.

5) Langius (I p. 7) monet, versum ὅ σφιν ἐϋφρονέων omnibus locis, quibus legatur, „admonitionem aut cohortationem indicare, quae ad totam concionem pertineat, non ad singularem aliquem hominem", et Zenodoto versum η, 356 „suppetias ferre" dicit. Quam Langii observationem falsam esse iam ostendit α, 253, quum Nestor ad Achillem et Agamemnonem orationem convertat. Similis ratio est locorum β, 283. ι, 96. Od. η, 58. quos ipsos Langium adferre miror. Cur idem in v. 58 non haesit?

Οἵ δ' Ἄργος τ' εἶχον τὸ Πελασγικόν, οὖθαρ ἀρούρης.

Initium versus e *β*, 559, *οὖθαρ ἀρούρης* ex *ι*, 141 (*Ἄργος Ἀχαιικόν, οὖθαρ ἀρούρης*) desumpsit. Recte Aristonicus monet, *Ὅμηρον φιλοτέχνως ὥσπερ προοιμιάζεσθαι διὰ τὸ μεταβαίνειν ἀπὸ τῶν νήσων καὶ τῆς Πελοποννήσου ἐπὶ τὰ κατὰ Θεσσαλίαν, οὐκ ὄντα συναφῆ τοῖς προειρημένοις* [6]).

B, 718, ubi vulgo legitur:

Τῶν δὲ Φιλοκτήτης ἦρχεν, τόξων εὖ εἰδώς,

Zenodotus, ut repetitionem epitheti *τόξων εὖ εἰδώς* (cf. v. 720) tolleret, scripsit:

Τῶν αὖθ' [7]) *ἡγεμόνευε Φιλοκτήτης, ἀγὸς ἀνδρῶν,*

initio ex aliis locis (*β*, 540. 552. 563. 601. 627. 740) desumpto. *Ἀγὸς ἀνδρῶν* vero contra Homeri usum dedit, qui populi nomen semper addit [8]). Atque vides ineptum esse *ἀγὸς ἀνδρῶν* post *ἡγεμόνευεν*.

Z, 70 sq.

Ἀλλ' ἄνδρας κτείνωμεν· ἔπειτα δὲ καὶ τὰ ἕκηλοι
ν ε κ ρ ο ὺ ς ἂμ πεδίον σ υ λ ή σ ε τ ε τ ε θ ν ε ι ῶ τ α ς.

Zenodotus alterum versum hoc modo immutavit:

Τ ρ ώ ω ν ἂμ πεδίον σ υ λ ή σ ο μ ε ν ἔ ν τ ε α ν ε κ ρ ῶ ν,

quum in persona mutata haereret, atque ut primam restitueret, alias mutationes, sine quibus hoc non posset fieri, neutiquam sperneret. Didymus: *Ἀθηνοκλέους ἐν τῷ περὶ Ὁμήρου παρατηρήσαντος, ὅτι τῷ μὲν καμάτῳ καὶ ἑαυτὸν ὁ Νέστωρ ὑποβάλλει, λέγων κ τ ε ί ν ω μ ε ν, τὸ δὲ κέρδος ἴδιον ποιεῖται τῶν στρατιωτῶν ἐν τῷ σ υ λ ή σ ε τ ε, ὁ Χαῖρις Ὁμηρικὸν εἶναί φησι τὸν τῆς ἑρμηνείας χαρακτῆρα, ὡς ἐν τούτοις· ἄ λ λ ο ι μ ὲ ν γ ά ρ, ὅ σ ο ι θ ε ο ί ε ἰ σ' ἐ ν Ὀ λ ύ μ π ῳ, σ ο ί τ' ἐ π ι π ε ί θ ο ν τ α ι κ α ὶ δ ε δ μ ή μ ε σ θ α ἕ κ α σ τ ο ς* (*ε*, 877 sq.)· *ἔδει γὰρ δ έ δ μ η ν τ α ι, ὡς ἐ π ι π ε ί θ ο ν τ α ι, ἢ ἀνάπαλιν· καὶ πάλιν· ἀ λ λ'*

---

6) Langius (III p. 18) suspicari posse concedit, Zenodoteam scripturam, ut plures alias huius loci, a studio anacoluthiae tollendae esse profectam, verum addit: „Sed quum ea per se minime sit mala, Zenodotum ipsum, si huius viri ingenium bene novi, fabricatorem fuisse non crediderim, sed in codicibus iam eam invenisse existimaverim." O bonum Zenodoti patronum, qui hunc criticum, quem poetam epicum fuisse, neque non epigrammata fecisse scimus, versum non ineptum condere non potuisse sibi videtur persuasisse!

7) *Αὖθ'* pro *αὖ* primus Zenodoto restituo, quum *αὖθ'* in omnibus, qui Zenodoto obversabantur, locis legatur.

8) Cf. *Κρητῶν ἀγὸς δ*, 265. *Τρώων ἀγὸς ε*, 217. *Λυκίων ἀγὸς ε*, 647. *Λυκίων ἀγὸς ἀνδρῶν η*, 13. *Λυκίων ἀγὸς ἀσπιστάων π*, 490. *Θρῃκῶν ἀγὸς ἀνδρῶν δ*, 519.

ἄγεθ', ὡς ἂν ἐγὼ εἴπω, πειθώμεθα πάντες (β, 239)· καὶ ἀλλαχοῦ· νῦν μὲν δόρπον ἕλεσθε κατὰ στρατόν (σ, 298)[9]. Cf. Aristonici notam in Schol. B. Ceterum contra Zenodotum stat usus poetae, qui cum τεύχεα s. ἔντεα συλᾶν nunquam genitivum coniungit. Cf. δ, 166. ε, 164. 678. η, 78. 82. ν, 202. ο, 583. ρ, 60. Accusativum personae voc. τεύχεα s. ἔντεα addito (ο, 428. π, 500. χ, 258), aut omisso (κ, 343. 387) invenimus. Praeterea ἀπὸ χροός (ν, 641), ἀπ' ὤμων (ζ, 28. ο, 524. 544 sq. χ, 368), ἀπὸ τοῖϊν (λ, 110) adiecta leguntur.

Z, 112 pro eo, quod vulgo hic legitur (cf. θ, 174. λ, 287. ο, 487. 734. π, 270. ρ, 185):

Ἀνέρες ἔστε, φίλοι, μνήσασθε δὲ θούριδος ἀλκῆς,

Zenodotus prave scripsit:

Ἀνέρες ἔστε θοοὶ καὶ ἀμύνετον ἄστεϊ λώβην,

quum vulgarem adhortationem hic non sufficere putaret, sed Hectorem ceteris Troianis et sociis urbis salutem, quo tempore sit absens, committere debere. At ille recte eos admonet, ne ipso absente pugnam deserant, sed fortiter Graecis resistant. Schol. B: Ἐπιπληχθεὶς (Ἕκτωρ) ὑπὸ Σαρπηδόνος μετριώτερος γέγονε καὶ τὴν προσφώνησιν φιλανθρωποτέραν ποιεῖται. Falsum dualis usum Aristonicus notavit. Λώβην ἀμύνειν ab Homeri usu abhorret, neque ἀνέρες ἔστε θοοί (cf. β, 542. π, 422) hic satis recte dicitur.

I, 28 sqq. pro his versibus:

Ὣς ἔφαθ'· οἱ δ' ἄρα πάντες ἀκὴν ἐγένοντο σιωπῇ·
δὴν δ' ἄνεῳ ἦσαν τετιηότες υἷες Ἀχαιῶν·
ὀψὲ δὲ δὴ μετέειπε βοὴν ἀγαθὸς Διομήδης,

scripsit, teste Aristonico ad ι, 26[10]):

Ἤτοι ὅγ' ὣς εἰπὼν κατ' ἄρ' ἕζετο θυμὸν ἀχεύων·
τοῖσι δ' ἀνιστάμενος προσέφη κρατερὸς Διομήδης,

quos e quattuor quasi particulis (cf. α, 68. ε, 689. α, 58. δ, 401) composuit; censuit enim, Diomedem, Agamemnonis orationem inique ferentem, continuo in hunc invehi debere, non animadvertens, regis desperatione duces ita esse adfectos, ut maerore deprimerentur. Cf. η, 92 sqq. 398 sq. ι, 430 sqq. 693 sqq. Atque Zenodoteum προσέφη Homerico usui repugnat, qui μετέφη sibi postulat.

---

9) Locus σ, 298 in Schol. B servatus, in Schol. A excidit. Post hunc locum ponenda sunt verba: Ταῦτα ὁ Δίδυμος, ut Schol. A pergat: Ἄλλως. Οὐδὲ γὰρ ἀκμάζει Νέστωρ, ἀλλ' ὑπὸ γήρως ἔοικεν ἀπειρηκέναι.

10) Hanc notam Heynium cum Villoisone male ad v. 29, Spitznerum cum Bekkero non rectius ad v. 23 referre infra c. X not. 13 videbimus.

Cf. *α*, 58. *ι*, 52. *τ*, 55; vix enim mihi persuadeo, ut in Zenodoti verbis in Aristonici nota servatis pro *προςέφη* legendum sit *μετέφη*.

I, 664 Aristarchus, qui *διπλῆν περιεστιγμένην* appinxit:

Τῷ δ' ἄρα παρκατέλεκτο γυνή, τὴν Λεσβόθεν ἦγεν.

Zenodotea scriptura:

Τῷ δὲ γυνὴ παρέλεκτο Κάειρ', ἣν Λεσβόθεν ἦγεν,

merum Zenodoti commentum esse nequit, quum non videam, quid Zenodotum, si Aristarchi scripturam in omnibus libris invenisset, ad eam immutandam impulerit [11]). Quum ex usu Homerico nomen feminae praeponi debeat atque *Κάειρ', ἣν Λεσβόθεν ἦγεν* nimis obscure dictum sit, suspicor Zenodotum in libris invenisse

Τῷ δ' ἄρα παρκατέλεκτο Κάειρ', ἣν Λεσβόθεν ἦγεν,

sequente versu omisso, ubi quum non intelligeret, *Κάειρα* sive potius *Κάβειρα* (cf. Welcker Tril. p. 211) nomen proprium esse, ut voc. *γυνή* intruderet, initium versus immutavit. Aristarchi scriptura emendatio fuisse videtur diu ante Alexandrinos tentata et in multis libris recepta, sed illi, quam Zenodotum in aliis libris invenisse diximus, posthabenda. Patris huius feminae mentionem poeta non magis fecit, quam in Patrocli concubina v. 667 sq.

K, 306 recte de Achillis equis legitur:

Οἵ κεν ἄριστοι ἔωσι θοῆς ἐπὶ νηυσὶν Ἀχαιῶν.

Zenodotus vero, quum non intelligeret, quomodo Dolo, quamquam Hector optimos tantum equos nominaverat, de Achilleis loquatur (v. 322 sq.), ut Achillis nomen inferret, infelici coniectura, e versu 323 ducta, scripsit:

Αὐτούς, οἳ φορέουσιν ἀμύμονα Πηλείωνα,

quam Aristophanes recepit, nisi quod pro *αὐτούς* correxit *καλούς*, Aristarchus vero recte sustulit [12]).

P, 582 ceteri:

Ἕκτορα δ' ἐγγύθεν ἱστάμενος ὤτρυνεν Ἀπόλλων.

Quum Apollo *ρ*, 71 sqq. Hectori appareat,

ἀνέρι εἰσάμενος, Κικόνων ἡγήτορι Μέντῃ (alii *Πείρῳ*),

---

11) Aristonicus contra Zenodotum monet: *Πῶς δὲ δύναται ἡ Καρίνη Λεσβία εἶναι, εἰ μὴ ἄρα ῥητέον, ὅτι τὴν Λέσβον τότε Κᾶρες κατῴκουν;* At iam Wolfius (Prolegg. p. CCXII) recte annotat: „Scholiastas (Aristonicum) fugiebat historia captae Chryseidis *α*, 366." Heynius (V p. 683): „Supererant plures rationes; poterat mulier iam ante aut vendita, aut captiva in Lesbum abducta esse." Ceterum cf. *ι*, 129.

12) Haud accurate de hoc loco egit Heynius (VI p. 66), qui, si monet: „De Achillis equis locum accipiunt etiam Schol. A et br. Dolon quoque sic infra 291," versum 323, qui omnem tollit dubitationem, omittere haud debuit. Spitzner nihil fere attulit.

hic vero *Φαίνοπι Ἀσιάδῃ ἐναλίγκιος*, ne idem deus brevissimo tempore interposito, ad eundem Hectorem veniens, duarum personarum formas indueret [13]), scripsit ex ε, 461:

Ἕκτορα δὲ φρένα δῖος Ἄρης ὄτρυνε μετελθών [14]),

ubi *φρένα* praeter morem Homericum adiectum videtur. Cf. ρ, 323. Recte Aristonicus: *Πόθεν δὲ οὕτως ὁ Ἄρης ἐξαίφνης πάρεστι* [15]);

Σ, 230 sq.:

Ἔνθα δὲ καὶ τότ' ὄλοντο δυώδεκα φῶτες ἄριστοι
ἀμφὶ σφοῖς ὀχέεσσι (alii *ξιφέεσσι*) *καὶ ἔγχεσιν.*

Zenodotus, in *καὶ τότε* et *ἀμφὶ σφοῖς ὀχέεσσιν* haerens, infeliciter tentavit:

Ἔνθα δὲ κοῦροι ὄλοντο δυώδεκα πάντες ἄριστοι.
οἷσιν ἐνὶ βελέεσσι καὶ ἔγχεσι.

Καὶ recte dicitur (*praeter alios duodecim viri*), atque quod hos duodecim viros suis curribus et hastis periisse legimus, celerem fugam optime proponit. Cf. π, 378 sq. Recte Aristonicus de versibus Zenodoteis monet: *Εἰσὶ δὲ οὔτε τῇ συνθέσει Ὁμηρικοί, οὔτε τὸ οἷσιν βελέεσσιν ὑγιῶς εἴρηται τοῖς ἑαυτῶν· ἔδει γὰρ τοῖς ἀλλήλων.* Cf. Heynium VII p. 463 et Spitznerum [15a]).

Υ, 114 Aristarchus et plurimae editiones:

Ἡ δ' ἄμυδις στήσασα θεοὺς μετὰ μῦθον ἔειπεν.

Zenodotus:

Ἡ δ' ἄμυδις καλέσασα θεοὺς ῥεῖα ζώοντας.

Cf. Schol. et Crameri Anecd. Par. III p. 287. Haesit primum in *στήσασα*, unde reposuit *καλέσασα*. At de *στήσασα* minime cum Zenodoto et Heynio (VIII p. 33) desperandum est, quum *ἄμυδις*

---

13) At ρ, 323 idem Apollo ad Aeneam venerat, *δέμας Περίφαντι ἐοικώς*.

14) Recte Bekker *ὄτρυνε*, quae Zenodotea forma (cf. supra c. III), non *ὤτρυνε*, quod cum Villoisone retinet Heynius (VII p. 358) et ipse Spitzner. *E*, 461 Zenodotus sine dubio scripsit:

Τρῶας δὲ στίχος οὖλος Ἄρης ὄτρυνε μετελθών.

Cf. Schol. Pro *οὖλος* nostro loco *δῖος* posuit, quod et sententiae, et versui magis convenire videbatur.

15) Heynius: „Reponas: unde vero Apollo repente? Est tamen dispar ratio, quum Apollo Ilio vel Pergamo prospicit; at Mars in Olympo sedet." Spitzner: „Equidem crediderim, eum (Martem) Minervae, cuius aemulus est apud Homerum, a grammatico fuisse obiectum, sed Apollo isti proposito satisfacit cumulate."

15a) Qui, ceterum bene disserens, *συνθέσει* (cf. Aristonicus ι, 688. κ, 497. π, 93) male de metro accepisse videtur, quod ultima v. *ἐνὶ* vocalis littera β insequente, non producenda erat. Cf. ipsum Spitznerum de versu heroico p. 45 et Od. μ, 209. In verbis *κοῦροι δυώδεκα πάντες ἄριστοι* coniunctis Aristonicus haesisse videtur.

ἱστάναι periphrasis sit simplicis ἀγείρειν. Non minus ἤ eum offendit atque μετὰ μῦθον ἔειπεν non recte dici videbat, quum dativus deesse non posset, unde locum temere mutavit, non sollicitus de epitheto ῥεῖα ζώοντες, quod hic, quum de parte tantum deorum agatur, minus aptum videtur. Homerus, ni fallor, non μετά, sed πρὸς scripsit. Cf. ξ, 188 sq. [16]). Aristonicus et Didymus recte contra Zenodotum Aristarchi praeceptum proferunt, e quo Homerus ἦ non nisi oratione iam finita adhibet. Cf. Lehrs. p. 104 sq.

Υ, 273 sq. legimus:

Δεύτερος αὖτ' Ἀχιλεὺς προΐει δολιχόσκιον ἔγχος
καὶ βάλεν Αἰνείαο κατ' ἀσπίδα πάντοσ' ἐΐσην.

Zenodotus:

Δεύτερος αὖτ' Ἀχιλεὺς μελίῃ ἰθυκτίωνι [17])
ἀσπίδα νύξ' ἐς χαλκὸν ἀμύμονος Αἰνείαο

emendavit e loco η, 258 sqq. (adde ο, 532. 536. ψ, 818 sq.):

Πριαμίδης μὲν ἔπειτα μέσον σάκος οὔτασε δουρί,
οὐδ' ἔῤῥηξεν χαλκόν· ἀνεγνάμφθη δέ οἱ αἰχμή·
Αἴας δ' ἀσπίδα νύξεν ἐπάλμενος.

Cf. Schol. υ, 273. 279. 283. 316. Crameri Anecd. Par. III p. 291. Haesit, ni fallor, in βάλεν κατ' ἀσπίδα, quod *scutum petiit*, non *scutum percussit* significare putavit, qua eadem ratione βάλεν Αἰνείαο κατ' ἰσχίον ε, 305 intellexisse videtur. Cf. Lehrs. p. 71 sqq. Μελίῃ ἰθυκτίωνι vero e φ, 169 scripsit ob versum 277. Νύξε hic contra usum Homericum dici Aristonicus monuit, neque νύξ' ἐς χαλκὸν defendi poterit.

Χ, 378 Zenodotus pro versu saepe obvio (cf β, 79. ι, 17. κ, 533. λ, 276. 587):

Ὦ φίλοι, Ἀργείων ἡγήτορες ἠδὲ μέδοντες,

e mera coniectura scripsit:

---

16) Alii coniicient μετὰ πᾶσιν ἔειπεν (cf. Od. ι, 171. κ, 188, ubi Rhianus, ut hic, μῦθον. μ, 319), quod nostro loco, ubi non omnes di convocati sunt (cf. υ, 33 sqq.), minus aptum videtur. Nitzschius, μ, 319 μῦθον cum codicibus Vindobon. et Harlei. praeferens (III p. 401), Homericum usum, qui dativum postulat, ignoravit. Cf. γ, 303. ι, 622 sq. υ, 292. ω, 277. Od. κ, 561.

17) De forma ἰθυκτίων cf. supra c. III. Dativum pro accusativo Zenodoto restitui. Heynius (VIII p. 72): „Sane quidem μελίην ἰθυπτίωνα infra φ, 169 videbimus, unde potuit huc traductum esse; potuit quoque ex superioribus ἤλασε repeti, aut scriptum esse μελίῃ ἰθυκτίωνι." Spitzner nihil profecit. In Schol. Twonl. et Victor. et apud Cramerum corrupte legitur ἔπειτα (pro ἀσπίδα) νύξε χαλκόν.

Ἀτρείδη τε καὶ ἄλλοι ἀριστῆες Παναχαιῶν,

quum hic, tanta victoria reportata, honorifica Agamemnonis allocutio postuletur. At non vidit, illum versum (cf. *η*, 327. *ψ*, 236) non nisi in principum concione locum habere, minime in ipsa pugna et in campo, ubi duces et milites adsunt. Recte Aristonicus monet: *Οὐ πάρεστι δὲ ὁ Ἀγαμέμνων ἐπὶ ταύτης τῆς μάχης, ἀλλ' ἐπὶ τῆς σκηνῆς ἔτι τραυματίας ὤν* [18]).

Alii nostro loco illum versum adhibuerunt (*β*, 110. *ο*, 733. *τ*, 78):

Ὦ φίλοι ἥρωες Δαναοί, θεράποντες Ἄρηος.

Vulgatam tuentur loci simillimi *ρ*, 247 sq. *ψ*, 456 sq. Recte Heynius (VIII p. 321) monet: „Qui duces compellat, et milites."

Duos versus pro uno habuit Zenodotus *β*, 55, ubi ceteris legentibus:

Τοὺς ὅγε συγκαλέσας πυκινὴν ἠρτύνετο βουλήν (cf. *κ*, 32),

versus scripsit notissimos:

Αὐτὰρ ἐπεί ῥ' ἤγερθεν ὁμηγερέες τ' ἐγένοντο,
τοῖσι δ' ἀνιστάμενος μετέφη κρείων Ἀγαμέμνων.

Zenodotus, quum v. 76 legeretur *ἤτοι ὅγ' ὣς εἰπών*, minime autem diceretur, Agamemnonem surrexisse, locum ex *α*, 57 sq. 68 infeliciter emendavit. Versus enim ille *αὐτὰρ ἐπεί ῥ' ἤγερθεν* de populi tantum concione, nunquam de *βουλῇ γερόντων* adhibetur [19]). Tacet Langius.

Transeamus ad eos locos, quibus Zenodotus versus contraxit.

Α, 219 pro duobus versibus:

Ἦ καὶ ἐπ' ἀργυρέῃ κώπῃ σχέθε χεῖρα βαρεῖαν,
ἂψ δ' ἐς κουλεὸν ὦσε μέγα ξίφος, οὐδ' ἀπίθησεν,

finxit illum:

Ὣς εἰπὼν πάλιν ὦσε μέγα ξίφος, οὐδ' ἀπίθησεν.

Offendit eum, quod oratione Minervae iam finita poeta dicat:

Ἦ καὶ ἐπ' ἀργυρέῃ κώπῃ σχέθε χεῖρα βαρεῖαν,

quod Achillem iam prius, simulac Minervam conspexerit, fecisse oporteat. At haec verba ita intelligenda, ut ille dextram eodem, quo eam inhibuerat, gestu tenuerit. Atque non intellexit Zenodo-

18) Memini Naekium, praeceptorem desideratissimum, eleganti doctrina subtilique acumine insignem, olim in lectionibus, quas de Iliade habuit, docuisse, Zenodotum genuinam servasse scripturam, ab Aristarcho, quum Agamemnonis vulnus repugnaret, oblitteratam, atque hanc ipsam discrepantiam apertum esse argumentum, qua ratione vestigia variorum singularum rhapsodiarum poetarum ab Alexandrinis criticis sint expuncta.

19) Aristonicus: *Ἀπίθανον δὲ ἐν ἑπτὰ δημηγορεῖν.* At sequitur v. 76: *Ἦτοι ὅγ' ὣς εἰπὼν κατ' ἄρ' ἕζετο.*

tus, quam pulchre locum corruperit, quum versus 218 non Achillis, sed Minervae orationem finiat. Quis vero ὣς εἰπὼν referat ad orationem non continuo praecedentem [20]?

A, 446 sq. versus:

Ὣς εἰπὼν ἐν χερσὶ τίθει, ὁ δ' ἐδέξατο χαίρων
παῖδα φίλην· τοὶ δ' ὦκα θεῷ ἱερὴν ἑκατόμβην...

hoc modo contraxit:

Ὣς εἶπεν· τοὶ δ' ὦκα θεῷ ἱερὴν ἑκατόμβην... [21]).

Zenodotus, quum Ulixem iam ante orationem v. 442—445 habitam putaret filiam patri tradidisse, locum detruncavit [22]). Verbis ὁ δ' ἐδέξατο — φίλην omissis τοὶ male opponuntur Ulixi.

Maioris temeritatis testis est locus β, 60—70, ubi Somnii orationem, ne tota repeteretur, in compendium redegit, suo Marte hos duos versus fingens, undecim, qui legebantur, versibus sublatis:

Ἠνώγει σε πατὴρ ὑψίζυγος αἰθέρι ναίων
Τρωσὶ μαχήσασθαι προτὶ Ἴλιον. Ὣς ὁ μὲν εἰπὼν... [23]).

Aristonicus contra Zenodotum recte monet: Τὰ δὲ ἀπαγγελτικὰ δὶς καὶ τρὶς ἀναπολεῖται ταῖς αὐταῖς λέξεσι· καὶ οὐ δυσωπητέον· ἀναγκαῖον γὰρ καὶ τοῖς συγκεκλημένοις βουλευταῖς διηγήσασθαι. Cf. Lehrsius p. 357 sq., qui vere dicit, minime Zenodotum hanc quasi certam legem habuisse, ut nullum versum saepius reliquerit. Quod Heynius (IV p. 205) contra Aristonicum profert: „At reponi potest: hoc idem rhapsodorum studio factum esse," non video, quid valeat, quum poetae usus repetitionem postulet [24]).

---

20) Zenodoteum Wolfius recte improbat (censura p. 252). Quid Zenodotum moverit, nemo hucusque dixit. Zenodoteae scripturae rationem non liquere Heffter profitetur.

21) Εἶπεν pro εἰπὼν Zenodoto recte, ni fallor, restitui. Ἱερὴν Zenodotus et Aristarchus, κλειτὴν alii. Ἱερὴν ἑκατόμβην habemus α, 99. 443. Od. ν, 176, ἱερὰς ἑκατόμβας Od. γ, 144. λ, 132, κλειτὴν ἑκατόμβην non nisi in uno eodemque versu ter repetito (δ, 102. 120. ψ, 864. 873), κλειτὰς ἑκατόμβας in versibus interpolatis, η, 450. μ, 6. Equidem poetam non ita variasse iudico, ut v. 443 ἱερὴν, v. 446 κλειτὴν poneret, unde cum Langio (I p. 15) et Hefftero ἱερὴν praefero. Quomodo Freytagius dicat, κλειτὴν maiorem vim habere et pleniori descriptioni magis convenire, non adsequor.

22) Qui Homerum novit, Hefftери stupebit iudicium, qui verba ἐν χερσὶ τίθει — παῖδα φίλην abesse adfirmat posse (p. 15), „quum res, quae iis significetur, ex toto sententiarum nexu facile suppleri queat." Quis non inique desiderabit patrem laete filiam accipientem? Talia Homerus non omittit.

23) Ἠνώγει recte Heynius et Spitzner cum Eustathio; Schol. A ἀνώγει. De μαχήσασθαι προτὶ Ἴλιον, quod Homerico usui repugnat, vide supra c. VII.

24) Eust. p. 175, 41 sqq.: Ὅρα δέ, ὅτι καὶ τὸν σοφώτατον Νέ-

Π, 93 Zenodotus quattuor versibus eiectis intulit hunc male natum:

Μή σ' ἀπογυμνωθέντα [25]) *λάβῃ κορυθαιόλος Ἕκτωρ*,

quod Zenodoti commentum inrisit Dionysius Thrax, quaerens, cur pro *λάβῃ* non dixerit *δάκῃ* [26]). Aristonicus: *Ἔστι δὲ εὐτελὴς στίχος καὶ τῇ συνθέσει καὶ τῇ διανοίᾳ*. - Quod Heynius, ut v. 93 sqq. spurios esse doceat, monet (VII p. 155): „Nullo modo Achilles divinare poterat id, quod de Apolline mox poeta narraturus est in Patroclum infesto," Zenodotum ad locum temere immutandum inlexisse videtur. At recte Spitzner reponit, Apollinem Hectori et Troianis fere semper auxiliari, ut iure Achilles Patroclum Apollinis Hectori faventis admoneat. Atque Apollinis mentionem Hectori auxiliantis etiam eo Zenodotum sustulisse puto, quod ipse Achilles v. 97 hunc deum invocat, quod idem nuper Lachmannum (de Iliade II p. 25) male habuit. Zenodotus igitur hos versus quattuor versui male ficto cedere iussit, verum, antequam recensionem Homericam ederet, sequentes versus obelo notavit.

Omnibus his viginti quinque, quos vidimus, versibus summam Zenodoti licentiam et temeritatem accusavimus; uno loco (*ι*, 664) vestigia servavit genuinae scripturae ab Aristarcho oblitterata.

στορα ἡ λοξότης τοῦ ὀνείρου ἔλαθε καὶ τοὺς ἄλλους δὲ διὰ τὸ πεπρωμένον· ἔνθα καὶ ἔστιν εἰπεῖν, ὡς ἐὰν ὁ Ἀγαμέμνων, ὡς προεγράφη, νήπιος παρὰ τῷ ποιητῇ (v. 38), *ὡς μὴ ἐπιστήσας τῷ τοῦ ὀνείρου σκοπῷ, διὰ τί μὴ καὶ οἱ ἄλλοι νήπιοι οἱ συναγνοήσαντες, μηδὲ βασανίσαντες; Καὶ τάχα λύει τὸ τοιοῦτον ἄπορον ἡ τοῦ Ζηνοδότου γραφή.* Quaestio et solutio dignae sunt ingenio ieiune subtili grammaticorum, qui *λυτικοὶ* vocantur. At Zenodotum illud profecto non movit.

25) *Ἀπογυμνωθέντα* Villoiso, quod rectius mihi videtur, quam Bekkeri *ἀπομουνωθέντα*, et ob Dionysii inrisionem, quae hac scriptura accepta multo est aptior, et ob Od. *κ*, 301, unde initium versus desumptum. Cf. *π*, 815. Spitzner Bekkeri *ἀπομουνωθέντα* ne cognovisse quidem videtur.

26) Sic intelligo verba Schol. V: *Ὃν (στίχον) παρῴδει Διονύσιος ὁ Θρᾷξ ἀντὶ τοῦ λάβῃ δάκῃ λέγων.* Spitzner dicit, Dionysium in Zenodoti ludibrium *fecisse* illum versum.

IX.

DE VERSIBUS TRANSPOSITIS.

Quinque tantum Zenodoteae in transponendis versibus licentiae habemus exempla.

Δ, 123 sq. hoc modo transposuit:

> *Αὐτὰρ ἐπειδὴ κυκλοτερὲς μέγα τόξον ἔτεινεν,*
> *νευρὴν μὲν μαζῷ πέλασεν, τόξῳ δὲ σιδήρῳ,*

quum verba *κυκλοτερὲς μέγα τόξον ἔτεινεν* male intelligeret. Recte Aristonicus dicit, Zenodotum non vidisse, *ὅτι διὰ τῶν παρεπομένων τοῦ ἕλκε δ' ὁμοῦ* (v. 122) *καὶ νευρὴν μὲν μαζῷ πέλασεν* (v. 123) *συνίστησιν τὴν ἔντασιν γεγενημένην, ἔπειθ' ἑξῆς λέγει, ἐπειδὴ ἐνετάθη καὶ κυκλοτερὲς ἐγένετο, ἀπέστειλε τὸ βέλος.* Cf. Od. *ρ*, 409 sqq.

Aristarchus librum octavum incepit a versu:

> *Ἠὼς μὲν κροκόπεπλος ἐκίδνατο πᾶσαν ἐπ' αἶαν,*

quem Zenodotus, ut deorum concio auroram antecederet (*ὥςτε τὴν τῶν θεῶν ἀγορὰν ὀψὲ γενέσθαι*), post *θ*, 52 posuit, quum Iovis commemorationem *η*, 478—481 arcte cum deorum concione coniungendam esse arbitraretur, unde *η*, 482 omisit [1]). Zenodotum deorum concionem ad librum septimum rettulisse, ut octavus ab eodem, quo nunc, versu inceperit, *θ*, 52 continuo secuto, haud satis certo suspiceris. Cf. Bergkius l. l. p. 483 sq. [2]).

---

1) Heynius (IV p. 410): „Suspicor, ab eius exemplari versum primum (*θ*, 1) abfuisse, ut iungerentur novissima libri superioris (*η*, 482) cum initio huius libri (*θ*, 2)." At *η*, 482 Zenodotum sustulisse scimus.

2) Aristarchum Iliadem et Odysseam in viginti quattuor libros distribuisse referunt Pseudoplutarchus de Homeri poesi II, 4 et Eustathius p. 5, 300 sqq., neque dubitant, ut alios mittam, Wolfius (Prolegg. p. CCLVI), Heynius (VIII p. 788), Lehrsius (p. 373) et Bernhardius (II p. 112 sq.). At Lachmannus (l. l. p. 30) bene mo-

Ante κ, 520:

Ὡς ἴδε χῶρον ἐρῆμον, ὅθ' ἔστασαν ὠκέες ἵπποι,

posuit versum κ, 522:

Ὤιμωξέν τ' ἄρ' ἔπειτα, φίλον τ' ὀνόμηνεν ἑταῖρον,

ne ὡς ἴδε cum participio ἀνορούσας v. 519 coniungeretur, non perspiciens, ἔπειτα (v. 522 ad ὡς ἴδε (v. 520) referri, neque intelligi, nisi v. 520 sq. praecedant. Quod Aristonici verba indicant: Πρῶτα δὲ ἰδόντα ἔδει κλαίειν.

Versus ξ, 394 sq. post versum ξ, 399 posuit, ut primam trium comparationum tertiam faceret, ne versus:

Οὔτε θαλάσσης κῦμα τόσον βοάᾳ ποτὶ χερσόν,

continuo sequeretur praecedentem strepentis maris commemorationem (v. 392), quam Zenodoteae transpositionis causam Spitzner intellexit. Aristonicus: Ὁ δὲ Ὅμηρος τὰ ἐπιτατικώτερα λέγει· πάντων δὲ ἐπιτατικώτερον ἀνέμου φορά, ἥτις καὶ τὰ ἄλλα κινεῖ, θάλασσαν καὶ πῦρ [3]).

Σ, 153 sqq. legimus:

Αὖτις γὰρ δὴ τόνγε κίχον λαός τε καὶ ἵπποι,
Ἕκτωρ τε, Πριάμοιο πάϊς, φλογὶ εἴκελος ἀλκήν·
τρὶς μέν μιν μετόπισθε ποδῶν λάβε φαίδιμος Ἕκτωρ,
ἑλκέμεναι μεμαώς, μέγα δὲ Τρώεσσιν ὁμόκλα.

Zenodotus, cuius versus in Schol. A corruptos, iam Heynius (VII p. 451) restituit:

Αὖτις γὰρ δὴ τόνγε κίχον λαός τε καὶ ἵπποι,
Ἕκτωρ τε Πριάμοιο πάϊς, συῒ εἴκελος ἀλκήν,
ὅς μιν τρὶς μετόπισθε ποδῶν λάβε καὶ μέγ' ἀΰτει,
ἑλκέμεναι μεμαώς, κεφαλὴν δέ ἑ θυμὸς ἀνώγει
πῆξαι ἀνὰ σκολόπεσσι, ταμόνθ' ἁπαλῆς ἀπὸ δειρῆς.

---

nuit, hanc distributionem ab Aristarcho profectam esse vix posse, cuius rei primarium argumentum eo continetur, quod Aristarchus, qui cum Aristophane Odysseam ψ, 296 finire statuit, si ipse haec carmina distribuisset, ultimam rhapsodiam inde a ψ, 297 incepisset. Equidem hanc distributionem libentius cum Lachmanno Zenodoti, quam cum Bergkio (l. l.) Pisistrateorum esse statuo.

3) Recte Heynius (VI p. 601) monet: „Sane ex rerum natura primo loco ventus motus esse debet, cuius vi fluctus moventur, et incendium; at poeta non videtur trinas has comparationes ita inter se iunctas velle, ut alia causam, alia effectum eius causae declaret; sed sunt tres comparationes rerum ad sensum potentium." At quod addit: „Ceterum potuere rhapsodi memoria falli et in commemoratione trinarum comparatio ab alio alio ordine institui," Zenodotum a suspicione merae licentiae in versibus transponendis adhibitae absolvere nequit.

In v. 154. Zenodotum offendit *φλογὶ εἴκελος ἀλκήν*, quum, comparationum natura parum perspecta, *ἀλκὴν* igni male tribui putaret, unde hic (adde *ν*, 330), ut *δ*, 253. *ρ*, 281, scripsit *σύν*[4]). Neque minus haesit in Hectoris nomine v. 154 sq. repetito; hinc v. 155 in relativam mutavit enunciationem (de v. 157 non sollicitus, ubi *τρὶς δὲ δύ' Αἴαντες — ἀπεστυφέλιξαν* opponitur illi *τρὶς μέν μιν — λάβε φαίδιμος Ἕκτωρ*), atque ut versum, ubi verba *φαίδιμος Ἕκτωρ* sustulerat, expleret, adiecit *καὶ μέγ' ἄϋτει*, e *φ*, 582 desumptum. Quumque verba *ἑλκέμεναι μεμαώς* (v. 156) deesse nonposse videret, finem vero versus (*μέγα δὲ Τρώεσσιν ὁμόκλα*) occupaverit illo *καὶ μέγ' ἄϋτει*, versus 176 sq. in auxilium vocatos huc transposuit, quos Iridis orationem minus decere, quam ipsius poetae narrationem falso statuit. Aristonicus contra Zenodotum haec profert: *Κακῶς· οὐ γὰρ ὑπὸ τοῦτον τὸν καιρὸν ὁ Ἕκτωρ ἑλκύσαι τὸν Πάτροκλον ἐβούλετο, ἵνα αἰκίσηται, ἀλλ' ἔμπροσθεν* (*ρ*, 125)· *ὅτε δὲ Γλαῦκος ὠνείδισε τὸν προλελοιπότα τὸ σῶμα τοῦ Σαρπηδόνος τοῖς Ἀχαιοῖς* (*ρ*, 142 sqq.), *τότε ἑλκύσαι φιλοτιμεῖται τὸν Πάτροκλον εἰς ἀντικατάλλαξιν τοῦ Σαρπηδόνος* (*ρ*, 160 sqq.), *οὐκ εἰς αἰκίαν· ὅταν μὲν οὖν ὕστερον* (*σ*, 176 sq.) *ἡ Ἶρις εἴπῃ τῷ Ἀχιλλεῖ, ὅτι βούλεται ὁ Ἕκτωρ τὸν Πάτροκλον αἰκίσασθαι, νοητέον μὴ τἀληθὲς ὑποφαίνειν, ἀλλὰ παρορμῆσαι αὐτὸν εἰς τὴν κατὰ τῶν βαρβάρων ὀργήν*. Quae, maximam partem vere disputata, minime cum Heynio argutias dixerim.

---

4) Mirum est, quod Spitzner Bothium, recte suspicantem, ignis *robur* Zenodoto mirum esse visum, iis locis redargui posse putat, quibus de viris fortibus *φλογὶ εἴκελος* sive *ἶσος* legimus (cf. *ν*, 39. 53. 330. 688. *ρ*, 88. *υ*, 423). At nusquam accusativo *ἀλκὴν* addito.

X.

DE VERSIBUS ADIECTIS ET OMISSIS.

Plurimos versus spurios, qui libros Homericos occupaverant, hodie prorsus ignotos, Zenodotus sine dubio removit, alios vero ab aliis criticis sublatos retinuit, nec non quosdam, quos ipse finxit, inseruit. De his versibus, quos nomine versuum *adiectorum* comprehendere liceat, primum agamus.

B, 319 versum:

Λᾶαν γάρ μιν ἔθηκε Κρόνου παῖς ἀγκυλομήτεω,

recte retinuit Zenodotus, quem versum Aristotelem novisse, cuius *ἀπορήματα* cur genuina non habeamus, non video (cf. vindicias meas poetices Aristotelicae p. 102 sq.), e Schol. *β*, 305 discimus. Cf. Heynius IV p. 257 sq. Aristarchus, quum v. 318 male emendasset *ἀΐδηλον*, non potuit hunc versum non eiicere. At v. 318 *ἀρίζηλον ἔθηκεν* retinendum, *conspicuum portentum fecit*, quod versus 319 recte explicat, ut hunc versum contra Aristarchi iudicium defendamus. Cf. Buttmann. Lexil. I p. 253 sqq. Spitzner ad h. l. Langius II p. 20.

E, 808 habuit Zenodotea editio versum ab Aristarcho merito eiectum:

Ῥηϊδίως· τοίη οἱ ἐγὼν ἐπιτάῤῥοθος ἦα,

quem fortasse ipse Zenodotus e *δ*, 390 huc transtulit, Aristonicus: *Ἐναντιοῦται δέ· ἡ γὰρ Ἀθηνᾶ οὔ φησι παροτρύνειν, ἀλλὰ κωλύειν.* Didymus: *Τοῦτον τὸν στίχον οὐχ εὑρῆσθαι καθόλου φασὶν ἐν ταῖς Ἀριστάρχου· καὶ γὰρ ἀντιπράττει καὶ πρὸς τὸ δαίνυσθαί μιν ἄνωγον ἐνὶ μεγάροισιν ἕκηλον* (v. 805), *καὶ οὐχ οἷόν τε ἐπιφέρειν σοὶ δ' ἤτοι μὲν ἐγὼ παρά θ' ἵσταμαι ἠδὲ φυλάσσω* (v. 809).

Post *ν*, 808, Aristarcho teste, legit versum:

Λίην γάρ σφιν πᾶσιν ἐκέκριτο θάρσεϊ πολλῷ.

Versum insiticium Zenodotus male retinuit. *Θάρσει πολλῷ* Homero ignotum, neque *ἐκέκριτο* (scil. *μάχη*) recte dicitur. Aristonicus: *Τοῦτο δὲ ἐπὶ τῶν προκειμένων δηλοῦται.*

Versui ξ, 136 (de Neptuno):

Ἀλλὰ μετ' αὐτοὺς ἦλθε παλαιῷ φωτὶ ἐοικώς,

illum e ψ, 360, paucis non apte mutatis, desumptum adiecit:

Ἀντιθέῳ Φοίνικι, ὀπάονι Πηλείωνος,

quum certam personam hic nominandam esse putaret. Ut Phoenicis personam Neptunus indueret, movit grammaticum locus ρ, 553 sqq. Versum ab ipso Zenodoto, non a rhapsodo, quae Heynii (VI p. 547) erat sententia, adiectum esse censeo. Cf. Wolfium Polegg. p. CCXI. Aristonicus: *Οὐχ ἁρμόζουσι δὲ Φοίνικι οἱ ἐπιφερόμενοι λόγοι· βέλτιον οὖν καθολικώτερον γέροντι ἀπεικάσθαι.* Schol. V: *Τὸ γὰρ προστιθέναι τὸν στίχον ἐκεῖνον καὶ περιεργόν, καὶ ἀπρεπές, Ἀχιλλέως ἀφεστῶτος τῆς μάχης τὸν Φοίνικα μὴ μόνον φαίνεσθαι μετὰ Ἀγαμέμνονος, ἀλλὰ καὶ καταρᾶσθαι Ἀχιλλέως· ἀλλ' ὁ μὲν ὣς ἀπόλοιτο* (ξ, 142)· *ἔστιν οὖν ὡς τὸ ἄνδρι δέμας εἰκυῖα* (Od. θ, 194) *καὶ δέμας δ' ἤϊκτο γυναικί* (Od. δ, 96).

Jam vero ad eos accedamus locos, quibus versus, qui adiectum praecedit, mutatur.

Α, 404, ubi nunc legimus:

Αἰγαίων' — ὁ γὰρ αὖτε βίῃ οὗ πατρὸς ἀμείνων,

Zenodotus scripsit:

Αἰγαίων' — ὁ γὰρ αὖτε βίῃ πολὺ φέρτατος ἄλλων [1]),
ὁππόσσοι ναίουσ' ὑπὸ Τάρταρον εὐρώεντα.

Quum Achilles v. 401 dixerit:

Ἀλλὰ σὺ τόνγ' ἐλθοῦσα, θεά, ὑπελύσαο δεσμῶν,

Aegaeonem Titanem fuisse Zenodotus statuit, unde, in οὗ πατρὸς ἀμείνων haerens, Titanes *ὑποταρταρίους* (ξ, 279) intulit, versum fingens:

Ὁππόσσοι ναίουσ' ὑπὸ Τάρταρον εὐρώεντα.

Cf. υ, 65. Od. κ, 512. ψ, 322. ω, 10 [2]). Recte Aristonicus: *Οὐκ ἔστι δὲ τῶν Τιτάνων ὁ Αἰγεύς, ἀλλ' ἐνάλιος δαίμων· οὕτως καὶ ἡ σύγκρισις λαμβανομένη πρὸς τὸν Ποσειδῶνα* (cuius filius dicitur. Cf. Welcker, Trilog. p. 152 sqq.) *λόγον ἕξει.* De Briareo vide Hes.

---

1) *Ἄλλων* pro corrupto *ἁπάντων* primus Zenodoto restitui, e notissimo genitivi *ἄλλων* usu (cf. α, 505. ζ, 295. ι, 434. ψ, 352). Minus probabiliter Stephanus, Barnesius, Heynius (IV p. 110) et Heffter *φέρτατος ἦεν πάντων, οἵ.* Cf. β, 769, ubi genitivus deest.

2) Nescio an satis certo ex hoc versu Zenodoteo colligas, criticum Ephesium θ, 13 pro *ἠερόεντα* dedisse *εὐρώεντα.*

Theog. 714 sqq. Quo iure Heffter dixerit, Zenodotea scriptura recepta sententiam multo aptiorem videri, non adsequor.

P, 456:

Ὣς εἰπὼν ἵπποισιν ἐνέπνευσεν μένος ἠΰ,

Zenodotus scripsit:

Ὣς εἰπὼν ἵπποισι μένος πολυθαρσὲς ἐνῆκεν.
αὐτὸς δ' Οὔλυμπόνδε μετ' ἀθανάτοισι βεβήκει

Offendit Zenodotus illud ἐνέπνευσεν μένος ἠΰ, quod Iuppiter non ab Ida ad equos transcenderit [3]), unde e τ, 37 (cf. Od. ν, 387) μένος πολυθαρσὲς ἐνῆκεν scripsit. Quumque Iovis ab Ida in Olympum reditum non commemorari inique ferret, sequentem versum adiecit. At cur hoc ipso temporis momento Iuppiter in Olympum redeat, non videmus, atque quod postea hic reditus non indicatur, ab Homeri usu minime abhorret, qui multa silentio transmittit. Cf. Schol. β, 553. ε, 231. 336. ι, 709. π, 411. 432. ϱ, 24. σ, 356. φ, 17. 67. ω, 3. Lehrs. p. 357. In Zenodoteo versu neque αὐτός, neque dativus ἀθανάτοισι (cf. α, 221 sq. π, 864) recte ponitur.

Addimus nonnullos locos, quibus adiectos, qui laudantur, versus in Zenodotea extitisse recensione *suspicamur* [4]).

Aristarchus κ, 349 sq. legit:

Ὣς ἄρα φωνήσαντε παρὲξ ὁδοῦ ἐν νεκύεσσιν
κλινθήτην,

ubi Didymus: Ἐν μέντοι τῇ Ἀριστοφάνους καὶ ἄλλαις ἑτέρως ἐφέρετο·

---

3) Quum deos etiam absentes homines audire et adiuvare Homerus credat (cf. τ, 159. Od. γ, 231. ι, 381. π, 138), non video, cur ἐνέπνευσεν μένος ἠΰ absenti deo non conveniat. Μένος ἔμπνευσε ο, 262 (cf. ο, 60). υ, 110. ω, 442 de dis praesentibus dicitur, at κ, 482 Minerva ipsa non adest.

4) Alios locos, quibus unum pluresve versus adiectos esse audimus, quos Zenodoti fuisse nonnunquam suspicari licet, e Scholiis Homericis hic nominasse sufficiat. Cf. Schol. ε, 785. θ, 131. 168. ι, 140. 159. μ, 130. ν, 367. 433. ξ, 241. 263. 351. ο, 22. 78. 688. π, 607. 867. φ, 140. ψ, 538. ω, 205. De versibus a Pisistrato additis (cf. quae scripsi in ephemer. stud. antiquit 1837 p. 268 sqq. et Nitzschium ad Od. III p. 254. 355 sq.), hic non quaerimus. Ex Alcibiade Platonico II, 21 quinque versus post θ, 548 inseruerunt editores in de a Barnesio. *I*, 539 Aristoteles et versu sψ, 81 sqq. Aeschines auctiores habuit. *B*, 855 Callimachum, γ, 40 Dionysium Scythobrachionem, ν, 730 Zenodotum Malloten (cf. c. II), ξ, 246 Cratetem versus intulisse narrant. Cf. Spitzner. De versibus post β, 783 et 865 additis vide Strab. XIII, 4 p. 929 B C. Eust. p. 366, 13 sq. Alios versus, recentissimo tempore in Iliadem inlatos (λ, 662. φ, 480. ω, 551), iamdudum tollere debebant editores.

Ὣς ἔφαθ᾽· οὐδ᾽ ἀπίθησε βοὴν ἀγαθὸς Διομήδης·
ἐλθόντες δ᾽ ἑκάτερθε παρὲξ ὁδοῦ ἐν νεκύεσσιν
κλινθήτην.

Aristophanes, ni fallor, hanc scripturam, ut plurima, e Zenodoti editione retinuerat, non animadvertens, meram hanc esse critici Ephesii coniecturam, qui in illo *φωνήσαντε*, quum Ulixes tantum locutus sit, haerens (at cf. simile exemplum, a Didymo allatum, *φ*, 298), locum inepte auxit. *Ἑκάτερθε*, mire additum, digamma instructum est, unde *δ᾽ ἑκάτερθε* genuinum esse nequit. Aristarchus Zenodoti commentum sustulit.

Π, 467 sq. legimus:

Ὁ δὲ Πήδασον οὔτασεν ἵππον
ἔγχει δεξιὸν ὦμον,

ubi Schol. V: *Οὐτάσαι τὸ ἐκ χειρὸς τρῶσαι· ἐνταῦθα δὲ ἐπὶ τῷ βαλεῖν τῷ ῥήματι κέχρηται· λέγει γάρ, Σαρπηδὼν δ᾽ αὐτοῦ μὲν ἀπήμβροτεν* (v. 466), *ὅπερ ἐπὶ τῶν ἀφιέντων τάσσεται· διὸ καὶ γράφει Ἀρίσταρχος·*

Ὁ δὲ Πήδασον, ἀγλαὸν ἵππον,
τόν ῥά ποτ᾽ Ἠετίωνος ἑλὼν πόλιν ἤγαγ᾽ Ἀχιλλεύς
ὃς καὶ θνητὸς ἐὼν ἕπεθ᾽ ἵπποις ἀθανάτοισιν,
τὸν βάλε δεξιὸν ὦμον.

At haec Aristarchi esse non posse recte Lehrsius p. 63 sqq. et Spitzner, ceterum Lehrsium, virum acutissimum et de Homeri studio meritissimum, iniuste exagitans [5]), consentiunt. Spitzner igitur hanc scripturam non ipsius Aristarchi, sed scholae Aristarcheae esse coniicit. At Didymus emendationem ab Aristarcheis profectam neque ignorare, neque omittere potuit. Vide mihi ipsa Didymi verba: *Δοκεῖ διὰ τούτων συγχεῖσθαι ἡ διαφορὰ τοῦ βαλεῖν καὶ οὐτάσαι· βέβληται γὰρ ὁ Πήδασος· καὶ μή ποτε γραφή τις ἐφέρετο, δι᾽ ἧς τὸ τῆς λέξεως ἐφύλασσεν Ὅμηρος· οὐ γὰρ ἂν αὐτὸ ἀπαραμύθητον ὁ Ἀρίσταρχος ἀφῆκεν· ἐν τοίνυν τῇ Φιλήμονος ἐφέρετο, ὁ δὲ Πήδασον ἤλασεν ἵππον.* In Ven. codice versui *διπλῆ* appicta est, quae Aristarchi, qui versum *ἀπαραμύθητον ἀφῆκεν*, esse nequit, quamquam video Aristonicum eam et ad *οὔτασεν* et ad pronomen *ὁ ἐξ ἀναλήψεως* positum referre. Aristarchus, ni fallor, *διπλῇ περιεστι-*

5) Interpretatio huius loci a Spitznero, ut Aristarcho provideret, inventa, toti narrationi non convenit; nam tum demum, quum Patroclus spiculum e Thrasymeli corpore traxisset, Sarpedo hastam vibrat, quae non, quod Patroclus declinaverit, aberrat, sed ob nimiam iactus vehementiam longius fertur. Quamquam non nego, hac, quam Spitzner proposuit, ratione Aristarchum locum intellexisse. Ea, quae Spitzner de loco *ν*, 573 docuit, omnino probo.

γμένῃ contra Zenodotum versum notaverat, male cum διπλῇ commutata, atque in Schol. V pro Ἀρίσταρχος scribendum est Ζηνόδοτος, de qua confusione cf. supra c. I. [6]). Atque ipsa emendatio huius loci Zenodoto dignissima, qui et in Πήδασον ἵππον nimis nude dicto et in ὁ δὲ v. 467 sq. repetito haesit, unde adiectivum ἀγλαόν, quod equis nusquam tribuit Homerus, addidit et versus supra v. 151 sq. de Patrocli equis adhibitos inseruit, illo τὸν βάλε δεξιὸν ὦμον e v. 289 desumpto. Lachmannus (II p. 29) de versibus 467—477 eiiciendis non immerito cogitat.

Υ, 30:

Δείδω, μὴ καὶ τεῖχος ὑπέρμορον ἐξαλαπάξῃ.

Schol. V: Τινὲς γράφουσιν:

Οὐ μέντοι μοῖρ' ἐστὶν ἔτι ζωοῦ Ἀχιλῆος
Ἰλίου ἐκπέρσαι εὐναιόμενον πτολίεθρον·
πέρσει δουράτεος θ' ἵππος καὶ μῆτις Ἐπειοῦ [7]).

Aristophanem hos tres versus non legisse inde colligimus, quod eum v. 30 ὑπέρμορον, non ὑπὲρ μόρον scripsisse refertur. De Zenodoto eo probabilius cogitabimus, quod Schol. V nonnunquam τινὲς habet, ubi alii Zenodotum nominant, et argumentum huius scripturae adfertur, ut in Zenodoteis fieri vidimus (supra c. II): Πῶς γὰρ ὁ εἰδὼς μοῖραν ἀμμορίην τε (Od. υ, 76) νῦν διστάζει; Zenodotus in δείδω haesisse videtur, quod Iuppiter timere nequeat, ne Achilles contra fatorum ordinem urbem diruat. At cf. Naegelsbachium l. l. p. 124 sqq. Alter versus e β, 133 desumptus est, ubi Aristarchus Ἴλιον habuit, Zenodotus vero Ἰλίου legisse videtur. Cf. Spitzner ad β, 133. Ad primum versum cf. Od. ε, 41. 114. 345, ad tertium Od. θ, 492 sq. De μέντοι recte monuit Spitzner. Homerus dixisset: Ἀλλ' οὔ οἱ μοῖρ' ἐστὶν Ἰ. ἐ. εὐ. πτ.

Certa igitur versuum ab ipso Zenodoto adiectorum exempla sunt α, 404. ξ, 136. ρ, 456, quibus adde κ, 349. π, 467. υ, 30, si vere hic Zenodotum intelligendum esse suspicati sumus; dubi-

---

6) Erravit vero, quod Zenodotum ob differentiam verborum οὐτάσαι et βαλεῖν locum emendasse dicit. Quod ne mireris, cf. supra c. VIII nota 49.

7) Heynius (VIII p. 12) primo versu ἐπί, sed ἔτι (cf. σ, 10) praestat. Tertium versum, ubi legitur πέρσε δουράτεος ἵππος, recte Spitzner restituit. Non video, cur cum Heynio statuamus, hos tres versus non tam pro v. 30 scriptos, quam in margine aliunde ascriptos fuisse. Spitzner: „Ab Homeri vero indole ista abhorrere iam μέντοι particula (vid. exc. VIII § 3) ostendit. Crediderim potius haec, a poeta aliquo cyclico profecta, ad Homerum auctorem temere esse translata." At poetis epici cycli haec prorsus sunt indigna.

tare licet de *ε*, 808. *ν*, 808, sed recte sine dubio versum *β*, 319 retinuit.

Iam vero accedamus ad versus *omissos*, ubi Zenodotus saepe verum vidit, ut multos versus ab eo sublatos Aristarchus obelo notaverit [8]).

Α, 491 eiecit Zenodotus versum:

Οὔτε ποτ' ἐς πόλεμον, ἀλλὰ φθινύθεσκε φίλον κῆρ,

quod Graeci per totum illud tempus non pugnaverint, quum poeta pugnae in hoc libro nullam faciat mentionem, quae in libro tertio demum incipiat (Schol. *B*: *Ἡ πρόληψίς ἐστιν, ἣ εἰκὸς κατὰ τὸ σιωπώμενον καὶ ἐκκλησίαν καὶ πόλεμον πρὸς τοὺς περιοίκους γενέσθαι*), nisi mavis eum versum ob sequens *πτόλεμον* v. 492 sustulisse, quem, si versus 488—490 et 492 servantur, deesse non posse, ipsa structura ostendit. Cf. infra c. XI. Cur cum Bergkio (l. l. p. 485) statuamus, a quibusdam libris antiquis versum abfuisse, nullam videmus causam.

Β, 168 Zenodotum, invito Aristarcho, expunxisse Barnesius, teste non addito, dicit. Deest in codice Veneto aliisque. Cf. Wolfius in censura p. 250. At versus bene omitti nequit, quod recte Vossius, Humboldtius (opp. V p. 86) et Spitzner monuerunt. Tu cf. *β*, 16 sq. *δ*, 74. 78. *η*, 19 sq. *ξ*, 225 sqq. *τ*, 114 sq. *χ*, 187. 214. *ω*, 121 sq. Od. *α*, 102 sq.

Β, 674 omisit Zenodotus versum:

---

8) De versibus a Zenodoto omissis legimus in Scholiis: *Ζηνόδοτος οὐ γράφει, Ζηνόδοτος οὐδὲ ἔγραφε, οὐκ ἐφέρετο (ἐφέροντο) παρὰ τῷ Ζηνοδότῳ* sive *ἐν τῇ Ζηνοδότου, οὐκ ἦν (ἦσαν) παρὰ Ζηνοδότῳ* sive similia, *Ζηνόδοτος ὅλως οὐδὲ ἔγραφε, Ζηνόδοτος οὐ προςίεται, ἀγνοεῖ, οὐκ, ἐπίσταται, ἦρκε* (cf. Schol. *η*, 482. *ι*, 23. *π*, 93), *περιῄρηκε, περιγράφει.* Non recte Wolfius (Prolegg. p. CCI) et Graefenhanius (II p. 91) *περιγράφειν* idem, atque *ἀθετεῖν* esse dixerunt. Cf. Steph. Thes. VI p. 805 ed. Par. Athenaeus V, 9 narrat: *Διόδωρος δ' ὁ Ἀριστοφάνειος ὅλον τὸν γάμον περιέγραψεν*, quem Athenaei locum adferens Eustathius dicit *περιγράφει, ἤγουν ἀθετεῖ, ἐκβάλλει* (p. 1480, 25). Idem Athenaeus II, 9 de versu *θ*, 231: *Ἐπεσημήνατο ὁ γραμματικὸς Ἀρίσταρχος περιγράφειν τὸν στίχον*, ubi Eustathius, Athenaeum laudans, mire *ὃν δὴ στίχον ὁ Ἀρίσταρχος περιγράφων — ἀθετεῖ* (p. 1198, 14 sq.) At Aristarchus hunc versum ne legisse quidem videtur. Cf. Heynius V p. 458 sq. *Π*, 432 Aristonicus: *Ζηνόδοτος καθόλου περιγράφει τὴν ὁμιλίαν τοῦ Διὸς καὶ τῆς Ἥρας*, Schol. V: *Παρὰ Ζηνοδότῳ οὐκ ἦν ὁ διάλογος τῆς Ἥρας καὶ τοῦ Διός.* Adde Schol. Od. *γ*, 245: *περιγραφομένων οὖν τῶν τριῶν στίχων τὰ τῆς διανοίας χαρίεντα.*

Τῶν ἄλλων Δαναῶν μετ' ἀμύμονα Πηλείωνα.
Aristonicus contra Zenodotum monuit, Homerum *φιλοτιμεῖσθαι ἐν πᾶσι τὸν Ἀχιλλέα πρωτεροῦντα στῆσαι.* Cf. ϱ, 280. Od. λ, 550. Offendit Zenodotus, et nescio an recte, quod Achilles pulcherrimus omnium Graecorum dicatur et cum Nireo comparetur. De toto loco cf. infra c. XI.

Num Zenodotus versum ζ, 135 eiecerit, dubitari potest. Cf. quae c. VII monuimus.

H, 255—257 omisit, quos, quum *ἔγχεα* hic gladios intelligeret (cf. Schol. η, 255. 273), sequentibus repugnare putabat (cf. v. 273 sqq.). At recte Aristarchus docuit, *ἔγχεα* esse hastas e clipeis extractas. Cf. Lehrs. p. 55. Versus 256 sq. leguntur ε, 782 sq.

Cur Zenodotus η, 482 eiecerit, iam supra c. VIII vidimus, ut minime de librorum auctoritate cogites.

Θ, 37 sustulit versum:

Ὡς μὴ πάντες ὄλοιντο ὀδυσσαμένοιο τεοῖο,

recte in *τεοῖο* haerens. Cf. Schol. θ, 28. Apollon. de constr. II, 21 p. 163. At non hunc tantum versum, sed v. 28—40 Aristarchus optimo iure obelo notavit. Cf. Geppert. I p. 11 sq. 74. 102 [9]).

Θ, 284 versum:

Καί σε, νόθον περ ἐόντα, κομίσσατο ᾧ ἐνὶ οἴκῳ

non legit Zenodotus, Aristophanes vero et Aristarchus obelo notarunt, *ὅτι ἄκαιρος ἡ γενεαλογία καὶ οὐκ ἔχουσα προτροπήν, ἀλλὰ τοὐναντίον, ὀνειδισμὸν καὶ ἀποτροπήν.* At nunc rectius de talibus iudicamus. Alii (vide Schol.) versum defendunt. Cf. Heynius V p. 466.

Θ, 371 sq. eiecit versus:

Ἤ οἱ γούναθ' ἔκυσσε καὶ ἔλλαβε χειρὶ γενείου,
λισσομένη τιμῆσαι Ἀχιλλῆα πτολίπορθον,

Aristarchus, fortasse cum Aristophane, proscripsit. Aristonicus: *Ἀθετοῦνται δύο στίχοι, ὅτι οὐκ ἔδει κατὰ μέρος διηγήσασθαι, καὶ ταῦτα πρὸς τὴν καλῶς εἰδυῖαν· καὶ μὴν οὐδὲ ἡμεῖς περισσόν τι προσιστοροῦμεν.* At Minerva ira accensa rem sibi invisam animo non potest non repetere [10]).

---

9) Versus 33—37 infra v. 464—468, unde huc translati sunt, leguntur, ubi v. 466—468 ab optimis libris absunt. Vides locum nostrum interpolatum esse e loco iam interpolato.

10) Aristarchus praeterea in Achillis epitheto *πτολίπορθος* haesit. Cf. Aristonicus ο, 56: *Φησὶν ὁ Ἀρίσταρχος, ὅτι οὐδαμῇ τὸν Ἀχιλλέα πτολίπορθον εἴρηκεν, ἀλλὰ ποδάρκη καὶ ποδώκη.* Idem vero φ, 550: *Ἡ διπλῆ, ὅτι πλεονάζει ἐπ' Ὀδυσσέως τὸ πτολίπορθος διὰ τὴν Ἰλίου πόρθησιν, νῦν δὲ ἅπαξ ἐπ' Ἀχιλλέως.* At addendus est locus ω, 108. *Πτολίπορθος*, Ulixi quidem proprium, aliis quoque recte tribuitur. Cf. β, 728. ε, 333. υ, 152. 384.

Θ, 385—387 Zenodotus omisit [11]), Aristophanes et Aristarchus obelo confoderunt, quos versus *ε*, 734 sqq. aptos habuerunt. *Πράττεται γάρ τινα· ἐνταῦθα δὲ πρὸς οὐδὲν ἀναλαμβάνει τὴν παντευχίαν.* At poeta v. 388 dicit, *τεύχεσιν ἐς πόλεμον θωρήσσετο δακρυόεντα*, quem versum reliquerunt. Zenodotum repetitio male habuit, quae eum, Aristonico teste, etiam induxit, ut *θ*, 493—496 (cf. *ζ*, 318—320) tolleret, ubi Aristonicus: *Ὁ δὲ Ἀρίσταρχος οἰκειότερον ἐνταῦθα κεῖσθαι λέγει διὰ τὸ ἐν τῷ στρατεύματι διαλέγεσθαι.* Post *μῦθον ἄκουον* (v. 492), nullo versu interposito, ipsa oratio sequi nequit.

Θ, 535—537 Zenodoti editio non habuit. Aristonicus: *Ἡ διπλῆ, ὅτι ἢ τούτους δεῖ τοὺς τρεῖς στίχους μένειν, οἷς τὸ ἀντίσιγμα παράκειται, ἢ τοὺς ἑξῆς τρεῖς* (v. 538—540), *οἷς αἱ στιγμαὶ παράκεινται· εἰς γὰρ τὴν αὐτὴν γεγραμμένοι εἰσὶ διάνοιαν· ἐγκρίνει δὲ μᾶλλον Ἀρίσταρχος τοὺς δευτέρους διὰ τὸ καυχηματικωτέρους εἶναι τοὺς λόγους.* At Hectorem animo elatum et in initio et in fine enunciationis crastinum diem fortiter proferre aptissimum videtur, neque eandem sententiam tribus sequentibus versibus repeti concedimus [12]).

Θ, 557 sq. Zenodotus recte omisit, obelo notarunt Aristophanes et Aristarchus. Male huc translati e *π*, 299 sq., ubi aptissimi sunt, vere iudicante Aristonico: *Ἐκεῖ γὰρ αἰφνίδιον βούλεται ἐπίλαμψιν παραστῆσαι, αἰφνιδίως Πατρόκλου ἐπιφανέντος, ἐνταῦθα δὲ παρατεταμένην νηνεμίαν κατ' εὐδίαν.* Cf. Geppert. I p. 13.

Ι, 23—28 eiecit. De tribus prioribus, quos Aristophanes et Aristarchus proscripserunt, Didymus: *Ὅτι ἄμεινον ταῦτα λέγειν ἐν τῇ ἀποπείρᾳ* (*β*, 116)· *νῦν δὲ οὐκ ἀποπειρᾶται, ἀλλὰ περὶ ἀποστάσεως ἀληθῶς λέγει, ἐγκεκυρηκὼς τοῖς τοῦ Διὸς ἐλαττώμασιν.* At hoc est argutari. De tribus versibus sequentibus (26—29) Aristonicus: *Ἡ διπλῆ, ὅτι Ζηνόδοτος ἦρκε τοὺς στίχους πρὸς οὐδὲν ἀναγκαῖον, ἀλλὰ ἕνεκα τοῦ κατ' ἄλλους τόπους* (*β*, 139) *φέρεσθαι· τοιοῦτος δέ ἐστι περὶ τῶν διφορουμένων* [13]). Zenodotus Agamemnonis oratio-

---

11) Errat Aristonicus *ε*, 734, ubi Zenodotum hos versus hic reliquisse dicit. Scholiorum dissensus fugit Heynium.

12) Hector dicit: „Crastino die Diomedem et multos eius socios mea manu perimam; nam crastinum diem Graecis infaustissimum fore, certissime scio."

13) Villoiso, quem Heynius sequitur, Aristonici notam ad v. 29 sqq. rettulit, at hos versus Zenodotus non sustulit, sed immutavit. Cf. supra c. VIII. Non rectius Bekker et Spitzner haec ad v. 23 sqq. ascripta esse putant, quum, si de his Aristonicus ageret, neque Aristarchi *ἀθέτησιν* ignorare, neque hanc solam causam adferre potuisset, cur a Zenodoto versus sint omissi. Atque ex ipsis Aristonici verbis videmus, Zenodotum v. 21—28 omisisse.

nem detruncavit, quum putaret, Agamemnonem his desperationem suam profiteri debere, non fugam principibus proponere iisdem, quibus in ἀποπείρᾳ usus est, verbis; at desperatio tanta est, ut nullam nisi in fuga salutem esse speret.

I, 416 versum minime necessarium atque languide e loco Odysseae ω, 476 additum:

Ἔσσεται, οὐδέ κέ μ' ὦκα τέλος θανάτοιο κιχείη,

Zenodotus optimo iure sustulit, Aristarchus obelo notavit. Aristonicus: Ἀθετεῖται, ὅτι νομίσας τις κρέμασθαι τὸν λόγον προςέθηκεν αὐτόν· καὶ γὰρ κατὰ τὸ κοινὸν ἐπιλέγεται οὐδέ κέ μ' ὦκα· δεῖ οὖν κατὰ τὸ κοινὸν λαβεῖν τὸ ἔσται ἀπὸ τοῦ προκειμένου ἄφθιτον ἔσται (v. 413). Cf. Lehrs. p. 359 sq.

I, 694 versum temere e versu 431 inlatum:

Μῦθον ἀγασσάμενοι· μάλα γὰρ κρατερῶς ἀπέειπεν [14]),

a Zenodoto eiectum, Aristophanes et Aristarchus proscripserunt [15]). Aristonicus: Ζηνόδοτος μὲν οὐ γράφει, Ἀρίσταρχος δὲ ἀθετεῖ, ὅτι ἐξ ἄλλων τόπων ἐστὶν ὁ στίχος· νῦν γὰρ οὐχ ἁρμόζει· τότε γὰρ εἴωθεν ἐπιφωνεῖσθαι, ὅταν ὁ αὐθεντῶν τοῦ λόγου καταπληκτικά τινα προςενέγκηται· νῦν δὲ πῶς ἂν ἐπὶ Ὀδυσσέως λέγοιτο τοῦ μηνύοντας τὰ ὑπ' Ἀχιλλέως εἰρημένα; Heynius (V p. 688) eos, qui versum interpolaverint, de Achille cogitasse dicit. Cf. Geppert. I p. 14.

K, 240 Zenodotus omisit, Aristarchus obelo confodit versum:

Ὣς ἔφαθ'· ἔδδεισεν δὲ περὶ ξανθοῦ Μενελάου,

ὅτι περισσὸς ὁ στίχος καὶ παρέλκων καὶ μὴ ἐπιλεγόμενος ἀπαρτίζει τὴν διάνοιαν. At versus tantum abest, ut supervacaneus sit, ut eo et ob sententiam et ob sequens αὖτις carere non possimus, quum orationem finitam sequens versus (241) continuo sequi nequeat. De ἔδδεισεν περὶ confert Heynius (VI p. 45) ρ, 240: Οὔτι τόσον νέκυος πέρι δείδια, quae Aristarchi scriptura. Adde κ, 93.

K, 253 versum, ab Aristotele (cf. Poet. 25 et Schol.) lectum, in quo interpretando veteres desudarunt:

Τῶν δύο μοιράων, τριτάτη δ' ἔτι μοῖρα λέλειπται,

immerito Zenodotus eiecit, Aristophanes et Aristarchus proscripserunt. Cf. Spitzner. Versum bene abesse posse vix Gepperto (I p. 22) concedo, quum accuratior temporis descriptio desideretur [16]).

---

14) Lectionem ἀπέειπεν adfert Schol. A, quod hic locum non habere quum alii viderent, scripserunt ἀγόρευσεν. Cf. θ, 29.

15) Aristophanem versum obelo notasse dicit Didymus, Aristarchum vero Aristonicus; uterque recte. Scholiorum a Bekkero ad v. 694 relatorum alterum et tertium sunt coniungenda.

16) Aristonicus: Ἀθετεῖται, ὅτι αὔταρκες τὸ κεφαλαιωδῶς εἰ-

K, 497 versum inepte adsutum

Τὴν νύκτ', Οἰνείδαο πάϊς, διὰ μῆτιν Ἀθήνης,

(de digamma v. *Οἰνείδαο* monet Heynius VI p. 99) non scripsit Zenodotus, obelo notarunt Aristophanes et Aristarchus. Aristonicus: *Ἀθετεῖται, ὅτι καὶ τῇ συνθέσει εὐτελής, καὶ μὴ ῥηθέντος δὲ νοεῖται, ὅτι ὡς ὄναρ ἐφίσταται τῷ Ῥήσῳ ὁ Διομήδης· καὶ τὸ διὰ μῆτιν Ἀθήνης λυπεῖ· μᾶλλον γὰρ διὰ τὴν Δόλωνος ἀπαγγελίαν.* Cf. Geppert. I p. 21.

K, 534 Zenodotus versum, qui Od. *δ*, 140 recurrit, male eiecit:

Ψεύσομαι ἤ ἔτυμον ἐρέω; κέλεται δέ με θυμός,

quod Nestor non dubitanter, sed certo dicat (v. 535):

Ἵππων μ' ὠκυπόδων ἀμφὶ κτύπος οὔατα βάλλει.

At dubitationis significatio, v. 534 indicata, recte v. 535 omitti potuit.

Λ, 13 sq. recte omisit Zenodotus, obelo confoderunt Aristophanes et Aristarchus, vere iudicantes, hos versus *β*, 453, ubi reditum in patriam paullo ante speraverant Graeci, apte addi, minime nostro loco. Cf. Geppert. I p. 13 [17]).

Λ, 78—83 eiecit Zenodotus, Aristophanes vero et Aristarchus, quod veritati repugnarent, proscripserunt [18]). Quod iudicium verissimum est. Cf. Heynius VI p. 137. Geppert. I p. 27 sq. Lachmannus II p. 5, qui recte *λ*, 72—83 damnat. Bekker nunc versus illos in marginem relegavit.

Λ, 179 sq. minus recte Zenodotus omisit, Aristarchus obelo notavit [19]). Aristonicus: *Ὅτι κατὰ τὴν Πατρόκλου ἀρίστειαν* [20]) *τά-*

πειν, ἄστρα δὲ δὴ προβέβηκεν· τὸ γὰρ τοῦ καιροῦ τοῦτο ἀπαιτεῖ· τὸ δὲ προςδιασαφεῖν κατὰ τὸ ἀκριβὲς τὸ παρεληλυθὸς καὶ τὸ περιλειπόμενον ὥςπερ ἀστρονόμου τινός· οὐχ Ὁμηρικὸν δὲ καὶ τῶν δύο· οἱ δύο γὰρ λέγει καὶ τοὺς δύο, τῶν δύο δὲ ἢ τοῖς δύο οὐκ ἔστιν εὑρεῖν παρ' Ὁμήρῳ. Pro *Ζηνόδοτος δὲ ἔγραφεν* legas *Ζ. οὐδὲ ἔγραφεν.* De noctis partibus cf. Welckeri Tril. p. 500 sq.

17) Spitzner dicit, se Schol. obloqui nolle, „quamquam aliquis, addit, ex iis, quae Agamemno *ι*, 17 sqq. suadet, non modo contrarium possit dicere, verum etiam nostrum librum, de quo dubitant viri docti, arctiore quasi vinculo cum prioribus constringere." At tota commemoratio reditus in patriam hic inepta videtur.

18) *Οὐ γὰρ δύνανται πάντες* (v. 78) *τὸν Δία αἰτιᾶσθαι βοηθοῦντα τοῖς Τρωσίν, ἀλλ' οἱ τῶν Ἑλλήνων βοηθοί· καὶ τὸ ὁ δὲ νοσφὶ λιασθεὶς τῶν ἄλλων ἀπάνευθε καθέζετο* (v. 80 sq.) *ὡς ἐπὶ ταὐτὸ συνηθροισμένων αὐτῶν λέγει· προείρηκε δέ, οἱ δ' ἄλλοι οὔ σφιν πάρεσαν θεοί* (v. 75)*· ἀπό τε τοῦ Ὀλύμπου οὐ παρειςάγεται θεωρῶν τὴν ἐπὶ Τροίας μάχην, ἀλλ' ἀπὸ τῆς Ἴδης, ὅθεν διὰ τῶν ἑξῆς μεταβαίνει εἰς αὐτόν.*

19) Aristophanem v. 180 tantum proscripsisse tradit Schol. A. Errat Schol. V: *Ἀριστοφάνης τοὺς δύο ἀθετεῖ· Ζηνόδοτος δὲ οὐ(δὲ γράφει).*

20) Aristonicum similes versus, non eosdem, respexisse (*π*, 378

ξιν ἔχουσι, νῦν δὲ οὔ· προείρηται γάρ, πολλοὶ δ' ἐριαύχενες ἵπποι κεῖν' ὄχεα κροτάλιζον ἀνὰ πτολέμοιο γεφύρας (v. 159 sq.). At illi versus, quibus Agamemnonis persecutio Troianorum fugientium describitur (v. 172—178), non sufficere videntur. Bekker Aristarchi ἀθέτησιν probavit.

Λ, 356 Zenodotus eiecit, Aristophanes et Aristarchus proscripserunt versum:

Γαίης· ἀμφὶ δὲ ὄσσε κελαινὴ νὺξ ἐκάλυψεν.

Aristonicus: Ὁ ὀβελὸς καὶ ὁ ἀστερίσκος, ὅτι ἐν ἄλλῳ τόπῳ (ε, 310, ubi cf. Schol.) ὀρθῶς κεῖται· οὐ γέγονε γὰρ σφόδρα πληγή, ὡς ἐπὶ Αἴαντος (immo Αἰνείου)· οὐ θλάσσει δέ οἱ κοτύλην· πῶς οὖν ἐσκοτώθη; Vere Heynius (VI p. 280): „At si grammaticus tali ictu capitis percussus fuisset, facile sensurus fuisset, quomodo vertigo inde nasci posset." Ἐρείσατο (v. 355) sine γαίης stare non potest, quod Heynius vidit, unde aut uterque versus (355 sq.), aut neuter est tollendus. At versus illos deesse non posse, iam ἄμπνυτο v. 359 ostendit. Cf. ξ, 438 sq.

Λ, 515 recte omisit versum tenuem et exilem, Spitznero iudice, qui „miserabiliter carmen deformat" (Lehrs. p. 360):

Ἰούς τ' ἐκτάμνειν, ἐπί τ' ἤπια φάρμακα πάσσειν,

quem Platonem, qui Conviv. p. 214 B v. 514 tantum adfert, ignorasse suspicari licet, recte iudicans, inepte dici, medicum in rebus ad medicinam pertinentibus esse πολλῶν ἀντάξιον ἄλλων. Aristophanes et Aristarchus versum obelo notarunt [21]), quos recentiores editores secuti sunt. Cf. Geppert I p. 21.

Λ, 705 versum:

Δαιτρεύειν, μή τις οἱ ἀτεμβόμενος κίοι ἴσης,

Zenodotus recte eiecit, Aristarchus vero obelum ei appinxit. Aristonicus: Ἐκ τῶν περὶ τῆς κοινωνίας λεγομένων ἐν Ὀδυσσείᾳ (ι, 42. 549) μετάκειται ὁ στίχος· ἔνθα καὶ εὔλογον αὐτοὺς τὰ λάφυρα ἐξ ἴσου μερίζεσθαι· ἐνταῦθα δὲ οὐκ ἐπέβαλλεν ἐξ ἴσου μερίζεσθαι, ἀλλ' ἀνάλογον ἑκάστῳ τοῖς ὀφειλομένοις· οὐ γὰρ ἐκ πολέμου λαφυραγωγίας [22]).

---

sq. 699), iam Wolfius (Prolegg. p. CCII) monuit. V. 179 alibi non legitur, neque qui recte compareiur; quem cur cum Heynio (VI p. 156) *serioris rhapsodi fetum* habeamus, non video.

21) Aristonicus: Ἀθετεῖται, ὅτι οὐκ ἀναγκαία ἡ ἐξαρίθμησις· μεῖον γάρ, εἰ μόνον ἰοὺς ἐκτάμνειν καὶ φαρμακεύειν οἶδεν. At non deerant, qui versum defenderent, animadvertentes, ὅτι τὸ χειρουργικὸν καὶ τὸ φαρμακευτικὸν εὕρητο παρὰ τοῖς παλαιοῖς, ὅτι δ' οὐκ ἴσασι τὸ διαιτητικόν.

22) Alii ἴσης interpretabantur τὸ δίκαιον καὶ ἴσον ἐχούσης; at, ut de hac significatione taceam, versus nihilominus superfluus est et molestus.

Cf. Heynius VI p. 245. Bekk. de interpretatione veterum scriptorum p. 68. Geppert. I p. 14. II p. 150.

Λ, 794 sq. omisit Zenodotus versus:

Εἰ δέ τινα φρεσὶν ᾗσι θεοπροπίην ἀλεείνει
καί τινά οἱ πὰρ Ζηνὸς ἐπέφραδε πότνια μήτηρ,

quos Aristonicus *ἀναγκαίους* dicit *εἰς ἐρεθισμὸν Ἀχιλλέως*. Male reponit Heynius (VI p. 262): „Atqui is non audiebat Nestorem;" nam Nestor Patroclo ea mandat, quae Achilli dicat, quumque infra in Patrocli oratione hos versus persona tantum mutata inveniamus (*π*, 36 sqq.), hic omitti nequeunt. Zenodoti igitur, repetitionum osoris, iudicium non probamus. Neque cum Lachmanno (II p. 23 sq.) totum locum v. 794—803 male intrusum esse iudicamus, quam iam Zenodoti fuisse sententiam suspicatur.

M, 175—181 recte eiecit Zenodotus, obelo notarunt Aristophanes et Aristarchus. Zenodotum non solum commemoratio multarum portarum et ignis muris admoti, sed totus loci prorsus superflui et molesti color movisse videtur. Aristarchi argumenta et Pii defensionem vide in Schol. A. Adde Wolfium Prolegg. p. CCLXXV. Heynium VI p. 304 sq. Geppertum I p. 35. Lachmannum II p. 11, qui genuinos versus his ineptis et ridiculis cessisse arbitratur. Nos totam de Asio narrationem serius adiectam esse censemus, quod uberius alio loco demonstrabimus.

Ξ, 114 Zenodotus recte omisit, Aristophanes et Aristarchus proscripserunt [23]), quum moleste adhaereret, neque patris mentio facienda esset ante maiores. Bothii defensio rem non attingit. Novissimi editores versus spurios esse agnoverunt, quamquam Spitzner dicit in utramque partem disputari posse. Cf. Geppert I p. 21 sq.

Ξ, 376 sq. optimo iure Zenodotus abire iussit, Aristophanes et Aristarchus obelo confoderunt [24]). Aristonicus: *Ὅτι γελοῖον μὴ τὰ τὰ ἁρμόζοντα ἀναλαμβάνειν, ἀλλὰ μείζονα εἰς ἐμποδισμὸν τῆς χρή-*

---

23) In Schol. A Aristonici notam legimus: *Ζηνόδοτος δὲ ἠθέτει, παρὰ δ' Ἀριστοφάνει οὐκ ἦν.* At Zenodoti et Aristophanis nomina hic confusa esse demonstrat comparatio Scholiorum *θ*, 385. 551. *ι*, 694. *κ*, 253. *λ*, 12. 179. 356. 515. *μ*, 175. *ξ*, 376. *π*, 237, quum nullus extet locus, quem a Zenodoto obelo notatum Aristophanes eiecerit. Aristarchi obelum versui appictum videmus in codice Veneto A. Adiecit Aristarchus obelo asteriscum, ut ostenderet versum ipsum non habere, quo displiceat, sed hic non recte addi, quod moneo, ne quis Spitzneri nota in errorem inducatur.

24) Schol. V: *Ζηνόδοτος οὐδὲ γράφει.* In Schol. V pro *Ζηνόδοτος προηθέτει* restituas *Ζηνόδοτος οὐδὲ γράφει, Ἀριστοφάνης δὲ προηθέτει.*

σεως· τό τε *μενέχαρμος*, φησίν, οὐκ οἶδεν ὁ ποιητής. Cf. eundem ξ, 382. Heynius quidem recte monet (VI p. 597): „Arma memorat maiora non viris, qui iis usuri sint, sed maiora iis armis, quibus adhuc usi erant," sed hoc iam adfuisse v. 371 et moleste repeti Spitzner vidit, qui addit, Neptuni adhortationem optime finiri v. 375, quum insuper addita eius gravitati officiant, atque formam μενέχαρμος ab Homero alienam esse. Versus 376 sq. eius sunt, qui, quod v. 382 commemoratur, ipsam Neptuni orationem indicare debere censuit, non intelligens, principes, maximos clipeos et galeas sumere iussos, eos, quos ferebant, deposuisse et aliis, qui minores his ipsis habebant, dedisse. Versus 376 sq. etiam eo suspecti sunt, quod inde colligeretur, minus fortes viros ne parvos quidem clipeos gestasse; cur enim parvos iis darent? Atque iure haeseris, quod clipei tantum, non hastae et galeae commemorantur, ut v. 371 sqq. Non satis recte disputavit Geppertus I p. 38. Recentiores editores Aristarchi ἀθέτησιν secuti sunt.

Iunonis poenam ο, 18—31 Zenodotus sustulit, nulla alia, opinor, ratione ductus, quam quod hanc poenam Iunone indignam putavit, quamquam Iovis minas (σέ πληγῇσιν ἱμάσσω) retinuisse videtur. Iam Aristophanem Zenodoti temeritatem reiecisse arbitror. De Iovis poena cf. Heynium VII p. 7 sqq.

O, 33 Zenodotus et Aristophanes non recte omiserunt, probantibus Heynio (VII p. 12) et Gepperto (I p. 21 sq.). Aristonicus: *Καὶ μή ποτε περιττός ἐστιν.* At Iuppiter in extrema oratione hoc urgere debet, quod Iuno eum φιλότητι et *εὐνῇ fefellerit.*

O, 64—77 Zenodotum eo, quod hic futura praedicantur, eiecisse, iam supra c. II monuimus, quem praeterea permovisse dixeris, quod versus illi ea, quae postea fiunt, non omnino vere indicant. Aristophanes vero et Aristarchus non solum hunc locum, verum etiam ο, 56—63 obelo confoderunt. Cf. Geppertum I p. 24 sqq. 75. Lachmannum II p. 17 sq. Aut rhapsodus male sedulus, aut ii, qui Iliadem e singulis carminibus composuerunt, hos versus inserere potuerunt, Iliadis actionem, quae sequitur, non satis accurate adumbrantes. Versus 56 sqq. adsutos et spurios esse, quod ipsa Iunonis oratio (v. 146 sqq.) comprobat, Zenodotum latuit.

O, 266—268, nimiam repetitionem vitaturus (cf. ζ, 508 sqq.), immerito eiecit, Aristarchus vero v. 265—268 obelo notavit, inter alia monens: *Καὶ τὸ κυδιόων, ὕψοῦ δὲ κάρη ἔχων ἐφ' Ἕκτορος* τοῦ ἀρτίως ἑαυτὸν ἀνιστῶντος ἐκ τῆς λειποθυμίας οὐχ ἁρμόζει. Quod qui Homericarum comparationum naturam perspectam habet, non magis probabit, quam in una eademque comparatione hoc loco ersus legi, illo omissos.

O, 610—614 recte Zenodotus sustulit, quem praeter dictionem ab Homero abhorrentem satisque ieiunam id impulisse videtur, quod illi versus hic inepte inferantur. Cf. *ο*, 647 sq. *γ*, 337. 420. *ζ*, 469 sq. Aristarchus eosdem versus proscripsit, cuius argumenta vide in Scholiis. Adde Heynium VII p. 100, Spitznerum et Geppertum I p. 20.

Π, 141—144, qui versus e *τ*, 388 sqq. male huc translati sint, sustulit. At recte poeta hic Achillis hastam uberius describit, ut ipsius Achillis, qui Patroclum in pugnam mittit, imaginem splendidiorem reddat. Heynius (VII p. 165) v. 141 sq. fortasse servari posse, v. 143 sq. autem sine dubio rescindendos esse contendit. At hi versus cum illis ita coniuncti sunt et descriptionem hastae in monte Pelio natae (cf. *α*, 235) explent, ut separari nequeant.

Π, 237 non recte sustulit Zenodotus, proscripserunt Aristophanes et Aristonicus versum:

Τιμήσας μὲν ἐμέ, μέγα δ' ἴψαο λαὸν Ἀχαιῶν,

quem e loco *α*, 454 inepte huc translatum putarunt, quum Achilles Iovem non precatus esset, ut ipsum ulcisceretur [25]). At hae preces *κατὰ τὸ σιωπώμενον* (cf. supra ad *ϱ*, 456) intelligendae, atque recte unus, quantum sciam, Lachmannus (II p. 25) ad *σ*, 74 sq. provocavit, ubi Thetis Achilli dicit, omnia Iovem perfecisse, *ὡς ἄρα δὴ πρὶν εὔχεο, χεῖρας ἀνασχών*, ubi Schol. B: *Κατὰ τὸ λεληθός, ἢ ἐπεί φησι, πολλὰ δὲ μητρὶ φίλῃ ἠρήσατο* (*α*, 393). Priorem explicationem nostro loco grammaticis non venisse in mentem aut hodie certe non commemorari mireris. Versus 237 vero necessarius videtur, quum Achilles hoc loco Iovis ultionem, clade Graecis immissa sibi comparatam, non commemorare non posset.

Dialogum Iovis et Iunonis, *π*, 431—461, quem Platoni innotuisse ostendit locus Rep. III p. 388, Zenodotus eiecit, quod Iuppiter, qui in Ida remanserat, et Iuno, quae in Olympum discesserat, inter se colloqui non possent. At recte Aristonicus (Schol. *ο*, 432. 666) monet, *ὅτι πολλὰ κατὰ συμπέρασμα λέγει ὁ ποιητὴς σιωπωμένως γεγονότα* [26]). Quamquam Zenodoti argumentum non

---

25) Aristonicus *π*, 236: *Ἡ διπλῆ, ὅτι οὐ προσυνέσταται περὶ τῆς τῶν Ἀχαιῶν κακώσεως εὐχόμενος, οὐδὲ κατ' εὐχὴν τετίμηται, ἀλλὰ διὰ τῆς Θέτιδος λιτάς.* Cf. eundem *α*, 454. Schol. B, versum defendens: *Τὴν ἀπὸ τῆς μητρὸς δέησιν ἑαυτοῦ εὐχὴν νενόμικεν· ὁ γὰρ τὴν Θέτιν αὐτῷ ἀνεὶς Ἀχιλλεύς ἦν, καὶ εἰς αὐτὸν ἄγεται ἡ εὐχή.*

26) Versus *π*, 441—443 redeunt *χ*, 179—181 et *π*, 454—457 *π*, 671—675. 681—683, quod Zenodotum in toto loco tollendo videtur confirmasse. Ceterum Spitzner (III p. 342) non recte dicit, Aristarchum statuisse Iovem iamdudum in Olympum esse reversum,

satis firmum habemus, tamen alia adsunt, quae illos versus male intrusos esse comprobant. Cf. Heynium VII p. 214. Geppertum I p. 35 sq. 75. Lachmannum II p. 30, qui recte versus 432—458 tollendos esse iudicat, ut iungantur v. 431 et v. 459.

P, 134—136, qui versus in Chia editione nescio quo casu non legebantur, Antimacho vero noti fuisse videntur [27]), sustulit Zenodotus, non tam auctoritate illius editionis, quam argumento motus a Didymo iam refutato [28]). Noster locus versibus illis eiectis ob sequens ὥς v. 137 stare nequit atque comparationem accuratius adumbratam, quam quae verbis ὥς τίς τε λέων περὶ οἷσι τέκεσσιν continetur, desideramus. Heynius v. 134—137 abesse posse videtur statuere (VII p. 311), ut locus „non infeliciter a rhapsodo exornatus sit ampliore declaratione leonis."

P, 404—425 recte eiecit Zenodotus [29]), cui poetae narratio (v. 404—411) et Graecorum se ipsos adhortantium oratio ineptae videbantur, neque eum fugisse videtur versus 404—406 cum π, 89 sqq. et versus 410 sq. cum σ, 9 sqq. discrepare. Zenodoti iudicium omnino probamus cum Gepperto (I p. 36) et Lachmanno (II p. 32), qui verissime versus 366—423 tollendos esse iudicat, sed cum Heynio de libris, quos Zenodotus sit secutus, cogitare nolim.

T, 76 editiones Massiliotica et Chia legerunt versus:

Τοῖσι δ' ἀνιστάμενος μετέφη κρείων Ἀγαμέμνων
μῆνιν ἀναστενάχων καὶ ἀφ' ἕλκεος ἄλγεα πάσχων.

Posteriorem versum Zenodotus omisit, quum hic denuo (cf. τ, 51 sqq.) sine idonea causa vulnus Agamemnonis commemoraretur, quod eum non impedivit, quominus surgeret et in Graecorum concione orationem haberet. At tristem et maestum, quo orationem habuit,

---

immo ille Iunonem Iovem in Ida sedentem adiisse putavit. Cf. Lehrsium p. 356 sq. et infra c. XI ad ρ, 545.

27) Didymus: Ὁ δὲ Ἀντίμαχος ἐκ τούτου πλανηθεὶς ᾠήθη καὶ τὸν ἄρσενα (λέοντα) σκυμναγωγεῖν. Philostratus (vit. Apollon. II, 14) de leone locum intelligit.

28) Didymus: Ἴσως, φασὶν ἔνιοι, ὅτι οἱ ἄρσενες λέοντες οὐ σκυμναγωγοῦσιν, ἀλλὰ θήλειαι μόναι. — Κατὰ δὲ τὸν Ὅμηρον μήπω τὴν λέαιναν εἴθισται, ἀλλὰ τὸ ἀρσενικὸν μόνον. Cf. σ, 318 sq. φ, 483.

29) Aristarchus versum 420 obelo notavit, non, quod Heynius (VII p. 794), Spitzner et Geppertus (I p. 36) statuunt, sex versus inde a v. 420, quod e verbis Schol. A ρ, 404: Ἀρίσταρχος μόνον ἀθετεῖ ὣς δέ τις αὖ Τρώων, male colligitur. Schol. non dicit ἀπὸ τοῦ ὣς δέ τις αὖ Τρώων ἕως τοῦ χάλκεον οὐρανὸν ἀθετεῖ, sed unum tantum versum indicat, quem Aristarchus eiiciendum esse putaverit, ut v. 415—419 et 421 sq. ad unam eandemque Graecorum pertinerent orationem.

Agamemnonis animum versus ille optime describit, contrarium illius superbiae, qua quondam minas in Achillem coniecerat (α, 173 sqq. 286 sqq.), atque ipsa ducis manus in pugna vulnerata cladis Graecorum eum admonet. Aristophanes vero et Aristarchus, Didymo teste, hic duos alios habuerunt versus:

Τοῖσι δὲ καὶ μετέειπεν ἄναξ ἀνδρῶν Ἀγαμέμνων
αὐτόθεν ἐξ ἕδρης, οὐδ' ἐν μέσσοισιν ἀναστάς [30]).

Quos versus iam ab Aristophane in libris inventos eum immutasse vides, qui e v. 79 male intellecto [31]) coniecit, Agamemnonem non stantem, sed sedentem loqui, quod si contra Graecorum fecisset morem, ipse disertis verbis excusare debebat, atque causam, cur Agamemno non surgeret, adesse nullam, Alexander Cotyaensis recte monuit [32]). Ceterum versum *αὐτόθεν ἐξ ἕδρης*, postea alios aliter interpretatos esse, non est, quod mireris. Massilioticae et Chiae editionis scriptura sine dubio restituenda est.

Φ, 195 versum:

Οὔτε βαθυῤῥείταο μέγα σθένος Ὠκεανοῖο,

Zenodotus sustulit, quod non Oceanus, sed Achelous, v. 194 nominatus, unus aquae in terra fluentis fons esset [33]), de qua sententia e nobilitate huius fluminis orta cf. Heynium VIII p. 149 sq. At ipse Oceanus fluvius est (cf. Voelcker de geographia Homerica p. 94), quem ex Acheloo fluere poeta statuere non potuit, cui Oceanus *θεῶν γένεσις* dicitur (ξ, 201. Naegelsbach. l. l. p. 72 sq.).

Ω, 269 abfuit a recensione Zenodotea versus:

Πύξινον, ὀμφαλόεν, εὖ οἰήκεσσιν ἀρηρός,

non quod neutrum genus *τὸ ζυγὸν* Homero ignotum esse iudicaverit (cf. ν, 706. π, 470), quae Heynii (VIII p. 647) sententia, sed

---

30) Hinc non satis recte Alexandrum Cotyaensem (apud Schol. A τ, 79) dicere patet: *Ἀρίσταρχος — παρενέθηκε τὸν αὐτόθεν ἐξ ἕδρης*. Quod Geppertum (I p. 22), qui antiquiorem scripturam non memorat, latuit.

31) Hermanni interpretationem huius loci (Opusc. V p. 302 sqq.) probare nequeo, quum inepte Agamemno verba sua mandaret non praeconi, sed Achilli, neque videas, cur Agamemno, qui non Achillem, sed omnes Graecos alloquitur, timeret, ne ipse exaudiri posset. *Ἑσταώς* is est, qui surrexit, ut in concione loqueretur, *ὑββάλλειν* vero de strepitu dicitur, quo orator impeditur. Geppertus (I p. 158) hunc locum calumniatur.

32) *Τί ἂν καθέζοιτο τὸν ἀγκῶνα τετρωμένος; ἔπειτα οὕτως ἐῤῥωται, ὥστε ὀλίγον ὕστερον* (v. 252 sqq.) *τὸν κάπρον ἀποσφάττειν.*

33) Aristonicus: *Γίνεται δὲ ὁ Ἀχελῷος πηγὴ τῶν ἄλλων πάντων.* Schol V verba ita restituenda videntur: *Τινὲς δὲ οὐ γράφουσι τὸν στίχον, θέλοντες πάντα ἐξ Ἀχελῴου ῥεῖν· τὸν γὰρ αὐτὸν Ὠκεανὸν Ἀχελώϊόν φασιν.*

quod haesit in εὖ οἰήκεσσιν ἀρηρός, quum, quid v. οἴηξ hic significaret, non intelligeret. Cf. quae dixi in Ritschelii Museo Rhenano V p. 396. Geppertus de hoc versu egit I p. 378. II p. 103.

Od. γ, 400 versus:

Πὰρ δ' ἄρ' ἐϋμμελίην Πεισίστρατον ὄρχαμον ἀνδρῶν,
ὅς οἱ ἔτ' ἠΐθεος παίδων ἦν ἐν μεγάροισιν,

Zenodotus sustulit, ne Telemachus cum hospitis filio in eodem iaceret cubiculo et lecto. Atque recte, ni fallor, haesit, quum Telemachum in cubiculo hospitibus destinato, Pisistratum vero in suo ipsius cubiculo dormire deceat. Οἱ μέν v. 396 ad omnes Nestoris filios pertinet, ne Pisistrato quidem excepto [34]).

Od. δ, 498 versum:

Εἷς δ' ἔτι που ζωὸς κατερύκεται εὐρέϊ πόντῳ,

Zenodotea recensio non habuit. At recte Schol.: Ἀναγκαῖον δὲ καὶ αὐτὸν εἶναι διὰ τὸ ὕστερον (v. 551) λέγειν Μενέλαον· Σὺ δὲ τρίτον ἄνδρ' ὀνόμαζε. Cf. Cramer Anecd. Par. III p. 443 et supra c. I not. 52. Zenodotum offendit, quod ille versus inter commemorationem et uberiorem descriptionem mortis duorum ducum intercederet. At recte brevem commemorationem trium ducum praemittit Proteus, deinde ad rem accuratius describendam transit, verum eius orationem Menelai lacrimae interpellant. Vides, quam inconsiderate Zenodotus hic se gesserit.

Od. θ, 142 Zenodotus, Aristophanes et Aristarchus non legerunt versum:

Αὐτὸς νῦν προκάλεσσαι ἰὼν καὶ πέφραδε μῦθον,

quem in melioribus libris non fuisse statuit Lehrsius p. 94, quum, quod recte contra Nitzschium (II p. 183) monet, Zenodotus certe ad vim vocis πέφραδε non attenderit. Quid vero si in πέφραδε μῦθον haesit, quod post προκάλεσσαι ἰὼν languidum esset et ieiunum, male ex α, 273 huc translatum, aut in ἰών, quod Nitzschius adfert, quum Ulixes praesens sit? Nisi forte versum superfluum esse putavit. Aristophanes et Aristarchus Zenodoti argumenta probarunt aut fortuito versum restituere neglexerunt.

Od. λ, 245 Zenodotus recte omisit versum, quem Aristarchus obelo notavit:

Λῦσε δὲ παρθενίην ζώνην, κατὰ δ' ὕπνον ἔχευεν.

Schol. in Crameri Anecd. Par. III p. 471: Πρὸς τί γὰρ τῇ ἐρώσῃ

34) Οἰκόνδε hic de cubiculis intelligendum est, quae et filii et generi Nestoris in eius domibus habebant. Cf. Il. ζ, 241 sqq. Od. κ, 8 sqq. Nitzschius (III p. 215) eo minus dubitare debebat, quum usus v. οἶκος de cubiculo (cf. Od. α, 356) notissimus sit.

καὶ ἑκουσίως βουλομένῃ μιγῆναι ὕπνον κατέχευεν; Cf. Nitzschius III p. 232.

Transeamus ad eos locos, quibus Zenodotus versus omisit aliis mutatis.

Γ, 423—425 Zenodotus sustulit et pro versu 426:

Ἔνθα κάθιζ' Ἑλένη, κούρη Διὸς αἰγιόχοιο,

finxit illa:

Αὐτὴ δ' ἀντίον ἷζεν Ἀλεξάνδροιο ἄνακτος.

Critici Ephesii argumentum Aristonicus recte et invenit et refutavit [35]). Heraclitus (Alleg. Hom. 28) poetam inepte defendit. Digamma v. *ἄνακτος* neglexit Zenodotus.

Δ, 88 pro *εἴ που ἐφεύροι* scripsit *εὗρε δὲ τόνδε* [36]) omisso versu 89. Aristonicus: *Δοκῶν ἀνθρώπινον τὸ ζητεῖν εἶναι· καταλέλοιπε δὲ τὸ διζημένη* (v. 88)· *ἀγνοεῖ δέ, ὅτι ὁμοιωθεῖσα Λαοδόκῳ ἀνάγκην εἶχεν ἀνθρώπινα ἐπιτηδεύειν.* Verum Zenodotum potissimum coniunctio *εἰ* offendisse videtur, quum dubitatio deam dedeceret (cf. supra ad *α*, 100), neque non *ἐφεύροι*, quum *εὗρε* continuo sequeretur, eum male habuit.

Ι, 14 Zenodotus *ὥστε κρήνη μελάνυδρος* immutavit in *μετὰ δ' Ἀργείοισιν ἔειπεν*, et v. 15 sq. eiecit, comparatione, quam Aristonicus *ἀναγκαίαν εἰς αὔξησιν* dicit, sublata, eo sine dubio motus, quod *βαρυστενάχων* v. 16 et *δακρυχέων* sibi repugnare putavit [37]), quod posterioribus quoque grammaticis visum est, inde v. 16 *δακρυχέων* reponentibus. Heynius V p. 528 se non mirari profitetur, hanc comparationem, e *π*, 3 sq. repetitam, viris sagacioribus displicuisse, quum aliena sit et loco et dignitate dicentis. At talia Zenodotum non moverunt, neque Heynio accedet is, qui Homericarum comparationum naturam accuratius novit.

---

35) *Ἀπρεπὲς γὰρ αὐτῷ ἐφαίνετο τὸ τῇ Ἑλένῃ Ἀφροδίτην δίφρον βαστάζειν· ἐπιλέλησται δέ, ὅτι γραῒ εἴκασται* (v. 386) *καὶ ταύτῃ τῇ μορφῇ τὰ προσήκοντα ἐπιτηδεύει.* Heynius monere non debebat (IV p. 542): „Atqui Venerem sub anus specie Helenae cubiculum interius intrasse poeta non dixit. Quaestio omnino est inepta. Quidni enim Venus, ut dea, faciat aliquid, ita ut actionis modum poeta haud memoret?"

36) Sic recte Bekker. Villoiso, qui Heynium (IV p. 568 sq.) in errorem induxit, corrupte *εὗρε Λυκάονος*. Quodsi Spitzner Villoisonianam editionem consuluisset, dicere non potuisset, Heynium Schol. vel negligenter evolvisse, vel prave intellexisse.

37) Hoc Spitzner recte vidit. Quod vero addit, „Si (Zenodotus) comparationem e libro *π*, 3 sq. parum apte huc traductam iudicasset, id ipsum interpretes nobis dicturos fuisse, consequens est," nihil demonstrat, quam, quod saepissime animadvertimus, Spitznerum originem atque rationem Scholiorum parum habuisse perspectam.

O, 377 Zenodotus pro *μέγα δ' ἔκτυπε* scripsit *τοῦ δ' ἔκλυε* et tres sequentes versus eiecit [38]), in eo haerens, quod poeta omen Graecis faustum dicat, Troiani vero Iovis benevolentiam ipsis portendi credant. Male Aristonicus contra Zenodotum monet, Iovem Nestoris preces non exaudisse; nam quod petiit, ne Graeci perirent, ratum habuit. Troiani vero Iovis signum male interpretantur. Cf. *θ*, 170 sq. 246 sqq. Naegelsbach. l. l. p. 148 sq. 156 sq.

De versibus *π*, 93—96 omissis, alio ficto et v. 92 mutato, iam supra c. IX vidimus.

Π, 677 eiecit Zenodotus et pro versu 666:

Καὶ τότ' Ἀπόλλωνα προσέφη νεφεληγερέτα Ζεύς,

inepta audacia finxit:

Καὶ τότ' ἄρ' ἐξ Ἴδης προσέφη Ζεὺς ὃν φίλον υἱόν.

Zenodoti argumentum intellexit Aristonicus et recte redarguit. Quum enim Apollo in priore libro in Troianorum fuerit pugna, neque eius reditus in Idam commemoretur, Zenodotus Iovem in Ida sedentem Apollini in pugna moranti alta voce ex ipso monte Ida acclamantem fecit [39]). Cf. supra ad *π*, 431 sqq. Lehrs. p. 356 sq. At totum locum *π*, 666—683 spurium esse ipse Zenodotus postea perspexit. Cf. infra c. XI.

Σ, 528 Zenodotus pro *πώεα καλὰ* scripsit *πῶυ μέγ' οἰῶν* et, ni fallor, ut in iis locis, e quibus nostrum versum emendavit (*λ*, 696. *ο*, 323. Od. *μ*, 299), *ἀγέλην* pro *ἀγέλας* [40]). At facile vides, eum post *πῶυ μέγ' οἰῶν* sequentem versum:

Ἀργεννῶν ὀΐων· κτεῖνον δ' ἐπὶ μηλοβοτῆρας,

retinere non potuisse; nam ab omni abhorret probabilitate Spitzneri coniectura, e qua Zenodotus pro *ὀΐων* aliquid addiderit. Haesit ille in voce *μηλοβοτῆρας* v. 529, quum non solum *μῆλα*, verum etiam boves commemorarentur. Similem Zenodoti dubitationem invenimus *ε*, 162. Hinc totum versum 529 omisit et praecedentem mutavit, quamquam quid de pastoribus factum esset, (cf. v. 525 sqq.), non potuit non narrari.

---

38) In Scholiis refertur, Zenodotum pro *ἔκτυπε* scripsisse *ἔκλυε*. At cf. supra c. I. V. 378, quum *ἔκλυε* scripsisset, locum habere non potuit, neque v. 379 sq., quum Iovis tonitru a Zenodoto sublatum esset. *Π*, 379—389 Geppertus (I p. 430) spurios habet.

39) Aristonicus: *Γελοῖον δὲ τὸ κραυγάζειν ἀπὸ τῆς Ἴδης τὸν Δία. Οὐ νενόηκεν οὖν, ὅτι τὰ τοιαῦτα κατὰ τὸ σιωπώμενον ἐνεργούμενα δεῖ παραδέχεσθαι.*

40) *Πώεα οἰῶν* legimus *λ*, 678. Od. *ξ*, 100, *οἰῶν πώεα καλὰ* Od. *λ*, 402. *μ*, 129. *ω*, 112.

Quod si omnes versus omissos respicimus [41]), Aristarchus Zenodoti censuram ita secutus est, ut semel ipse cum Zenodoto versum eiiceret (θ, 412), viginti quinque locis eosdem versus obelo notaret (θ, 37. 284. 371 sq. 385—387. 557 sq. ι, 23—25. ι, 416. 694. κ, 240. 253. 497. λ, 13 sq. 78—83. 179 sq. 356. 515. 705. μ, 175—181. ξ, 114. 376 sq. ο, 64—77, ubi Aristarchus versus inde a v. 56 addubitavit. 266—268. 610—614. π, 237. Od. λ, 245), reliquis viginti novem eius iudicium, quantum sciamus, non probaret. Nos recte Zenodotum versus omisisse, etsi non ubique eius argumenta probamus, censemus his undeviginti locis: β, 674. θ, 37. 557 sq. ι, 416. 694. κ, 497. λ, 13 sq. 78—83. 515. 705. μ, 175—181. ξ, 114. 376 sq. ο, 64—77 (ubi interpolatio a v. 56 incipit). 610—614. π, 431—461 (verius 432—458). ρ, 404—425. Od. θ, 412. λ, 245, reliquis vero triginta quinque ab eius licentia recedimus. Ceterum hic quoque monendum ert mancam Zenodoteae recensionis cognitionem nobis esse concessam, ut Zenodotus multos versus omiserit, probante Aristarcho, quorum notitia prorsus periit, atque alios, Aristarcho aut obelo notatos, aut non addubitatos, sustulerit.

41) Multos alios versus Zenodotum omisisse dubitare non licet. Huc referendos esse suspiceris versus, quos Aristophanes non legit, σ, 10 sq.

XI.

DE VERSIBUS OBELO NOTATIS.

Multos atque haud paullo plures, quam hodie scimus, versus Zenodotus sustulit, alios vero, de quibus hic agamus, addubitatos obelo notavit. Quodsi quaerimus, qua ratione hos locos ab illis distinxerit, ut hic dubitaret, illic sine haesitatione versus abire iuberet, re non accuratius pensitata statues, eum illos versus, quos certioribus argumentis poetae non esse putaret, eiecisse, eos vero, quos non tam aperte spurios esse demonstrare potuerit, obelo confodisse. Quae sententia, si locos ipsos comparas, non confirmatur. Neque id, quod Lehrsius (p. 361) de Aristarcho statuit, qui non nisi versus vel testimoniis suspectos vel extra modum ineptos eiecerit, de Zenodoto contendas. Nonnunquam criticus Ephesius in eodem loco hunc illumve versum sustulit, alios vero proscripsit (cf. α, 488—491. β, 673—675. π, 140—144), quod vix cautae Zenodoti prudentiae argumentum habebis. Neque desunt loci a Zenodoto simul emendati et addubitati. Cf. α, 4 sq. 46 sq. 159 sq. 396—406. β, 579 sq. 686 sqq. η, 443 sqq. π, 666 sqq. et Achillis clipeum, in quo, quamquam obelo confosso, multa novavit. Cur igitur in his locis addubitatis emendationem tentavit? Cur hos versus, quos sine emendatione stare non posse putavit, non sustulit? Unam tantum viam video, qua omnibus his dubitationibus occurramus. Zenodotum recensionem carminum Homericorum primum ita instituisse arbitror, ut quae ipsi minus apta viderentur, corrigeret aut tolleret, eum vero postea, antequam recensionem iam perfectam ederet, haec carmina denuo pertractasse, ut quae tunc dubia atque minus apta inveniret, eiicere vero, editione iam perfecta, non posset, obelo notaret. Hinc versibus prius emendatis obelum appingere et illos locos, ubi prius unum tantum sive plures versus eiecerat, totos addubitare potuit. Quam coniecturam, quae sponte se offert, loci, quos nunc accuratius inspiciamus, comprobabunt.

A, 4 sq. addubitavit, quo structuram satis impeditam levaret; iunxit enim ἐξ οὗ cum προΐαψεν, non, quae Aristarchi erat sententia, cum τελείετο βουλή [1]). At haec ἀθέτησις, dummodo locum recte interpreteris, minime necessaria, vires nervosque huius invocationis egregie infirmat. Quod recte vidit Aristonicus, monens: *Γίνεται δὲ τὸ προοίμιον κόλον· καὶ πρὸς τὰς ψυχὰς ἀντιδιέσταλκε τὸ αὐτοὺς δὲ ἐπὶ τῶν σωμάτων.* Alteram causam, quam Zenodotum movisse dixeris, vide in nota [2]). Nescio an probabiliter coniicias, Zenodotum tres versus (3–5) addubitasse.

A, 46 sq. proscripsit et in repetitionibus χωόμενος - χωομένοιο (v. 44. 46.), ὤμοισιν - ὤμων (v. 45. 46) et in sagittis in dei humeris sonantibus haerens; nam v. 46 eum praecipue offendisse videtur; alioquin cum Bentleio et Payne-Knightio v. 47. tantum notasset. Zenodoti acumen a vero aberrasse veteres et recentiores critici consentiunt.

A, 63 male obelo confodit versum:

Ἢ καὶ ὀνειροπόλον — καὶ γάρ τ' ὄναρ ἐκ Διός ἐστιν;

hic enim non de somnio interpretando agi. Aristonicus: *Μήποτε δὲ ὀνειροκρίτην ὑπείληφεν (Ζηνόδοτος), οὐκ ὀρθῶς. Ὀνειροπόλος* vatem hic significat, cui dei voluntas somnio ab eo misso praenunciatur; talis vero simul ὀνειροκρίτης est. Cf. ε, 149. Naegelsbach. ad h. l. et de theologia Homerica p. 59 sqq.

A, 80 eiiciendum esse putavit versum:

Κρείσσω γὰρ βασιλεύς, ὅτε χώσεται ἀνδρὶ χέρηϊ,

qui quomodo cum prioribus cohaereret, non vidit, et in γὰρ bis repetito (cf. v. 78. 80. 81), et in comparativo κρείσσω (de hac forma vide supra c. III) haerens. At sententiarum nexus recte se habet. „Me-

---

1) Utrumque minus recte statui iudico. Verba ἣ μυρί' Ἀχαιοῖς — βουλή adiectivum οὐλομένην ex usu Homerico explicant, ἐξ οὗ vero ad μῆνιν quasi redit, ut initium Iliadis ita intelligendum sit: „Dic mihi, dea, iram Achillis perniciosam, ab eo inde tempore, quo primum exarsit."

2) Heynius (IV p. 9): „Quaeri quoque posse puto, an recte adiecti sint versus (p. 4 sq): verum enim non est corpora caesorum insepulta abiecta esse: nam post priorem pugnam, induciis factis, corpora sublata sunt et sepulta: post alteram et tertiam pugnam non satis fuit otii ad sepulturam: in quam sententiam disputantur quoque nonnulla in Schol. Lips." At Heynius, qui disputationem Schol. L non satis accurate expressit, ipse concedit, post posteriores pugnas corpora iacuisse insepulta. Heffter (p. 10) hoc ipso argumento ab Heynio allato Zenodotum aut alium virum doctum ante eum putat motum esse, ut versus illos addubitaret; addit vero: „At in poematis talia non sunt premenda; quare ille erasse iudicandus est."

tuo, ne principem potentissimum eo, quod proferam, irritem; nam nimium valet princeps iratus homini ignobili; nunquam enim ille odium inultum abiiciet" [3]).

A, 117 obelo notavit, haerens in duabus enunciationibus (*ἐθέλω* et *βούλομαι*) *ἀσυνδέτως* compositis, quarum alteram, ubi *ἢ ἀπολέσθαι* difficultatem movit, abiiciendam esse censuit. At omittere non poterat Agamemno, se populi semper curaturum esse salutem, quo ad id, quod regis ducisque totius exercitus dignitas sibi postulet, transit. Aristonicus: *"Οτι Ζηνόδοτος αὐτὸν ἠθέτηκεν, ὡς τῆς διανοίας εὐήθους οὔσης· οὐ δεῖ δὲ αὐτὸν ἰδίᾳ προφέρεσθαι, ἀλλὰ συνάπτειν τοῖς ἄνω· ἐν ἤθει γὰρ λέγεται* [4]).

A, 143 proscripsit, motus loco v. 309 sq.: *Ἐς δ' ἑκατόμβην βῆσε θεῷ*, unde hic quoque *ἐς δ' ἑκατόμβην* cum *βήσομεν* coniungi debere sibi persuaserat. At recte Aristonicus: *Ἀναγκαῖος δὲ ὁ περὶ τῆς Χρυσηΐδος λόγος· ταύτης γὰρ ἕνεκα ἐγένετο καὶ ὁ λοιμός.* Quod non satis perpendit Heffter (p. 13).

A, 160 eiiciendum esse putavit [5]), quum in illo *τῶν* male a nonnullis intellecto haereret et totum versum (scripserat enim v. 159 *ἀρνύμενος*, quod supra c. VI monuimus) languide et moleste addi videret [5a]).

A, 208 sq. e v. 195 sq. obelo notavit Zenodotus. Minervam enim Achilli in Agamemnonem irato dicere non debere, Iunonem, cuius sit nuncia, Achillem et Agamemnonem eodem amore eademque cura prosequi. At dea bene cognovit, Achillem summo Iunonis numini pariturum esse, atque vix omittere potuit, quis ipsam ab Olympo miserit. Aristarchus, qui hos duos versus nostro loco unice aptos habuit, obelum v. 195 sq. appinxit [6]). Versus utroque

---

3) Iam audi Heynium (IV p. 39 sq.): „Certe simillimus est (versus 80) iis versibus, qui a rhapsodis interpositi sunt; ab alio rhapsodo tum sequentes duo inserti esse possunt, qui saltem sine eo ceu fulcro concidunt. Gravior autem et simplicior Chrysis oratio, si versu 79 finitur." At recte addit Chryses, principis iram et in posterum metuendam esse, si continuo se ulcisci nequeat.

4) Heffter decernit (p. 13): „Verisimilius est hunc versum ab aliquo insertum esse. Neque est omnino necessarius."

5) Male Villoiso legit: *Ζηνόδοτος τιμὴν ἀρνύμενος, καὶ τὰ ἑξῆς ἠθέτηκεν*, quod Heynium (IV p. 61) fefellit.

5a) Heffter l. l.: „Qua tamen de causa hic versus abfuerit ab editione aliqua, aut potius qua auctoritate moti nescio qui hunc versum inseruerint, ignotum est."

6) Egregie erravit Heynius (IV p. 73), qui Aristarchi et Zenodoti obelum confundens, Aristarchi sententiam tribuit Zenodoto. At eundem errorem erravit Heffter, quamquam iam Bekker Scho-

loco genuini sunt. Aristonicus: *Οἰκείως δὲ μᾶλλον κεῖνται εἰς προτροπὴν τοῦ Ἀχιλλέως*, atque idem Zenodotum pronomine *σφωΐτερον* refutari recte monet ad v. 216.

Α, 225—233 eiiciendos putavit; convicia enim in Agamemnonem iacta Achillem dedecere cum Platone (Rep. III p. 390. cf. Plutarch. de audiendis poetis 13) statuit, heroum Homericorum mores prave iudicans. Timonis parodiam v. 225 vide apud Athenaeum IV, 55 (cf. Eust. p. 1404, 2 sqq.).

Α, 396—406 proscripsit, quod illam narrationem de Iove vincto deorum patre indignam habuit, falsa de Homericis dis opinione ductus. Similem Zenodoti censuram supra c. X in Iunonis poena invenimus, *ο*, 18—31, quos versus sustulit [7]).

Α, 488—492, excepto v. 491, quem iam prius sustulerat, obelo notavit. Quum enim antea versum 491 eiecisset, quod de nulla pugna his diebus inita narretur, nunc eandem de concione v. 490 dubitationem movit, neque eum fugisse videtur, illis versibus eiectis *ἐκ τοῦ* multo aptius referri ad illum diem, quo cum filio Thetis collocuta est. Vides, quomodo litem inter Lachmannum et Bergkium (quem conferas l. l. p. 485 sqq.) de hac *ἀθετήσει* ortam componamus [8]). Zenodoti iudicium contra Naekium (Opusc. I p. 267) et Lachmannum (I p. 152) omnino probamus, quum minime carmen primum Iliadis hic finire putemus. Quae alias persequi constituimus.

Β, 111—118 addubitavit [9]), Agamemnonis orationem melius a

---

lium recte ad v. 208 sq. transtulerat, quos numeros ipse Heffter ascribit. Verum vidit Bergkius l. l. p. 498 sq.

7) Heynius (IV p. 404): „Potuit desiderari antiqua auctoritas, potuit totus locus videri insertus a rhapsodo; sed potuit quoque tota censura proficisci a prava opinione, videri haec Iove indigna esse." Heffter (p. 13) argumenta, e quibus hos versus spurios habuerit Zenodotus, ignorari profitetur.

8) Verba Schol. V: *Ποθέεσκε· ἐχθρὸς γὰρ τῆς ἀργίας ὁ ἥρως, φιλοτίμως δὲ περὶ τὰς πράξεις*, non magis ad Zenodoti *ἀθέτησιν* refutandam pertinent, quam illa: *Δύο οἶδεν ἀνδρῶν ἀρετὰς κ. τ. λ.*, quibus, cur poeta concionem ante pugnam memoret, explicatur, unde Lachmanno, criticum Ephesium in *Ποθέεσκε* haesisse suspicanti, accedere nequeo. Scholium *Ἡ πρόληψις κ. τ. λ.*, ad v. 491, non ad v. 490 pertinens, Aristarchi interpretationem praebet, quod Bergkius negare videtur.

9) Aristonicus quidem dicit, Zenodotum locum ita *συντέμνειν*, ut post v. 110 sequatur v. 118; quum vero Zenodotus *β*, 111, Didymo teste, *μέγα* legerit, hos versus sustulisse non potest. Cf. supra c. VI not. 25. Heynius (IV p. 214) sibi ipsi repugnat, adfir-

v. 119 incipere atque regem, cui Iovis Somnium victoriam promiserat, talem patris deorum vituperationem ne simulare quidem deberé censens. At, ne Iuppiter hac simulata Agamemnonis vituperatione laederetur, Homerus non curavit. *I*, 17 sqq., ubi totus locus recurrit, Zenodotum versus, qui hic v. 116—118 leguntur, eiecisse supra diximus.

B, 156—169 Zenodotus, Aristonico teste, ita contraxit:

Εἰ μὴ Ἀθηναίη λαοσσόος ἦλθ' ἀπ' Ὀλύμπου·
εὗρεν ἔπειτ' Ὀδυσῆα, Διῒ μῆτιν ἀτάλαντον,

versibus 157—168 eiectis et versu 156 immutato. At legimus, eodem Aristonico teste, Zenodotum v. 161 scripsisse Ἀργείην θ' Ἑλένην, ut mittam, quod Barnesius de v. 168 tradit (cf. supra c. VII) [10]. Hinc Aristonicum, quae de hac ἀθετήσει legit, non satis recte intellexisse patet. Zenodotus, qui versus 156—168 reliquerat, postea, quum denuo Iliadem pertractaret, in his versibus haerens, quod iisdem verbis, quibus Iuno Minervam, haec Ulixem alloqueretur atque illud, quod Iuno Minervae mandaverit (v. 163 sqq.), non ab hac ipsa, sed ab Ulixe fieret (en acumen Zenodoteum!), versus 156—168 obelo notavit, illo versu:

Εἰ μὴ Ἀθηναίη λαοσσόος ἦλθ' ἀπ' Ὀλύμπου,

infeliciter ficto, in marginem posito. Quae nostra coniectura et re ipsa et iis, quae infra de *β*, 226 sqq. dicemus, quam maxime adiuvatur. Aristonicus contra Zenodotum monet, Iunonis orationem ab Homeri more non recedere; καὶ γὰρ τῆς ξιφουλκίας (*α*, 194), addit, αὕτη ἀφίστησιν· ἡ δὲ Ἀθηνᾶ ὑπηρετεῖ κατὰ διαφορὰν τῆς ἀξίας τιμωμένης τῶν προσώπων. Aristarchum quoque Iunonis oratio offendit, unde versus 160—162 et v. 164 obelo notavit, quae Minervae adhortationem Ulixis decerent, minime Iunonis orationem Minervae dictam. Quod argumentum quam infirmum sit, vix est, quod moneam. Verba Iunonis, quibus Minervam admonet, ita comparata sunt, ut paucis mutatis aptissime a Minerva Ulixi dicantur, unde Homerus, qui sine iusta causa versus rem bene significantes non mutat, ea utroque posuit loco.

B, 220—224 eiecit, mentionem conviciorum antehac in Ulixem

---

mans Zenodotum versibus 112—108 excisis locum in brevius contraxisse, ut post v. 111 (!) sequeretur v. 119.

10) Spitzner aut plures fuisse Zenodoti editiones dicit, aut Zenodotum his versibus obelum appinxisse coniicit. Haud probabile est, quod suspicari possis, illud, quod de scriptura versus 161 narratur, e versu 177 esse haustum. Heynius (IV p. 224), Villoisoniana Scholiorum editione deceptus, Zenodotum v. 168 reliquisse putat.

et Achillem iactorum otiosam, et verba: *Τότ' αὖτ' Ἀγαμέμνονι δίῳ ὀξέα κεκληγὼς λέγ' ὀνείδεα*, versu 224: *Αὐτὰρ ὁ μακρὰ βοῶν Ἀγαμέμνονα νείκεε μύθῳ* sequente ταυτολόγως dici censens. Aristonicus: *Πρὸς ὑπόθεσιν δέ τινα λέγονται* [11]) *ἐπίτηδες γὰρ τοῦτον τῶν ἀγαθῶν ἐπεσβόλον παραγηόχεν.*

B, 226 Aristonicus: *Ὅτι Ζηνόδοτος γράφει π λ ε ῖ α ι δ ὲ γ υ ν α ι κ ῶ ν καὶ τοὺς ἑξῆς δύο ἠθέτηκεν.* At quomodo versibus 227 sq. non eiectis, sed obelo tantum notatis et addubitatis *πλεῖαι δὲ γυναικῶν* legere potuit, quod non nisi illis versibus sublatis intelligi potest? Heynius et Spitzner errorem Aristonici statuunt, *ἠθέτηκεν* pro *γράφει* scripserit. Audio: verum talem errorem Aristonico non tribuam, quum alia extet explicandi ratio, iis consentanea, quae supra de *β*, 156 sqq. coniecimus. Zenodotus, ni fallor, duos versus proscripsit, verbis *πλεῖαι δὲ γυναικῶν* in margine ad v. 226 scriptis. Quodsi quaeris, cur Zenodotus hunc locum tam audacter mutaverit, ei verba *ἅς τοι Ἀχαιοὶ πρωτίστῳ δίδομεν, εὖτ' ἂν πτολίεθρον ἕλωμεν*, inepte et ridicule dicta videbantur. Simile eius argumentum mox in versibus *β*, 231—234 inveniemus. Aristonicus vero monet, Thersiten in his versibus esse *μάλιστα γελοιοποιόν*, quamquam *πρωτίστῳ* serio dici poterat, „quas tibi primo, antequam in aliorum manus pervenerint, statim urbe capta, dare solemus."

B, 231—234 proscripsit, *ἐν οἷς πάλιν*, Aristonicus inquit, *ἐστὶ τὰ γελοιότατα;* eodem igitur argumento ductus est, quo in versibus *β*, 227 sq. tollendis, non intelligens, talia convicia Thersitae esse aptissima. Praeterea dixeris, Zenodotum haesisse in accusativo *γυναῖκα νέην* v. 232, ubi structuram mutatam bene exposuit Heynius (IV p. 241).

B, 528—530 Zenodotus, quem alii secuti sunt (cf. Schol. br.), obelo notavit [12]), quod Aiax, Oilei filius, Salaminio bevior non

---

11) Verba *πρὸς ὑπόθεσιν δέ τινα λέγονται* iis, quae continuo sequuntur, explicantur. Male Heynius (IV p. 239) addit: „Scilicet quod idem Thersites aliquando ab Achille fuit interfectus." Verba enim *ἰστέον δὲ κ. τ. λ.*, quae in Scholio sequuntur, Aristonici non esse, ipsa Quinti Smyrnaei commemoratio ostendit. Ceterum cum Heynio *τοῦτον* scripsi pro *τούτων*.

12) Aristonicus quidem non nisi de v. 528 dicit, Zenodotum obelum appinxisse. At v. 528 sublato duo sequentes versus stare non possunt. Atque ipsum Aristonici argumentum contra Zenodotum: *Ἀναγκαῖος δέ ἐστι· προδιασυνίστησι γάρ, ὅτι ἥττων ἐστὶ κατὰ τὸ μέγεθος τοῦ Τελαμωνίου· ἐκεῖνον μέντοι γε μ έ γ α ν λέγει*, ostendit, Zenodotum duos sequentes versus non legisse, quod Aristonicus, quum de Aristarchi horum versuum *ἀθετήσει* loqueretur, dicere ne-

fuerit, quod loco *ν*, 701 sqq., ut alii postea, comprobasse videtur; fortasse etiam in structura haesit, quum *οἵ* v. 531 ad *Λοκρῶν* v. 527 pertineret. Quodsi *μείων* v. 530 repetitum et *Πανέλληνας* v. 530 eum offendissent, v. 529 sq. tantum cum Aristarcho proscripsisset. V. 528 bene abesse non posse, monet Aristonicus. Eustathius omnia confundit.

B, 553—555 addubitavit. *Μήποτε διότι διὰ τῶν ἐπὶ μέρους οὐδέποτε αὐτὸν διατάσσοντα συνέστησεν*, Aristonicus inquit, addens: *Πολλὰ μέντοι Ὅμηρος κεφαλαιωδῶς συνίστησιν, αὐτὰ τὰ ἔργα παραλιπών, ὡς τὴν Μαχάονος ἀριστείαν* (*λ*, 506). Ceterum hos versus, a Zenodoto ob Menesthei laudem proscriptos Atticae recensionis per totam Graeciam pervulgatae additamentum esse probabiliter dixeris. Cf. Muelleri introductionem in Homerum p. 81 edit. alt. Sed Zenodotum librorum auctoritatem hic secutum esse minime statuo.

B, 579 sq. proscripsit; non verum enim esse, quod dicatur de Agamemnone, *πᾶσι μετέπρεπεν ἡρώεσσιν*, atque *πολὺ δὲ πλείστους ἄγε λαοὺς* moleste repetere illud *ἅμα τῷγε πολὺ πλεῖστοι λαοὶ ἕποντ'* (v. 576 sq.). At *μετέπρεπε* hic non spectat ad bellicam virtutem, sed ad maiestatem regiam, atque *πολὺ πλείστους ἄγε λαοὺς* abesse nequit, quum hic *ἄριστος* explicatione egeat [13]).

B, 612—614 obelo notavit, quos versus male prioribus addi recte perspexit. Aristonicus contra Zenodotum haud scite monuit: *Ἀναγκαῖοι δέ εἰσιν· παριστόρηται γὰρ δι' αὐτῶν, ὅτι παρέσχεν αὐτοῖς ναῦς ὁ Ἀγαμέμνων, ἐπεὶ οὔ σφι θαλάσσια ἔργα μεμήλει.* De codicum auctoritate cogitare noli. Cf. Heynius IV p. 339.

B, 641 sq. addubitavit; hos enim versus hic alienos esse atque Tydei mentionem desiderari, unde posteriores versum inseruerunt. Cf. Heynius IV p. 349 sq. Aristonicus: *Ἴσως ὑποπτεύσας τὸν Μελέαγρον κεχωρίσθαι τῶν Οἰνέως παίδων· εἴρηται δὲ ἐξ ὀνόματος κατ' ἐξοχήν.*

Versum *β*, 674 Zenodotum eiecisse supra c. X vidimus. Quum vero denuo Homerum pertractaret, haesit in nomine *Νιρεύς* repetito, unde versus 673 et 675 obelo notavit [14]); nam versus 671 sq. sufficere putavit, ut supra v. 571 sq. Ceterum Aristoteles (Rhet. III, 6) v. 671—673 laudat.

---

glexit. Hinc Eustathii testimonium, qui tradit, Zenodotum tres illos versus obelo notasse, iure sequimur.

13) Aristonicus statuit, Zenodotum hos versus addubitasse, *ἐπεὶ διὰ τῶν ἑξῆς* (v. 768) *ἄριστος ὁ Αἴας λέγεται.* Quod ut refutet, addit: *Ἐν διαφόροις δὲ πράγμασίν εἰσιν οὗτοι ἄριστοι, ὁ μὲν πλούτῳ καὶ εὐγενείᾳ, ὁ δὲ τῇ κατὰ πόλεμον ἀρετῇ.*

14) Eustathius non recte dicit, Zenodotum v. 672—674 proscripsisse.

B, 686—694 obelo notavit, ne bis in catalogo ira Achillis commemoraretur. Cf. *β*, 769 sqq., quos versus non addubitasse videtur, unde non ipsam Achillis irati mentionem Zenodoto a catalogo abhorrere visam esse patet. Hos vero versus, non illos infra sequentes, proscripsit, larga de Briseide narratione (v. 689 sqq.) et verbis *τάχα δ' ἀστήσασθαι* (cf. supra c. III) *ἔμελλεν*, ad futurum tempus respicientibus motus [15]). Nescio an catalogus, quem proprie non ad Iliadem pertinuisse suspicor, hoc loco alios versus habuit, Achillis fortitudinem splendide exorantes, qui iis, quos nunc habemus, cedere debebant. Sed totam de catalogo quaestionem alio loco accuratius exponemus.

B, 724 sq. nescio an recte proscripsit; enim his versibus de futuro tempore ad ipsum carmen non pertinente agi. Aristonicus: *Ἀναγκαῖον δέ ἐστι γνῶναι, ὅτι ὕστερον ἀνεκομίσθη ἐκ Λήμνου ὁ Φιλοκτήτης* [16]).

Γ, 18 Zenodotus obelo notavit, quod *δύο δοῦρε πάλλων* non cum *προμάχιζεν*, sed cum *προκαλίζετο* male iungeretur. Neque non structura (legit enim *αὐτὰρ δοῦρε*. cf. supra c. IV) eum offendisse videtur [17]). Quam *ἀθέτησιν* veteres eo refutarunt, quod Menelaus, eadem, qua Alexander, ratione armatus, gladio non caret, unde versus 18 necessarius sit. Cf. Schol. *γ*, 18. 339. 361. 370. 373. Aristonicus v. 19 sq. obelo notavit, quos Zenodotus, quod contra Heynium (IV p. 454) moneo, minime addubitavit. Cf. Scholia. *Διπλῆ περιεστιγμένη*, versui appicta, ad Zenodoti *ἀθέτησιν* pertinet, minime, quod Heynius dicit (IV p. 253), ad *ὁ* omissum, quum Aristarchus, qui illa diple non nisi iis locis, ubi a Zenodoto recessit, usus est, pronomen *ὁ* non magis legerit, quam Zenodotus.

Quum Zenodotus *γ*, 18 Alexandri gladium tollendum putaret, hunc altero etiam loco, ut sibi constaret, removendum putavit,

---

15) Aristonicus: *Ἀναγκαῖοι δὲ εἰσίν· δι' αὐτῶν γὰρ δηλοῦται, ὅτι ἐφ' ἑαυτῶν ἔμενον οἱ Μυρμιδόνες.* At sufficere videntur v. 769 sqq. Heynius (IV p. 371): „Necessarios quidem haud arbitror: verum nec otiosos esse dixero."

16) Heynius (IV p. 381) addit: „Quod equidem non video. Suspicari potius possis, serioris rhapsodi fetum esse, quum fabula a cyclicis et tragicis de Philoctete Troiam arcessito celebrata esset. Color est idem, qui v. 694 de Achille: *τῆς ὅγε κεῖτ' ἀχέων, τάχα δ' ἀνστήσεσθαι ἔμελλεν.*"

17) Aristonicus: *Ζηνόδοτος δὲ ἠθέτηκε (τὸν στίχον) τοῖς ἑξῆς οὐ συντιθέμενον· δεῖ δὲ κοινὸν παραλαβεῖν αὐτὰρ ὁ δοῦρε δύο ἔχων (δύω πάλλων), καὶ νοεῖν τὸ ἄρθρον ἐξ ἐπαναλήψεως παρῄμενον ἐπὶ τοῦ αὐτοῦ προσώπου.* Veteres igitur post *ξίφος* minorem habuerunt interpunctionem.

unde γ, 334 sq. proscripsit. Aristonicus: Ὥστε ἐναντίως τῷ Ὁμηρικῷ ὁπλισμῷ ἔχειν· πρὸ τῆς ἀσπίδος γὰρ φανήσεται ἀναλαμβάνων τὴν περικεφαλαίαν, καὶ ξίφος μὴ ἔχων. Cf. eundem λ, 32. ο, 480. Vide Heynium IV p. 519, qui bene monuit de διπλῇ περιεστιγμένῃ versui 333 male apposita.

E, 187 eiiciendum esse putavit versum:

Ὅς τούτου βέλος ὠκὺ κιχήμενον ἔτραπεν ἄλλῃ.

Vere Zenodoti argumentum perspexit et refutavit Aristonicus: Οὐ γὰρ ἐτράπετο ἄλλῃ τὸ βέλος, ἀλλ' ἔτυχεν αὐτοῦ. Οὐ λέγει δέ, ὅτι καθόλου ἀπέτυχεν, ἀλλ' ὅτι ἐπὶ καίριον τόπον φερόμενον παρέτρεψεν. Cf. δ, 129.

E, 734—736, eosdem versus, quos θ, 385 sqq. non scripserat, quum denuo Homerum emendaret, obelo notavit. Aristarchus vero nostrum locum reliquit, illum addubitavit. Cf. c. X. not. 11. Offenderunt Zenodotum, ni fallor, plura, ἡ δὲ v. 736 post Ἀθηναίη v. 733, χιτῶνα Διὸς v. 736 et πέπλον κατέχευεν ἐπ' οὔδει [18]).

H, 195—199 Zenodotus, Aristophanes et Aristarchus proscripserunt [19]); ὅτι οὐ κατὰ τὸν Αἴαντα, Aristonicus dicit, οἱ λόγοι, καὶ ἑαυτῷ ἀνθυποφέρει γελοίως, quorum neutrum videtur satis firmum [20]). Offendit Zenodotum primum, quod Aiax principes iubet tacite preces fundere, ne Troiani eas exaudirent, quasi tam alta voce precarentur, ut ab illis possent intelligi; tum mire ad ἠὲ καὶ ἀμφαδίην argumentum vidit adferri: ἐπεὶ οὔτινα δείδιμεν ἔμπης; denique in nexu sententiarum v. 196 et 197 sqq. haesit. Atque Zenodotum et Aristarchum verissime hos versus addubitasse censeo, quum nemo adhuc docuerit, quomodo non inepte intelligerentur; Heynii enim interpretatio (V p. 343) rem non expedit [21]). Ab

---

18) Pro ἡ δὲ alii scripserunt ἠδέ. Aristarchus genitivum Διὸς cum τεύχεσιν v. 737 coniunxit. De κατέχευεν monent grammatici. Schol. B ε, 734: Γυμνὴν δὲ ἡμῖν τὴν Ἀθηνᾶν διὰ τῆς λέξεως παρέστησεν. Hoc Zenodotum offendisse dixeris. At recte iam Aristarchum voc. πέπλος esse interpretatum puto, unde θ, 385 Schol. V: Θαυμασίως οὐ γυμνοῖ τὴν παρθένον. Cf. Schol. A ε, 734.

19) Verba, quae Villoiso et Bekker ad v. 198 referunt: Ἠθέτηντο δὲ καὶ παρὰ Ἀριστοφάνει καὶ Ζηνοδότῳ, post notam Schol. A ad v. 195 ponenda.

20) Heynius (V p. 342): „Atqui et feroci Aiacis ingenio et fiduciae in virtute sua videntur esse convenientissimi; iidemque cum priscorum hominum superstitione coniuncti, qua precibus, quae fiunt, alii et favere et eas turbare ac profanare possunt."

21) Ut unum hic moneam, male in universum de omnibus Troianis dixit Aiax, quum de uno Hectore, quocum pugnam initurus est, loqui deberet.

rhapsodo adiecti videntur, qui Aiacem nimis modeste v. 192 loqui putavit.

Deorum concionem, η, 443—464, Zenodotus, Aristophanes et Aristarchus addubitarunt. Cf. Schol. ad h. l. μ, 17. φ, 446. Zenodotum, quem Aristophanes secutus est, commemoratio futuri temporis, ad ipsum carmen non pertinentis, movisse videtur, neque dubito, quin eodem argumento ad versus μ, 5—36 proscribendos (quamquam haec ἀθέτησις non refertur) usus sit. Aristarchus repugnare nostro loco μ, 17 et φ, 446 monuit. Quae alii ad locum vindicandum attulerunt, vix commemoratione digna, vide in Scholiis. De interpolatione hodie non dubitant [22]).

H, 475 recte Zenodotus, Aristophanes et Aristarchus [23]) obelo notarunt, Aristarchus ob ἀνδράποδον, Homero incognitum, Zenodotus vero eo, ni fallor, quod τίθεντο δὲ δαῖτα θαλείαν moleste repeteret illud καὶ δόρπον ἕλοντο (v. 466) et ἄλλοι quinquies poneretur. Cf. Geppert. I p. 38.

Θ, 25 sq. proscripsit versus:

> Σειρὴν μέν κεν ἔπειτα περὶ ῥίον Οὐλύμποιο
> δησαίμην· τὰ δέ κ' αὖτε μετήορα πάντα γένοιτο,

quod Iuppiter, ipse in Olympo sedens, se totam terram, qua Olympus nititur, in altum evecturum et funem in Olympo alligaturum esse diceret. At Aristarchus hic non de monte Olympo, sed de caelo cogitari monuit. Cf. Voelcker p. 14 sq. Lehrs. p. 167 sqq. Talia minime ad vivum sunt resecanda [24]).

I, 692 Zenodotus, v. 688—692 Aristophanes et Aristarchus addubitarunt. Zenodotus hunc versum ab Achille coram Phoenice ι, 427 sqq., unde locus desumptus est, bene addi, hic vero esse superfluum putavit. Aristarchi ἀθέτησιν verissimam esse statuo, ut versus ab interpolatore adiecti sint, qui Phoenicis commemorationem, a poeta consulto, ni fallor, omissam, desiderabat.

Λ, 548—557 obelo notavit, quum duae comparationes nimiae viderentur, quarum primam e ρ, 657 sqq. male huc translatam

---

22) Cf. Heynius V p. 383 sqq. Müller l. l. p. 126 et quae olim monui l. l. p. 62. Geppert. I p. 34. 85. 430.

23) Aristonici ἀθετεῖται de Aristarcho intelligendum esse hodie post Lehrsium in vulgus notum est. Heynius (V p. 390) Aristarchum hunc versum non reprobasse putavit.

24) Aristonicus: Δι' αὐτῶν (v. 25 sq.) δὲ διδασκόμεθα πᾶσαν τὴν γῆν σὺν τῇ θαλάσσῃ ubi verba μετέωρον γενέσθαι excidisse videntur, non, quod Heynius (V p. 417) coniecit, „συμπεπλέχθαι vel συνεῤῥιζῶσθαι vel simile quid." Aristonicus enim, ut hunc versum necessarium esse demonstret, illa adfert.

esse iudicavit. Recte Aristonicus: Ἴσως, ὅτι νῦν μὲν λέοντι παραβέβληκεν, ἑξῆς δὲ ὄνῳ· ἔστι δὲ πρὸς διάφορα σημαινόμενα· ὁ μὲν γὰρ λέων πρὸς τὴν πρᾶξιν, ὁ δὲ ὄνος πρὸς τὴν ὑπομονήν· καὶ γὰρ τοῦτον ἐπιτριβῇ πληγῶν λαμβάνει. Alteram comparationem parodiam esse prioris, male receptam, non dixerim.

Σ, 304—306 proscripserunt Zenodotus et Aristarchus (neque dubito de Aristophane), ὅτι πρὸς μὲν Ἀφροδίτην (ξ, 205 sqq.) δεόντως λέγονται, πρὸς δὲ τὸν Δία οὐκέτι· οὐ γὰρ προσεδεῖτο προφάσεως, ἔχουσα τὸν κεστὸν ἱμάντα· καὶ τάχ' ἂν συνεφόρμησεν (Ζεύς) αὐτῇ· οὐ δεῖ οὐ παρακινδυνεύειν. Cf. Schol. ad h. l. et 205. At causa itineris addenda atque ea, quam adfert, ita comparata erat, qua Iuno coniugi iucundior videretur et amabilior. Quod vero Aristonicus addit, fieri potuisse, ut Iuppiter coniugem comitaretur, id ne timendum quidem Iunoni erat, quae nihil aliud optavit, nisi ut Iovis mentem a pugna averteret. Neque video, cur illis versibus omissis Iunoni hoc idem minus timendum fuerit; immo commemoratio altercationis coniugialis, qualem Iuppiter non amavit et in qua componenda uxoris potius partes esse vidit, quam sui ipsius, eum a coniuge comitanda deterrere poterat. Verum video in argutiis refutandis me ipsum argutari. Cf. Beckius l. l. p. 68 [25]).

Versus π, 97—100 suspecti videbantur Zenodoto. Schol. V: Καλῶς οὖν, φησὶν Ἀρίσταρχος, Ζηνόδοτος ὑπώπτευκεν, ὡς εἶεν παρεντεθέντες οἱ στίχοι ὑπὸ τῶν ἀρσενικοὺς ἔρωτας λεγόντων εἶναι παρ' Ὁμήρῳ καὶ ὑπονοούντων παιδικὰ εἶναι Ἀχιλλέα Πατρόκλου. Num Aristarchus Zenodoti argumenta recte divinaverit, dubitare licet. Equidem Zenodotum potius vidisse puto, hoc votum Achille indignum esse (cf. Plutarch. de audiendis poetis 8), neque eius moribus convenire (cf. π, 128), atque Achillem nosse Troiam se non deleturum esse (cf. ι, 411 sqq.), denique eum in ipsa loci interpretatione (cf. Spitzner) [26]) haesisse iudico Aristonicus: Ἀθετοῦνται στίχοι τέσσα-

---

25) Unde Geppertus (I p. 38) narret, Zenodotum et Aristophanem ξ, 509 proscripsisse, me ignorare confiteor, quum in Scholiis ad h. l legamus: Ἀθετοῦσιν διὰ τὸ ξένον τῆς λέξεως (ἀνδράγρια) καὶ μὴ κείμενον ἀλλαχοῦ. Aristarchus vero non obelum, sed diplen appinxerat. Ἀθέτησιν ad grammaticos Aristarcho posteriores pertinere puto, qui si hunc versum spurium habuerunt, versus 508 et 510 defendere non potuerunt, ut cum Heynio (VI p. 617) tres versus addubitaverint.

26) De versu 99 adde, quae Humboldtius habet, opp. V p. 32. Γένοιτο sive εἴη ad infinitivum ἐκδῦμεν cogites, nisi νῶϊ, vocali producta, legendum. De infinitivo post αἲ γάρ cf. Od. η, 312 sq. ω, 379 sq.

ρες, διότι κατὰ διασκευὴν ἐμφαίνουσι γεγράφθαι ὑπό τινος τῶν νομιζόντων ἐρᾷν τὸν Ἀχιλλέα τοῦ Πατρόκλου· τοιοῦτοι γὰρ οἱ λόγοι, πάντες ἀπόλοιντο πλὴν ἡμῶν· καὶ ὁ Ἀχιλλεὺς οὐ (sic Spitzner pro ὁ) τοιοῦτος, συμπαθὴς δέ. Versus inepte additos esse recte statuunt Heynius (VII p. 156) [27]), Spitzner et Lachmannus (II p. 25), quamquam eos amatorios non dixerim.

Zenodotus, qui π, 141—144 sustulerat, quum denuo Homerum pertractaret, versum 140 proscripsit, hastae Achilleae commemorationem hoc loco superfluam existimans et otiosam. Atque illis versibus omissis hunc bene stare non posse concedimus.

Supra c. X vidimus criticum Ephesium v. 666 inepte immutasse, v. 677 vero sustulisse. At quum postea ad hunc locum iterum pervenit, hoc non sufficere bene perspiciens, v. 666—683 obelo notavit [28]). Ministerium Apollini mandatum deo indignum est atque infra ρ, 150 sq. ignoratur. Cum Lachmanno II p. 30 statuo, totam hanc narrationem inepte insertam esse. Heynius (VII p. 250 sqq.) rem non expedivit.

P, 260 sq. proscripsit versus:

> Τῶν δ' ἄλλων τίς κεν ᾗσι φρεσὶν οὐνόματ' εἴποι,
> ὅσσοι δὴ μετόπισθε μάχην ἤγειραν Ἀχαιῶν;

Tantum enim principum a Menelao convocatorum (cf. v. 248 sqq.) minime fuisse numerum monuit, ut his versibus poeta recte uteretur; neque ᾗσι φρεσὶν hic locum habere [29]). Aristonicus contra

---

27) „Videtur fuisse (interpolator) aliquis male feriatus, qui Achillis iram usque ad rabiem insanam efferre vellet simulque eum adsimulare Diomedi ι, 48 sq., ne inferior esset ulla in re Achilles."

28) Schol. A π, 668, a Spitznero neglectus: Μήποτε δὲ Ζηνόδοτος ὀρθῶς ἠθέτηκε τούτους· παράλογον γὰρ τὸν ἀπενθῆ τοιαῦτα διακονεῖσθαι, ubi et pluralis τούτους, et argumentum allatum ostendit, Zenodotum totum de Apollinis ministerio locum addubitasse. Schol. V 667: Ἠθέτει Ζηνόδοτος· ἄτοπον γάρ φησι τὸν ἀπενθῆ τοιαῦτα διακονεῖν· ἀλλὰ τοῦτο προςτάσσεται ὡς τιμώμενος ἐν Λυκίᾳ. Hic quoque videmus in Apollinis ministerio Zenodotum haesisse. Orationem igitur Apollinis addubitavit, quod si fecit, neque v. 666, quem mutaverat, neque 676—683 defendere poterat. Nunc audi Spitznerum, qui in summas angustias redactus haec profert: „His (v. 667) ut ab Apollinis numine alienis Zenodotum obelum appinxit. Is vero, quum Iovem cum Apolline colloquentem fecerit (scripsit enim v. 666: Καὶ τότ' ἄρ' ἐξ Ἴδης προςέφη Ζεὺς ὃν φίλον υἱόν), quomodo singula constituenda censuerit, e Schol. Ven. reliquiis non apparet. Versus duodeviginti integros eius iudicio, tollendos esse probari non poterit." De Zenodoti ἀθετήσει horum versuum iam Heynius (VII p. 251) recte statuit, quod quomodo Zenodoteae v. 666 emendationi non repugnaret, non curavit.

29) Heynium, qui hos versus damnandos esse Scholiis nondum

Zenodotum disserit: *Οὐδὲν δὲ ἔχουσιν εἰς ἐπαιτίασιν, ἀλλ' αὔξουσι τὸ μέγεθος τῆς ὑπὲρ Πατρόκλου μάχης.* Digamma in *εἴποι* neglectum interpolatorem decet, quamvis *οὔνομα* (cf. Od. ζ, 194) facile cum Bentleio restituas. Tres, qui 256 — 259 memorantur, heroes interpolatori non sufficere visi sunt. Cf. Geppert. I p. 38 sq.

P, 545 sq. obelo notavit Zenodotus [30]), cuius argumentum in Schol. A allatum et refutatum invenimus: *Πῶς γὰρ ἐν τῇ Ἴδῃ ὢν ὁ Ζεὺς αὐτὴν πέμπει, ἡ δὲ οὐρανόθεν κάτεισιν; ἢ* (lege *οἱ δέ.* cf. Schol. *π*, 432), *ὅτι οὐρανὸν τὸν ὑπερνέφιον ὀνομάζει τόπον* [31]). Qua observatione Aristarchus (cf. Lehrs. p. 167 sq) Zenodotum refellit. Cur Zenodoti *ἀθέτησις* omnino probanda sit, vide apud Heynium VII p. 369 et Lachmannum II p. 34.

Locus de nominibus Nereidum, *σ*, 39—49, qui aberat ab editione Argiva, proscriptus est a Zenodoto, quem libri illius auctoritas non movisse videtur, sed id, quod Didymus adfert, *ὡς Ἡσιόδειον ἔχων χαρακτῆρα· Ὅμηρος γὰρ κατὰ τὸ κοινὸν Μούσας λέγει καὶ Εἰλειθυίας, ἀλλ' οὐκ ὀνόματα· γελοῖόν τε ἐξ ὀνόματος προθέμενον εἰπεῖν πάσας* (*σ*, 38), *ὥσπερ ἀποκαμόντα εἰπεῖν· ἄλλαι θ' αἳ κατὰ βένθος ἁλὸς Νηρηΐδες ἦσαν* (v. 50 sq.)· — *τό τε ἔνθα* (v. 39. 47) *οὔτε χρόνον σημαίνει, οὔτε τόπον· διακόπτεταί τε ἡ λύπη τῷ καταλόγῳ.* Zenodoti iudicium et Aristarchus et recentiores critici (dubitat Spitzner) probarunt. Cf. Wolfium Prolegg. p. CCLVIII. Heynium VII p. 432 sq. Lehrsium p. 358. Geppertum I p. 19. II p. 205.

Achillis clipeum, *σ*, 483—608, recte addubitavit; tam amplam enim latamque descriptionem hunc locum respuere. Quamquam hodie quoque non desunt, qui illum defendant [32]). At, ut alia mittam, post *δαίδαλα πολλά* (v. 482) descriptio singularum clipei

---

inspectis viderat, haec argumenta non attulisse (VII p. 331) miror. In *μετόπισθε ἤγειραν*, ubi Spitzneri interpretatio probari nequit, Heynius haesit.

30) Schol. V de versu 545 tantum loquitur, at versus 546 illo sublato stare non potest, atque in codice Ven. utrique versui appicta est *διπλῆ περιεστιγμένη.* Alii Schol. teste hos versus non legerunt.

31) Spitzner: „Ceterum alii diplen eo rettulerunt, quod regionem nubibus altiorem *οὐρανὸν* nominaverit poeta." At *διπλῆ περιεστιγμένη*, non simplex *διπλῆ* utrique versui erat apposita. Aristarchi scholam statuisse, Iovem ex Ida monte dudum in Olympum reversum esse, Spitzner hoc quoque loco adfirmat. Cf. c. X ad *π*, 432.

32) Cf. Ulricius histor. poes. Graec. I p. 263 sq. Arndt. de Iliadis poematis compositione p. 21 sq.

imaginum sequi non poterat, ubi *πάντα* dicendum erat. Cf. *σ*, 400. *γ*, 126. De clipeo vide Heynium VII p. 522. 589 sqq. Adde Geppertum I p. 19 sq.

Φ, 538 sq. Zenodotus proscripsit, non voc. *φάος* non intellecto (cf. supra c. II), sed quod Apollo portis demum reclusis, quasi alioquin urbem deserere non posset, 'exsiliret (*ἐξέθορε*, quod verbum deo vix dignum sit) [33]), atque *ἀντίος ἐξέθορε* de hostili impetu diceretur, nisi forte *ἀντίος Τρώων* prave coniunxit. Heynius (VIII p. 214): „Improbavit forte ambiguitatem"; at idem Zenodotus in *τίθει φάος* et similibus non haesit. Equidem versus illos, quos molestos neque satis Homericos esse negari nequit [34]), ab eo insertos esse puto, qui quomodo Apollo Troiam reliquerit (compara 517 sqq. cum 545 sqq.), desiderabat. At v. 544 sqq. ita e more Homerico comparati sunt, ut vix priorem Apollinis Troianis auxilium ferentis mentionem admittant. Hinc Zenodoti iudicium cum Gepperto probo.

Od. *δ*, 62—64 Zenodotus, Aristophanes et Aristarchus obelo notarunt. Zenodotum voc. *γένος* bis, neque eadem significatione positum (v. 62 sq.), et *ἀπόλωλε* mire dictum [35]), et *ἀνδρῶν* repetitum et cum *βασιλήων* compositum, *σκηπτούχων* post *διοτρεφέων βασιλήων* movisse videntur. Schol. apud Cramerum Anecd. Par. III p. 439: *Προηθετοῦντο καὶ παρὰ Ἀριστοφάνους (Ἀριστοφάνει) καὶ Ζηνοδότου (Ζηνοδότῳ)· τὸ γὰρ σφῶϊν οὐχ Ὁμηρικῶς μονοσυλλάβως μετηνέχθη, ὅ τε ἔπαινος τῶν νέων οὐκ ἀναγκαῖος.* Zenodoti *ἀθέτησιν* omnino probo. Cf. *α*, 123 sq. *γ*, 70. Genitivus *ἀνδρῶν* e *δ*, 138 male inlatus videtur, ubi alia structurae ratio est.

Od. *δ*, 353:

Οἱ δ' αἰεὶ βούλοντο θεοὶ μεμνῆσθαι ἐφετμέων.

Schol.: *Ζηνόδοτος ἠθέτει· ποῖαι γάρ, φησίν, ἐγένοντο ἐντολαί;* At Zenodotus potius perspexit hanc sententiam male adiici, et haesit in voce *θεοί* (cf. v. 351) repetita, et fortasse in imperfecto *βούλοντο*. Zenodoti iudicium hodie recte comprobant. Cf. Nitzschius I, p. 265. Geppert. I p. 46. p. 130.

---

33) Nunc video hoc argumentum iam a Gepperto (I p. 39) esse prolatum.

34) Ipsum *τεῦξαν φάος* alibi non reperimus atque de rebus inanimatis dictum offendit, neque non dativum desideramus. Quae de Apolline narrantur, nimis obscure proferuntur.

35) Recte Scholia *οὐ σφῶν γε γένος ἀπόλωλε τοκήων* explicant: *οὐκ ἀφανῶν ἐστε γονέων, non obscuratum est vestrum genus.* Cf. Od. *λ*, 586, ubi de aqua evanescente *ἀπολέσκετο* dicitur. Quomodo Nitzschius III p. 237 *οὐκ ἀπόλωλε* interpretetur *bene cognoscitur*, non video.

Od. η, 13:

Ἢ οἱ πῦρ ἀνέκαιε καὶ εἴσω δόρπον ἐκόσμει.

Schol.: *Ἀθετεῖ Ζηνόδοτος· ἤδη γὰρ εἶπε δαῖε δέ οἱ πῦρ* (v. 7)· *καὶ διὰ τὴν διαφορὰν τοῦ εἴσω πρὸς τὸ ἔνδον.* Cf. Crameri Anecd. Par. III p. 453. Praeterea ἤ repetitum Zenodotum movisse dixerim, cuius *ἀθέτησιν* vere reiecit Nitzschius II p. 135.

Od. θ, 23 recte obelo notavit versum:

Πολλούς, τοὺς Φαίηκες ἐπειρήσαντ' Ὀδυσῆος.

Schol.: *Οὐ γὰρ πολλοὺς ἐτέλεσεν ἐν Φαιακίᾳ, ἀλλ' ἐδίσκευσε μόνον* (v. 186 sqq.). Crates, qui *ἀέθλους* mire intellexit *τοὺς κατὰ Ἰθάκην πόνους* [36]), ultionem scilicet procorum, versum non legisse videtur, quem qui defendere conati sunt, dixerunt *τοὺς* esse *καθ' οὓς* et *ἐκτελέσειεν ἀέθλους οὐ πρὸς ἐνέργειαν κεῖσθαι, ἀλλὰ κατὰ τὸ φύσει δύνασθαι.* At *ἐπειρήσαντο* rem vere actam respicit. Zenodoti obelum probo cum Nitzschio, quocum v. 22 sq. tollendos esse iudico. Cf. Geppert. I p. 48.

Od. λ, 38—43 proscripserunt Zenodotus, Aristophanes, Aristarchus, quod animae, quamquam Ulixes v. 48 demum gladium stringit, non ad sanguinem bibendum accedant, deinde ob vulnera (repugnat enim locus, qui infra v. 398 sqq.) et *θεσπεσίην ἰαχήν*, denique quod *δή τότ' ἔπειτα* v. 44 his versibus interpositis sententias male coniungat [37]). Recte recentiores critici Zenodotum sequuntur. Cf. Geppert. I p. 46. Nitzsch. III p. 195 sq. Unus Lauer nuper hos versus defendit, quod Faerber in annalibus criticis Berolinensibus 1844 p. 471 non probavit.

De aliis *Νεκυΐας* locis a Zenodoto proscriptis nihil relatum est, quamquam multos versus eum obelo confodisse verisimillimum est. Λ, 77 sq. aut sustulisse aut addubitasse videtur. Cf. c. IX ad Od. μ, 15. Vix dubito, quin totum locum inde a versu 565 aut 568 usque ad v. 627, a veteribus criticis spretum, addubitaverit. Cf. Lehrs. p. 159 sq. Nitzsch. III p. 304 sqq. Geppert. I p. 45.

Od. ξ, 21 sq. Zenodotus proscripsit. Schol. Harl. ad v. 21:

---

36) Quomodo Nitzsch. (II p. 169) dicat, e Cratetis interpretatione intelligendos esse labores iam perpessos, non exputo.

37) Schol. Q: *Οἱ ἓξ παρὰ Ζηνοδότῳ καὶ Ἀριστοφάνει ἠθετοῦντο, ὡς ἀσύμφωνοι πρὸς τὰ ἑξῆς· οὐ γὰρ μεμιγμέναι παραγίνονται αἱ ψυχαί· νῦν δὲ ὁμοῦ νύμφαι, ἠΐθεοι, γέροντες, παρθένοι· καὶ ἄλλως οὐδὲ τὰ τραύματα ἐπὶ τῶν εἰδώλων ὁρᾶται· ὅθεν ἐρωτᾷ τίς νύ σε κὴρ ἐδάμασσε* (v. 398); *τὸν Ἀγαμέμνονα.* Schol. br. *Ἀθετοῦνται οὗτοι οἱ ἕξ, ὅτι οὔπω προσέρχονται· καὶ ὅτι ἀδύνατον φέρειν τὰς ψυχὰς τὰς τῶν σωμάτων πληγάς. Ἀλλὰ πρὸς ἀνακεφαλαίωσιν πεποίηται τῶν μετὰ ταῦτα ῥηθέντων.* Cf. Eust. p. 1672, 33 sqq.

Ὑπωπτεύετο παρὰ Ζηνοδότῳ· Καλλίστρατος ὑπώπτευε τὸν στίχον διὰ τὴν ἐξαρίθμησιν τῶν κυνῶν, καὶ τὸ ἐπίθετον [38]). Haesit igitur Zenodotus et in enumeratione canum et in epitheto insolito θήρεσσιν ἐοικότες, neque immerito. Versus ob sequentem canum commemorationem (v. 29 sqq.) male inserti videntur. Cf. π, 4 sqq. 162. Infra v. 532 sq. poeta canum non meminit. Callistratus Aristophaneus Zenodotum secutus est. Eundem Callistratum Od. λ, 52. μ, 107 [39]). 250 addubitasse scimus; num his quoque locis ἀθέτησιν iam Zenodotus proposuerit, vix dixeris.

Versum Od. π, 101, e τ, 84 huc fere translatum, obelo notavit [40]); probe enim perspexit Ulixem mendicum in patriam redeuntem hic inepte induci. Cf. Eust. p. 1795, 42 sqq. Zenodoti ἀθέτησιν, ab Aristarcho, ut videtur, probatam, receperunt Clarkius, Ernestius, Wolfius et Geppertus (I p. 46). Unus Vossius, qui iungit αὐτὸς ἀλητεύων, versum defendere conatus est.

Od. π, 281—298 Zenodotus proscripsit, probante, ni fallor, Aristarcho. Schol. Q: Νοθεύονται ιη'. Schol. Vindob.: Ἀθετεῖ Ζηνόδοτος ιη'. Argumentum ἀθετήσεως hoc adferunt: Πόθεν γὰρ ᾔδει τὰ ὅπλα ἐν τῷ ἀνδρῶνι κείμενα (v. 284); Οἰκείως δὲ χρήσεται τῷ λόγῳ, ὅταν

---

38) Verba ὑπωπτεύετο παρὰ Ζηνοδότῳ in codice Harl. ad v. 20 referuntur. At ea cum sequentibus verbis, quae et in Harl. et in Vindob. codice versui 21 ascripta leguntur, coniungenda esse patet. Egregie erravit Porso, quem Buttmannus sequitur, utramque notam ad v. 22 spectare contendens. Num Callistratum in epitheto Eumaei ὄρχαμος ἀνδρῶν haesisse credas, quod saepius recurrit? Cf. ξ, 121. ο, 351. 389. π, 36. ρ, 184. Adde υ, 185. 254. Ne vero mireris, Schol. non nisi de versu 21 loqui, sine quo sequens stare nequit, similem negligentiam iam supra vidimus. Cf. nota 12. 30.

39) Schol. μ, 104: Ὑποπτεύει δ' αὐτὸν Καλλίστρατος ὡς μαχόμενον τοῖς ἔπειτα, ubi Callistrati dubitationem obscuram esse recte dixit Geppertus I p. 48. At Schol. nota pertinet ad v. 107. Callistratus versum:

Οὐ γάρ κεν ῥύσαιτό σ' ὑπ' ἐκ κακοῦ οὐδ' Ἐνοσιχθών,

repugnare dixit loco infra 430 sqq., ubi Ulixes e Charybdi servatur. Verba Scholiastae Nitzschius (III p. 382), cuius eruditionem et acumen magni facio, quamquam eum saepe Scholia negligentius tractasse video, pessime interpretatus est, Callistratum esse suspicatum, Charybdin Homero monstrum fuisse. De voc. ὑποπτεύειν cf. c. II not. 33.

40) Apud Buttmannum legimus ad v. 101: Νοθεύεται ὡς περιττός, ad v. 104: Ἀθετεῖ Ζηνόδοτος. Utraque nota ad v. 101 pertinet, quum vix exputes, cur Zenodotus in v. 104 haeserit, quamquam Geppertus (I p. 46) dicit, hunc versum prorsus superfluum esse De usu v. νοθεύεται cf. Schol. Od. λ, 568. μ, 445. ν, 320. ο, 45. π, 281. ρ, 475. Huc maxime faciat Scholium π, 281 quod vide supra.

αὐτὰ θειάσηται (τ, 4 sqq.). Cf. Schol. τ, 4 et Eust. p. 1802, 17. 1853, 2 sqq. Consilium de procorum caede hic nondum aptum et versus omittendos esse, ne bis Ulixes eadem Telemachum iuberet, recte perspexit Zenodotus. Cf. Clarkius ad h. l. Koesius de quibusdam discrepantiis in Odyssea occurrentibus p. 21. Thierschius de genuina Odysseae forma p. 81 sq. Geppertus I p. 42.

Hi sunt loci, quos Zenodotum obelo notasse certo scimus. At multos alios eum addubitasse persuasum habeo. Huc nonnulli loci sine dubio referendi sunt, quos Aristophanem proscripsisse referunt, quamquam hoc certo de nullo contendi potest. Cf. Schol. ϑ, 164. 189. 235. κ, 51. 387. 397. λ, 767. τ, 327. φ, 130. Od. α, 185. β, 206. 322. γ, 199. λ, 161. 399. 435. μ, 53. ο, 19. ϱ, 181. Sed ut ad eos redeamus versus, quos Zenodotum obelo notasse Scholia testantur, Aristarchum Zenodoti obelum undecim locis (η, 195—199. 443—464. 475. ι, 692. ξ, 304—306. π, 97—100. σ, 39—49. Od. δ, 62—64. λ, 38—43. π, 101, 281—298) probasse videmus; β, 156—168 non nisi versus 160—162 et 164 Aristarchus proscripsit. Nos Zenodotum iure versus proscripsisse putamus his viginti tribus locis: α, 488 sqq. β, 553 sqq. 612 sqq. 724 sq. η, 195 sqq. 443 sqq. 475. ι, 692. π, 97 sqq. 666—683. ϱ, 260 sq. 545 sq. σ, 39—49. 483—608. φ, 538 sq. Od. δ, 62 sqq. 353. ϑ, 23. λ, 38 sqq. ξ, 21 sq. π, 101. 281. 298), ceteris triginta locis eius iudicium non probamus.

XII.

DE ZENODOTEA DIERUM ILIADIS COMPUTATIONE.

In tabulae Iliacae Parisiensis fragmento a Longopetreiano, Bergkio et Lachmanno suppleto post plures, qui perierunt, versus haec legimus:

. . . . ς [1]) οὖν | αὐτῆς ὑπὸ Ζηνοδότου. Ἔστιν | ἐν τῇ πρώτῃ ἡμέρᾳ Χρύσ|εω πρὸς Ἀχαιοὺς ἄφιξις | καὶ ἀπαίτησις Χρυσηΐδος· | τοῦ δὲ Ἀγαμέμνονος ἀπει|θοῦντος καὶ μὴ βουλομέν|ου ἀποδιδόναι, Χρύσης ἐπὶ | τοῖς εἰρημένοις δυςφορ|ῶν ἀξιοῖ τὸν Ἀπόλλω τῆς ἀ|δικίας τῆς ἐπ' αὐτὸν γεν|ομένης ἀνταμείψασθαι | τοὺς Ἀχαιούς· τοῦ δὲ Ἀπόλ|λωνος μηνίσαντος τοῖς | Ἀχαιοῖς καὶ λοιμὸν ἐμβαλ|όντος εἰς τὸ στρατόπεδ|ον αὐτῶν ἐπ' ἐννέα ἡμέρα[ς], | καθάπερ εἴρηκεν· Ἐννῆμα|ρ μὲν ἀνὰ στρατὸν ᾤχετο κῆλ|α θεοῖο· καὶ ἐπιβάλλει· Τῇ δεκά|τῃ δ' ἀγορὴν ἐκαλέσσατο λα|ὸν Ἀχιλλεύς· ἐν ταύτῃ πάλι[ν] | μῆνι[ς] καὶ Χρυσηΐδος ἀποστο|λὴ καὶ ἀπαίτησις Βρισηΐδος, | καὶ Ἀχιλλέως καὶ Θέτιδος σύλλογος ὑπὲρ τῶν Ἀχαιῶν [2])· καὶ [κε]|λεύοντος τὴν μητέρ' ἀξιῶσ|αι τὸν Δία, ὅπως τιμήσωσιν αὐ|τὸν οἱ Ἀχαιοί, ἐπιβάλλει ἡ Θέ|τις· Εἶμ' αὐτὴ πρὸς Ὄλυμπον ἀγ|άννιφον, αἴ κε πίθηαι· ἀλλὰ σὺ | μὲν νῦν, νευσὶ παρήμενος ὠ|κυπόροισιν, μήνι' Ἀχαιοῖσιν, πο|λέμου δ' ἀποπαύεο πάμπαν· | Ζεὺς γὰρ ἐς Ὠκεανὸν μετ' ἀ|μύμονας χθιζὸς ἔβη μετὰ | δαῖτα, θεοὶ δ' ἅμα πάντες ἕ|ποντο· δωδεκάτῃ δέ τοι αὖτις | ἐλεύσεται Οὔλυμπον δέ, | ὥστε

---

1) Suspiceris: ἡμερῶν ἐξαρίθμησις. Quod Bergkius olim tentaverat: Ἐπιτομὴ τῆς Ἰλιάδος τε καὶ Ὀδυσσείας· Ἰλιάδος οὖν αὐτῆς ὑπὸ Ζηνοδότου ἔστιν, nunc ipse non probat.

2) Verba ὑπὲρ τῶν Ἀχαιῶν, quae ipse Lachmannus (p. 30) se non intelligere profitetur, hic nihil aliud significant, nisi *de Graecis deprimendis, ut ad Achillem honorandum cogantur*, quod uberius paullo post explicatur, ὅπως τιμήσωσιν αὐτὸν οἱ Ἀχαιοί.

πορεύεσθαι αὐτὸν τῇ ἐνά|τῃ. Διελθουσῶν οὖν τῶν ἀνὰ | μέσον ἡμερῶν ἔρχεται ὁ Ζ|εὺς τῇ προειρημένῃ δωδε|κάτῃ, καὶ ἡ Θέτις κατὰ τὸ πρό|σταγμα τοῦ υἱοῦ ἀναβαίνει | πρὸς τὸν Δία· κἀκείνου ὑπος[χ]|ομένου ποήσειν, καθάπερ ἠ|ξίου, ἀπαλλάσσεται ἡ Θέτις, | τὰ εἰρημένα τῷ υἱῷ ἀπαγγελ|οῦσα. Ταύτης διελθούσης τῆ|ς ἡμέρας καὶ τῶν ἡμερῶν ἀριθμ|ὸν ἐχουσῶν εἴκοσι ἐπιβάλλει | μία καὶ εἰκοστή, ἐν ᾗ ἐστὶν Ἀχ|αιῶν ἀγορά, νεῶν κατάλογ|ος, συναγωγὴ τῶν Ἀχαιῶ[ν]|, καὶ ὅ[ρ]κια, καὶ Μενελ[άου καὶ] | Ἀλεξάνδρου μόνο[μαχία, καὶ] θεῶν ἀγορὰ καὶ ὁρ[κίων σύγ]|χυσις, καὶ ἐπιπώ[λησις, πε]διὰς μάχη, Δι[ομήδους ἀρι-στεί]|α, καὶ Αἰνήου [καὶ Ἀφροδίτης] | τρῶσις, περι[αίρεσις τοῦ Αἰ]-νήου ἀ[πὸ τῆς μάχης, καὶ τραῦ]μα Σ[αρπηδόνος . . . . . .

Continetur hoc fragmento initium Zenodoteae dierum Iliadis computationis, quam primum huius carminis *διορθωτὴν* recensioni suae praemisisse suspicor. Videmus igitur Zenodoto actionem libri primi viginti fuisse dierum. Decimo die in Graecorum concione ira Achillis exardet; eodem die Thetis filium convenit, quae Iovem in Aethiopum terram heri concessisse dicit, unde duodecimo itineris die redeat. Hinc Iovis reditum et quae in libro primo inde a v. 495 narrantur, ad undecimum irae, vigesimum totius Iliadis diem rettulit [3]). Ab hac Zenodoti computatione Aristarchus ita discessit, ut unum et viginti dies numeraret. *Ἐκ τοῖο* enim, quod Zenodotus *ab initio itineris deorum* intellexit, Aristarchus exposuit *ab irae initio* [4]), quum illud ad v. 488 sqq. respicere putaret. Ze-

3) Hanc Zenodoti computationem posteriores interpretes non neglexisse docet Eustathii locus a Bergkio et Lachmanno omissus, p. 693, 57—694, 2: *Ὅτι ἡ τῆς ῥαψῳδίας ταύτης (Θ) ἡμέρα τρισκαιδεκάτη μέν ἐστι μετὰ τὴν τοῦ Ἀχιλλέως μῆνιν, δευτέρα δὲ τοῦ πολέμου· εἰ δέ τις καὶ τὰς ἐννέα τοῦ λοιμοῦ ἡμέρας ταύταις προςλογίσεται, εἴη ἂν ἡ ἐξ ἀρχῆς τῆς Ἰλιάδος ἱστορία ἕως τῶν ὧδε ἡμερῶν κβ', ἀριθμουμένων οὕτω· ἡ δεκάτη τοῦ λοιμοῦ δευτέρα μὲν ἦν τῆς Διὸς ἀπελεύσεως εἰς Αἰθίοπας· χθιζὸς γάρ, φησίν, ἔβη Ζεὺς εἰς Αἰθίοπας, ἤγουν τῇ ἐνάτῃ μὲν τοῦ λοιμοῦ, πρώτῃ δὲ τῆς μήνιδος (?)· ὅτε δὲ δωδεκάτη μὲν τῷ Διῒ ἐπανελθόντι, ἑνδεκάτη δὲ τῷ Ἀχιλλεῖ μηνίσαντι, τότε δὴ ἱκέτευσεν ἡ Θέτις· ἐπεὶ δὲ πέρας εἶχεν αὕτη, ἐπέστη νυκτὸς ὁ ἐν τῇ οὖλος Ὄνειρος καὶ τῇ ἐπαύριον δωδεκάτῃ οὔσῃ τῆς μήνιδος συνέστη πόλεμος, ὃς ἐκ μονομαχίας ἀρξάμενος ἐν τῇ Γ εἰς μονομαχίαν ἐν τῇ Η ἔληξεν, ὡς εἶναι τὴν τῆς Θ, ὡς ἐῤῥέθη, ἡμέραν τρισκαιδεκάτην μὲν τῆς μήνιδος, δευτέραν δὲ τῆς κατὰ μάχην ἔριδος, εἰκοστὴν δὲ δευτέραν τῆς τοῦ βιβλίου Ἰλιάδος καταρχῆς.* Errat Heynius, qui Zenodotea computatione nondum nota monet (VII p. 575): „Debebat Eustathius haec commemorare supra ad librum VII (*η*, 290): nam in istam diem haec conveniebant; intercessere post illam duo dies induciarum, de quibus ille non cogitasse videtur."

4) Schol. B: *Ἐκ τούτου λέγει τοῦ χρόνου, τοῦ τῆς μήνιδος· εἶπε*

nodotus illos versus obelo notasse supra vidimus, non eo, quod illis admissis sua temporis computatio stare non posset, sed ut versus male inserti tollerentur. Aristarchus igitur deos duodecimo irae die redire statuit, ut, quum Thetis eodem, quo ira exarsit, die (v. 424) dixisset, χθιζὸς ἔβη, totum iter non duodecim, sed tredecim fuerit dierum. At scite iam Bergkius monuit, duodecim esse numerum Homero tam sollemnem, ut hoc vix statui possit [5]). Cf. praeter Bergkium p. 487 sq. Nitzschium ad Od. I p. 286. Welckerum Additam. ad trilogiam p. 68. Weiskium de Prometheo p. 327. Atque non est, cur iter tredecim dierum hic statuere cogamur, etiamsi versus 488 sqq. genuinos esse credas. Illa enim Thetidis verba (v. 425):

Δωδεκάτῃ δέ τοι αὖτις ἐλεύσεται Οὔλυμπόνδε,

ita in audientium mentibus inhaerent, ut, quo loco poeta ad Iovis reditum supra annunciatum transit, δωδεκάτη sponte eadem, qua prius, ratione intelligant atque ἐκ τοῖο ad initium itineris referant. Observes vero, ἐκ τοῖο hic et loco simili, e nostro interpolato, ω, 31, adverbialiter dici, ut *dehinc*, *deinde*. Atque ipse versus 425 suo loco multo facilius ita explicatur, ut, quoto itineris die Iuppiter redeat, indicet. At quomodo Aristarchus sibi constitit, si, quod Bergkius monuit (p. 489. 501), versum 493 proscripsit, quo sublato tota dierum computatio concidit? In codice enim Veneto diplen eum obelo versui praefixum videmus. At hunc versum Aristarchum addubitare potuisse omnino nego, quo eiecto totus locus recto non stet talo. Quis cogitet, ex Aristarchi sententia Homerum versui:

Αὖθι μένων, ποθέεσκε δ' ἀϋτήν τε πτόλεμόν τε,

continuo subiunxisse:

Καὶ τότε δὴ πρὸς Ὄλυμπον ἴσαν θεοὶ αἰὲν ἐόντες?

Iam Heynius (IV p. 134) vidit, obelum hic locum non habere; unde vero error librarii, quem in signis criticis ponendis nonnunquam falli videmus (cf. supra c. I), natus sit, vix certo dixeris. Suspiceris quidem obelum ad v. 492 pertinere [6]).

γὰρ ἡ Θέτις· χθιζὸς ἔβη μετὰ δαῖτα (v. 424). Quum Schol. hic suam comprobet computationem, non refutet aliorum sententias, quomodo Lachmanni artificiosa huius Scholii interpretatio p. 31 sq. (*Thetis dicit, non poeta*) stare possit, non video. Ceterum Schol. aut in versu laudando erravit (v. 425 enim adferendus erat), aut, quod Bergkius p. 489 sq. statuit, initium v. 425 duos versus 425 et 426 breviter indicat.

5) At ipse Bergkius p. 495 sq. hoc neglexit, Aristarcheam computationem secutus.

6) In Scholiis hanc tantum notam ad hunc versum pertinentem

Aristarchus igitur, qui deos die tertio decimo redire statuit, totam libri primi actionem unius et viginti dierum esse computavit[7]. Inde ab initio libri β usque ad finem libri σ eum tres dies numerasse videmus ex his Scholiorum ad σ, 125 notis. Schol. A: *Πῶς δὲ δηρόν φησι; Δεκάπεντε γάρ εἰσιν ἡμέραι, σὺν αἷς οἱ θεοὶ εἰς Αἰθιοπίαν διέτριψαν.* Schol. V: *Ὅρα δέ, πῶς δηρὸν χρόνον λέγει τὰς δώδεκα τῆς τῶν θεῶν ἐκδημίας ἡμέρας καὶ τὰς τρεῖς ἐν ταῖς παρατάξεσι.* Eust. p. 1134, 60 sq.: *Εἰς δὲ τὸ δηρόν φασιν οἱ παλαιοί, ὅτι καὶ μὴν δώδεκα μὲν ἡμέραι διῆλθον ἀποδημούντων ἐν Αἰθιοπίᾳ τῶν περὶ τὸν Δία, τρεῖς δὲ ἄλλαι ἐν ταῖς παρατάξεσι.* Adde Schol. B ξ, 304: *Διὰ τί ἡ Ἥρα, ὅτε μὲν μετὰ τοῦ Διὸς ᾤχετο ἐπὶ τὸν Ὠκεανόν, οὐ διέλυσε τὴν Τηθὺν καὶ τὸν Ὠκεανόν, ὕστερον δὲ ἡμέραις δεκάπεντε*[8]) *ἐπιχειρεῖ ἐπὶ τοῦτο πορεύεσθαι;* Computationem illam in Scholiis allatam non Zenodoti, sed Aristarchi esse, inde colligitur, quod iram Achillis in libro primo duodecim dies durasse statuunt. Aristarcho igitur tres dies inde ab initio libri β usque ad finem libri σ praeterierunt, hoc modo constituendi, β, 1 — η, 482. ϑ, 1 — κ, 579. λ, 1 — σ, 617. Atque hanc computationem trium dierum a β, 1 — σ 617 Aristarchum ab Zenodoto accepisse iudico, ut hic ab initio carminis usque ad finem libri σ viginti tres, Aristarchus viginti quattuor dies computaverit.

Verum enim vero in hac computatione neglectus est locus η, 381—482. Quod alii grammatici, Aristarcho iuniores, quum animadverterent, a β, 1— σ, 617 non tres, sed quattuor dies praeteriisse statuerunt. Cuius computationis vestigia servarunt Schol. V et Eustathius π, 202, quorum prior: *Κατὰ πάντα τὸν τῆς μήνιδος χρόνον, ὅς ἦν μετὰ τῆς παρούσης ἡμέρας ἑκκαιδεκάτης· πρὸς τὸ ἐν τῇ Η ζήτημα,* Eustathius p. 1054, 17 sqq.: *Ἐν τούτοις δὲ κεῖται σημείωσις τῶν παλαιῶν, ὡς ὁ τῆς Ἀχιλλέως μήνιδος χρόνος μετὰ τῆς παρούσης ἡμέρας ἑκκαιδεκάτης ἦν· εἰ δὲ ὀρθῶς ἐῤῥέθη, σκοπητέον ἀναλεξαμένοις τὰ εἰς τοῦτο προῤῥηθέντα.* cf. notam 3. Videmus

invenimus: *Ποθέεσκε· ἐχθρὸς γὰρ τῆς ἀργίας ὁ ἥρως, φιλότιμος δὲ περὶ τὰς πράξεις,* quo versum contra Aristarchi obelum defendi conieceris.

7) Schol. A β, 48 hanc habet, Aristonici, ni fallor, notam, a Bergkio et Lachmanno neglectam: *Πρὸς τὸν τῶν ἡμερῶν ἀριθμόν, ὅτι τρίτη καὶ εἰκοστή· δέκα μὲν μέχρι τῆς μήνιδος, δώδεκα τῶν θεῶν ἐν Αἰθιοπίᾳ ὄντων· ἡ δὲ ἀνατολὴ αὕτη τρίτη καὶ εἰκοστή ἐστιν.* Habemus hic apertum Aristonici errorem, qui non meminit verborum Thetidis: *χθιζὸς ἔβη* (v. 424).

8) Sic lectionem corruptam *ἡμέραις πέντε ἢ δέκα πέντε* mecum restituas, nisi forte mavis *δεκάπεντε ἢ ἕξ*, ut differentiae computationum indicentur. Cf. mox Schol. π, 202.

igitur hos grammaticos locum η, 381—482 unius diei spatio inclusisse, quod sine proscriptionibus vix fieri potuisse Bergkius p. 484 recte censet. Versus 433—442 sine dubio, neque immerito, proscripserunt, ut iam Zenodotus, Aristophanes et Aristarchus η, 443—464 recte obelo notaverant. Quod in ζητήματι ad η, 433, ad quod Schol. π, 202 provocat, expositum fuisse suspicamur. Inde ab initio libri τ usque ad finem Iliadis veteres viginti tres dies numerasse videntur [9]), ut Zenodotus totius Iliadis actionis quadraginta sex, Aristarchus quadraginta septem, alii, Aristarcho iuniores, quadraginta octo dies computaverint [10]).

Zenodotus computationem Iliadis carmini praemisisse videtur. Non minus Aristarchus disputationem de diebus, quibus singulae Iliadis actiones fierent, praeposuit aut seorsim edidit, eadem ratione, qua περὶ ναυστάθμου egit (Lehrs. p. 229 sqq.). Huc pertinet Aristonici nota α, 477: Ἡ δὲ ἀναφορὰ ἀπὸ τῆς σημειώσεως πρὸς τὸν τῶν ἡμερῶν ἀριθμόν, ubi neque Lachmanni (p. 31), neque Bergkii (p. 490) acumen verum attigisse iudico. Ἡ ἀναφορὰ enim hic non ad v. 472 pertinet, cuius diple itidem dierum computationem respicit [11]), sed ad dissertationem περὶ τοῦ τῶν ἡμερῶν ἀριθμοῦ. Cf. Aristonicus κ, 110: Ἡ διπλῆ, ὅτι πλησίον τοῦ Λοκροῦ Αἴαντος ὁ Μέγης ἐνεντωλκήκει· — ἡ δὲ ἀναφορὰ πρὸς τὸν (Lehrsius τὰ) ἐπὶ (lege περὶ) τοῦ ναυστάθμου. Iam supra (nota 7) attulimus Scholium β, 48: Πρὸς τὸν τῶν ἡμερῶν ἀριθμόν, ὅτι τρίτη καὶ εἰκοστή, quocum compares Schol. κ, 112: Πρὸς τὰ περὶ τοῦ ναυστάθμου, ὅτι πλησίον ὁ Ἰδομενεὺς Αἴαντος τοῦ Τελαμωνίου ἐνενεωλκήκει, λ, 6: Ἡ διπλῆ πρὸς τὰ περὶ τοῦ ναυστάθμου, ὅτι . . ., λ, 166: Ἡ διπλῆ πρὸς τὸ περὶ τοῦ ναυστάθμου διάγραμμα· τὸ γὰρ Ἴλου σῆμα κατὰ μέσον εἶναί φησι τῷ πεδίῳ (τοῦ πεδίου).

---

9) Tres dies libris τ — ψ continentur (τ, 1 — χ, 515. ψ, 1—225. ψ, 226—897), novem Hectoris cadaver Achilles ignominia adficit. Cf. Schol. B ω, 31. Nonus vero ille dies finit ω, 676; sequuntur usque ad finem carminis undecim dies (novem ω, 677—784, duo alii ω, 785—787 et ω, 788—804). Nonnullos, versu ω, 31 male intellecto, ω, 1—676 duodecim dies computasse suspicari licet, sed hac interpretatione veteres usos esse non relatum invenimus. Cf. Heynius VII p. 577. VIII p. 594.

10) De recentiorum computationibus cf. Heynius exc. I ad librum XVIII. Müller. l. l. 118 sqq.

11) Πανημέριοι· ὅτι οὐ δι' ὅλης φησὶ τῆς ἡμέρας, ἀλλὰ τοῦ λειπόντος τῆς ἡμέρας· καὶ γὰρ τὸ μὲν πεπλεύκασι, τὸ δὲ λεῖπον εὐωχήθησαν.

ADDENDA.

Ad p. 2 v. 15. Ipsa Bergkii verba in dissertatione laudata, quam nunc auctoris benevolentiae debeo, haec sunt (p. 6): „Illud moneo, Scholia antiqua, quae ex quattuor libris Aristonici, Didymi, Herodiani, Nicanoris composita sunt, profecta esse ab Apione et Herodoro, et Eustathium, quum hos auctores adhibeat, his ipsis Scholiis usum esse."

Ad p. 16. Lachmanni de Iliade et Zenodotea computatione disputationes separatim hoc indice editae: *Betrachtungen über Homers Ilias von Karl Lachmann. Mit Zusätzen von Moritz Haupt* Berolini anno 1847 prodierunt.

Ad p. 2. not. 9. Herodorum pro Heliodoro male nominare Eustathium, quum Heliodorus notissimus sit γλωσσῶν Ὁμηρικῶν scriptor, iudicarunt Valckenarius p. 151, Ritschelius de Scholio Plautino p. 143 et Keilius in Ritschelii et Welckeri Museo Rhenano VI p. 132 sq. Certe Eustathius Herodori nomen invenerat.

Ad p. 31. Ioannis Tzetzae Scholiorum in Aristophanem prolegomena ex Ambrosianae bibliothecae cod. C. 222 sup. 4 mai. bombyc. saec. XIII edidit Henr. Keilius in Ritschelii et Welckeri Museo Rhenano VI p. 110—122, ubi p. 117 sq. legimus: *Ἀλέξανδρος ὁ Αἰτωλὸς καὶ Λυκόφρων ὁ Χαλκιδεύς, ἀλλὰ καὶ Ζηνόδοτος ὁ Ἐφέσιος τῷ Φιλαδέλφῳ Πτολεμαίῳ συνωνηθέντες ὁ μὲν τὰς τραγῳδίας, Λυκόφρων δὲ τὰς τῆς κωμῳδίας βίβλους διώρθωσαν, Ζηνόδοτος δὲ τὰς Ὁμηρείους καὶ τῶν λοιπῶν ποιητῶν. — Τῶν Ἑλληνίδων δὲ βίβλων, ὡς καὶ προλαβὼν ἔφην, τὰς τραγικὰς μὲν διώρθωσε (Πτολεμαῖος) δι' Ἀλεξάνδρου τοῦ Αἰτωλοῦ, τὰς τῆς κωμῳδίας δὲ διὰ Λυκόφρονος, διὰ δὲ Ζηνοδότου τοῦ Ἐφεσίου τὰς τῶν λοιπῶν ποιητῶν.* Vides ipsis Tzetzae verbis confirmari, quod de *reliquis inlustribus poetis* dixi. At pro illo *in unum colligere et in ordinem redigere* unum verbum *διορθοῦν* invenimus, sed inde minime labefactari Welckeri sententiam de Zenodoti opera in epico cyclo colligendo posita, quamvis Tzetzes re, quam traditam invenit, non intellecta de *διορθώσει*, non

de collectione cogitet, bene exposuit Keilius l. l. p. 243 sqq. De Plautino Scholio p. 245 sq. disserens, „Ceterum non est mirandum", inquit, quod Latini grammatici verba magis ad veritatem, de qua in summa rerum vides nobis convenire cum Ritschelio, accedere videntur, quam Graeca, e quibus derivata sunt." Ceterum idem p. 124 sq. recte videtur docuisse Anecdoti Parisini auctorem e Tzetza sua hausisse.

Ad p. 36. De Aristophanis recensione Homerica nuper egit Aug. Nauck in libro: *Aristophanis Byzantii grammatici Alexandrini* p. 19—59, qui quaestionem de fontibus, quam capite I dedimus, negligere non debebat. Addimus eius iudicium p. 59 prolatum: „Aristophanes in recensione Homerica Zenodoti maxime vestigia secutus haud paucis in locis scripturas servavit attentione dignissimas; saepe item veras et genuinas lectiones a successoribus male desertas optime tutatus est; idem, quamquam coniecturis suis a communi veterum audacia et temeritate haud abstinuit, tamen vitia quaedam recte primus agnovit; denique in athetesibus tametsi aliquanto ultra iustos fines evagatus est, iudicium tamen comprobavit omnino laudabile." Aristophanem commentarios in Homerum nunquam scripsisse, p. 21 nobiscum statuit, ubi *ἡ Ἀριστοφάνους* pro *αἱ Ἀριστοφάνους* male suspicatur (cf. p. 35).

Ad p. 37. Excidit hic Schol. Il. ι, 404: *Καὶ Ζηνόδοτος δὲ οὕτως ἐκδέδεκται· τὸν γὰρ ἑξῆς μετέγραφε· νηοῦ Ἀπόλλωνος.* Vides, quae causa Zenodoteae scripturae fuerit, coniici, neque certo constitisse.

Ad p. 53. *Φ*, 575 Zenodotus e libris *κυνυλαγμὸν* retinuit, ubi Aristarchus ex aliis libris rectius *κεν ὑλαγμόν*. cf. Heynius VIII p. 220.

Ad p. 85. Excidit locus Il. *γ*, 126, ubi Zenodotus, Aristophanes et Aristarchus *πορφυρέην*, alii *μαρμαρέην* quae eadem scripturae varietas *χ*, 441 obtinuit. Utramque scripturam Grammaticos in libris invenisse puto, quorum haec ex alio loco *σ*, 480 *τρίπλακα μαρμαρέην* male huc translata videtur. *Μαρμάρεος* Homericum clipei, (ξ, 293) et aegidis (ρ, 594) *ἐπίθετον* est. *Πορφυρέην χλαῖναν* habes Od. *δ*, 115. *τ*, 225, *δίπλακα πορφυρέην* Od. *τ*, 241. Cf. Heynius IV p. 473.

Ad p. 112. Excidit nota 26: Langii argumentum, *δαῖτα* e prioribus editionibus in Zenodoteam transiisse, eo probantis, quod Zenodotus versum spurium habuerit, vanissimum esse ex iis, quae infra c. XI de Zenodoti obelo docebimus, apparebit.

Ad p. 119. Numeralium commutatorum exemplum unum habemus *τ*, 246, ubi pro *ἑπτ'* ex infelicissima emendatione scripsit *ἕξ*. cf. Schol. *ι*, 131. vide supra p. 123.

Ad p. 164. *Θ*, 528 recte sustulit versum ab Aristarcho obelo notatum:

Οὓς Κῆρες φορέουσι μελαινάων ἐπὶ νηῶν.

Cf. Heynius V p. 107.

Ad p. 168. *M*, 450 versum:

Τόν οἱ ἐλαφρὸν ἔθηκε Κρόνου παῖς ἀγκυλομήτεω,

e *β*, 319 factum non legit, Aristophanes obelo notavit. Aristonicus: Ἡ διπλῆ, ὅτι ἐκλύει τὴν τοῦ βαστάζοντος δύναμιν. Lachmannus v. 449 deleto versum 450 molestum non esse iudicat. At nescio, an Zenodoti sententia praestet. cf. *υ*, 286 sq. vide Heynium VI p. 351.

Ad p. 170 *Π*, 89 sq. Zenodotus omisit, quod illud *ἀτιμότερον δέ με θήσεις* Achillem non deceat, quo facto v. 91 pro *μηδ' ἐπαγαλλόμενος* scripsit *μή σύγ' ἀγαλλόμενος* (e v. 89 *μὴ σύγ' ἄνευθεν*). Quod Zenodoti iudicium prorsus reiiciendum est. Heynius (VII p. 154) neminem hos versus desideraturum esse dicit, si absint.

Ad p. 185. *E*, 906 bene versum:

Πὰρ δὲ Διῒ Κρονίωνι καθέζετο κύδεϊ γαίων,

male ex *α*, 405 hic adfictum obelo notavit. cf. p. 9 not. 34. Heynius V p. 172.

INDEX LOCORUM HOMERICORUM.

INDEX RERUM ET VOCABULORUM.

EMENDANDA.

Quamquam vir doctissimus, Albertus Lion, Phil. Dr. Gottingensis, molesto atque multis nominibus difficillimo harum plagularum corrigendarum munere strenue perfunctus est, tamen relicta sunt, quae abesse vellem. Graviora hic indicasse sufficit.

P. 3 v. 25 comma post *pertinens* excidit. P. 8 v. 7 lege *ad versum*. P. 17 v. 16 sq. *δοκεῖ*. P. 26 v. 16 *apparet*. P. 48 not. 69 *probari*. P. 52 v. 14 *θρεπτά*. P. 57 v. 14. punctum post *retinuit* et p. 59 not. 35 v. 4 post *emendandum* excidit. P. 66 not. 2. v. 8 lege *χάλκεος*. P. 69 v. 13 *ni*. P. 74 v. 21 *locos latos* pro *l. l. hos locos*. P. 82 v. 31 excidit *locorum* post *aliorum*, p. 84 v. 24 *θεὸν* post *ἡμέν*. P. 88 v. 8 lege *ἀμύμονας*. P. 90 v. 34 *ὑπεκρίφθη*, quod Zenodoto pro *ὑπεκρύφθη* restitui. P. 93 v. 3 *inritarunt* pro *invitarunt*. P. 102 v. 25 *Ὀρσίλοχος* pro *Ὀρσίλοχον*. P. 111 not. 25 v. 14 *indicat* pro *iudicat*. P. 116 v. 8. *respondet*. P. 120 v. 33 *in nostram*. P. 124 not. 46. *αὐτῇ* pro *αὔτη*. P. 124 v. 27 *videret*, *emendavit*. P. 128 v. 9 *ἱστία μὲν*. P. 137 v. 4 *urbem*. P. 137 not. 79 v. 2 *quam*. P. 141 nota 87 ad voc. *ἄλλοις* v. 15 pertinet. P. 142. v. 14 lege *his locis*. P. 147 v. 2 *ἀλκῆς*. P. 150 not. 17 v. 5 *Townl.* P. 154 v. 5 *σίδηρον*. P. 159 v. 8 et p. 163 v. 4 *Zenodotum*. P. 169 v. 12 *versus*. P. 179 v. 21 *sumptus* excidit ante *obelo*. P. 179. v. 22 lege *Agamemnoni* pro *in Agamemnonem*. P. 181 v. 20 *λαοσσόος*. P. 182 v. 10 *qui* excidit ante *ἠθέτηκεν*. P. 182. v. 21 lege *perveniant* et v. 29 *brevior*. P. 184 v. 9 lege *habuerit* et *exornantes* et v. 10 *his enim*. P. 185 v. 20 *iussit*. P. 192. not. 40 v. 6 *facit*.

In numeris adferendis haec emendanda inveni. P. 27 not. 9 lege 28 pro 27. P. 52 v. 16 280. P. 53 v. 4 10. P. 71 v. 16 392. P. 72 v. 14 *Z* pro *Δ*. P. 81 v. 23 553. P. 88 v. 6 270. P. 107. v. 6 35. P. 125 v. 1 349. P. 133 v. 8 132. P. 137 v. 31 *ο*, 296 pro 2, 196. P. 139 v. 4 576 et v. 21 142. P. 181 v. 34 223. P. 187 v. 6 *Ξ* pro *Σ*. P. 188. v. 11 *π*, 666 pro v. 666.

Sero video mihi Heynii, Spitzneri, aliorum commentarios legenti adhaesisse usum voc. *monendi* a consuetudine Latina abhorrentem, sed ita a plurimis interpretibus receptum, ut fere artis vocabulum factum esse videatur.